JO. LAURENTII
BERTI
FLORENTINI
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum septem voluminibus comprehensum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appositum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejusdem Dissertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, aucta, & ad usum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata, cui præter ea omnia, quæ in anteacta nostra addita fuerant, accedit nunc primum ejusdem Auctoris DISSERTATIO in Defensionem Encyclicæ BENEDICTI XIV. adversus quatuor dubiorum consarcinatorem.

TOMUS SEPTIMUS
CONTINENS

JOANNIS JOSEPHI LANGUET JUDICIUM DE OPERIBUS FF. BELLELLI, ET BERTI, UNA CUM DUABUS IPSIUS AD BENEDICTUM XIV. EPISTOLIS; ATQUE AUCTORIS IN JUDICIUM ILLUD EXPOSTULATIONEM; NECNON GENERALEM TOTIUS OPERIS INDICEM LOCUPLETISSIMUM.

ROMÆ,
MDCCLXV.

SUMPTIBUS JOSEPHI REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO

IO. LAURENTII BERTI

FLORENTINI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum lectori volumina comprehensum, & præter adversarum, generalemque veterum indicem ad calcem appositum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejusdem Dissertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, aucta, & ad ultimum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata, cui præter ea omnia, quæ in antecta nostra addita fuerant, accedit nunc primum ejusdem Auctoris DISSERTATIO in Defensionem Encyclicæ BENEDICTI XIV. adversus quatuor dubiorum conflaticatorem.

TOMUS SEPTIMUS

COMPLECTENS

Joannis Josephi Langueti Judicium de Operibus IV. Bertii, et Berti, una cum Diatribe ipsius ad Benedictum XIV. Pontifices; atque Auctoris in Judicium illud Expostulationem; necnon generalem totius Operis Indicem locupletissimum.

ROMÆ,

MDCCLXV.

SUMPTIBUS JOSEPHI REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO

REVERENDISSIMI JOANNIS JOSEPH LANGUET ARCHIEPISCOPI SENONENSIS JUDICIUM

DE OPERIBUS THEOLOGICIS FF. BELLELLI, ET BERTI.

NON ſine intimo doloris ſenſu in Libris Theologicis FF. Bellelli & Berti ex Auguſtinianorum familia, deprehendimus pleroſque renovatos errores Baji, Janſenii, & Queſnellii, toties a Sede Apoſtolica, & Epiſcopalibus judiciis profligatos. Temeritatem tantam in viris religioſis, præſertim qui in Italia libros ſuos publicarunt, nuſquam ſuſpicari, nedum credere potuiſſemus, niſi diligenti illorum ſcriptorum lectione perverſa doctrina nobis manifeſta apparuiſſet. Porro cum Epiſcopos *ſuper ſpeculam poſitos* ſciamus, ut *gladium venientem* a longe proſpiciant, & populis ſibi commiſſis omni ſtudio caveant; non eſt fas nobis ea, quæ fidei noxia ſunt, diſſimulare quocumque loco appareant. Etenim *Eccleſia Dei*, ut ait Auguſtinus, *quæ ſunt contra fidem, & bonam vitam non approbat, nec tacet*. Sane Religioſis viris, & Ordini Sanctiſſimo addictis parcere diſſimulando deſideraremus, niſi venenum ovibus Chriſti paratum, & jam apud nos ſerpere incipiens, a nobis exegiſſet, ut poſtquam errores in regionibus noſtris graſſantes reprimere conati ſumus, eoſdem denuo graſſaturos omni vi, & opera propellere conaremur. *Epiſt. 131. alias 5119.*

Maturo igitur examine Libris Theologicis FF. Bellelli, & Berti ponderatis, judicavimus illos Auctores in pluribus contra ſanam doctrinam, & orthodoxam peccaſſe, principia nova, temeraria, & noxia proferendo; erroribus in quinque libri Janſenii propoſitionibus contentis favendo; eoſdem errores aliquando ſubdole, aliquando aperte propugnando; veritatem Catholicam contra Baji, & Queſnelli placita aſſertam diſſimulando; & tali arte, ut horum Novatorum Sectatores Fratrum placita facile adoptare parati ſint ſine errorum ſuorum ejuratione. Quod quidem aliquot exemplis inter plurima ſelectis apparebit.

I.

De voluntate Dei circa ſalutem hominum & Chriſti redemptionem.

Juxta Definitiones Concilii Tridentini, & judicium in librum Janſenii, & propoſitiones ex eo extractas a SS. PP. Innocentio X. & Alexandro VII. latum judicarunt centum, & amplius Epiſcopi Gallicani, *nullum eſſe ex Fidelibus, qui non teneatur credere fide firma Deum velle ipſum ſalvare, & Chriſtum pro ejus ſalute ſanguinem ſuum omnem fudiſſe, ac proinde illi gratias conceſſiſſe neceſſarias, ut poſſit ſalvari*. Enim vero quilibet fidelis tenetur de fide *credere Chriſtum pro ejus ſalute paſſum, & mortuum*; prout fert Symbolum Nicænum a quolibet fideli recitandum, & a quolibet fideli in articulo mortis exigitur, *ut fide credat Chriſtum pro illo, & ejus ſalute æterna mortuum*. Ex quibus Fidei punctis duo ad fidem æqualiter pertinentia ſequuntur: alterum Deum voluntate vera & ſincera velle ſalutem æternam, ſaltem cujuslibet fidelis, juxta illud Evangelii: *Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Alterum quod Deus cuilibet fideli ſubminiſtret gratias, quæ illi ſalutem æternam reddant vere poſſibilem, juxta illud Concilii Arauſicani: *Hoc ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, auxiliante Chriſto, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint, & debeant adimplere, ſi fideliter laborare voluerint*.

Docum. Paſtor. an. 1720. *Docum. Paſt. an. 714.* *Rituale Romanum.* *Joa. 6.* *Conc. Arauſ. 2. cap. 25.*

Hoc Catholicum Dogma nullibi clare, ac diſtincte exponitur in libris Theologicis Fratrum *Bellelli*, & *Berti*. Imo ea principia ponunt, quibus aut infirmatur, aut deſtruitur. Equidem ut a Janſenio recedere videantur, ſtudent aſſerere voluntatem Dei, & paſſionem Chriſti pro ſalvandis omnibus hominibus; ſed voluntatem illam ita exponunt, ut a Janſenio, & ejus diſcipulis admittatur, abſque eo, quod errori in ſenſu libri Janſenii damnato renuntient.

Loco voluntatis veræ, & ſinceræ, quæ eſt in Deo, ſalvandi ſaltem omnes fideles, admittit uterque Frater *Bellelli & Berti* voluntatem, quam vocant *metaphoricam*, & quæ nulla habeat adjuncta media vere ſufficientia ad ſalutem eorum, qui pereunt. Illam quoque *antecedentem* vocant, ſed *antecedentem* ad præviſionem peccati Adami, quæque ſit in Deo quatenus omnes ſuas creaturas dilexit, præſcindendo ab Angelorum, & hominum lapſu.

Quantum autem ad voluntatem ſalvandi omnes homines, quam admittere ſe profitentur, ita illam explicant: Sic ſcribit Frater *Berti*: *Dico univerſos homines redemptos, quatenus propoſita eſt omnibus propitiatio per fidem in ſanguine Chriſti: quatenus Chriſtus ſua paſſione inſtituit cauſam noſtræ liberationis; quatenus obtulit pretium, vi cujus omnia peccata deleantur; quatenus demum humanam naturam ſuſcepit propter communem hominum perditionem. Atque hæc eſt voluntas antecedens, quam dixi connotare ordinis inſtitutionem*. *Tom. 3. p. 357.*

Nihil illic de voluntate illa ſincera, & benefica, qua Deus quemlibet fidelem, etiam eos, qui pereunt, adjuvat ut ſalutem aſſequi poſſint: imo illam excludit poſtmodum ſic loquendo: „ Fateor eandem eſſe de voluntate antecedenti, & de morte Chriſti rationem; ſed voluntas illa antecedens connotat, ſententia noſtra, inſtitutionem remedii, pretii oblationem, redemptionis virtutem, non diſtributionem, & applicationem beneficiorum, & paſſionis Chriſti effecta, atque munera, quæ ſint etiam extraneis communia. Veriſſimum eſt ergo eam Apoſtoli ſententiam, *Vult omnes homines* *Ibid. c. 361.*

„ *salvos fieri*: accipiendam esse cum Augustino pro „ generibus singulorum, non pro singulis generum, „ si loquamur de largitione gratiarum &c.". Ex his concludit *voluntatem illam antecedentem esse in Deo metaphorice, si comparetur ad actualem consecutionem salutis, & redemptionis proprietatem: sincera est autem, & vera, & etiam effectum suum consecuta, ut refertur ad unam causam humani generis a Domino in veritate susceptam, ad effusionem sanguinis, ad institutionem Ecclesiæ, ad virtutem pretii, ad præparationem remedii, ad vocationem gentium, & ad efficaciam Sacramentorum*.

En, ut jam observavimus, silet de voluntate illa speciali, qua singulis fidelibus, etiam iis, qui pereunt, Deus subministrat media, quibus salutem possunt assequi; silet, inquam, ubi hæc media maxime commemorare debuisset. Voluntas ergo quæ alios quam prædestinatos respicit, nihil aliud, ex Fratre *Berti*, connotat, quam sufficientiam pretii infiniti, & alia hujusmodi, inter quæ non recenset largitionem mediorum saluti vere, & proprie sufficientium, nequidem pro fidelibus. Hoc autem adhuc clarius aperit, dum voluntatem illam *metaphoricam*, quam etiam *antecedentem* vocat, docet omnino sterilem, nec auxilia distribuentem iis, qui pereunt: quibus auxiliis salus æterna vere fiat possibilis saltem fidelibus renatis in Christo, sic enim loquitur: „ Ex voluntate antecedente in singulos actua- „ lis gratia non derivat, sive voluntatem illam dixe- „ ris signi, non beneplaciti, sive illam explicaveris „ comparate ad universum genus humanum, at non „ ad hujus generis individua incertis circumstantiis „ constituta; sive ejus effectum dixeris institutionem „ ordinis, non consecutionem: quam postremam „ sententiam nos amplectimur": & paulo post sic de S. Prospero injuste loquitur: „ in respons. ad objecta „ Massiliensium, & Carmine de Ingratis, ubi genera- „ lem voluntatem salvandi omnes, & communem „ humani generis redemptionem explicat per insti- „ tutionem, & efficaciam remedii, non per actua- „ lem gratiæ largitionem, ut ostendimus". Quæ omnia & Jansenius, & Jansenii defensores admittunt libenter, & hoc sensu Christum pro omnibus mortuum confitentur absque eo quod errorem in v. propositione damnatum ejiciant, & ejurent.

pag. 442.

pag. 463.

Iisdem principiis consonant placita Fratris Bellelli. Voluntatem quidem antecedentem salvandi omnes agnoscit in Deo, sed quæ homines præcise ut homines sunt, & ante peccatum Adami considerat. „ Etenim, inquit, Deum antecedenti voluntate ho- „ minem quem innocentem rectumque condidit in „ quantum hominem salvum fieri velle satis diserte „ scripsit S. Augustinus; At vero post culpam tam- „ etsi cunctis hominibus nemine prorsus excepto „ per Filium suum Crucifixum redemptionem præ- „ paraverit, volueritque illos esse in via salutis, con- „ sequente nihilominus voluntate quosdam miseri- „ corditer liberat, quosdam vero justo judicio ple- „ ctit; antecedenti quoque Redemptoris voluntate „ omnes homines post lapsum secus ac Dæmones in „ via salutis voluit remanere, consequenti vero „ ostendit, quid deinde posset gratiæ beneficium, ju- „ stitiæque judicium".

De modo repar. t. 1. l. 4. c. 4. p. 182. 183.

Paria repetit iisdem fere verbis to. 2. in propositionem 30. Quesnelli. „ In Christo, in- „ quit, duplex voluntas salutis hominum asseren- „ da videtur cum Patris voluntate conformis, al- „ tera scilicet inefficax, & antecedens, qua voluit „ sicut Pater lapsos homines non ad terminum usque „ damnationis ruere, sed in via salutis æternæ mane- „ re, legibus dirigere, atque sufficiente possibilitatis „ gratia urgente lege juvare: altera vero efficax &c."

Tria in his textibus facile est perspicere, & improbare.

Primo. Non aliam asseri voluntatem salvandi homines nisi illam, qua Deus homines præcise ut homines, & antecedenter ad culpam Adami considerat, in quo contradicit Apostolo, qui de hominibus etiam in Adamo lapsis pronunciat, quod *Deus vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*.

Secundo nullam magis specialem ab eodem Bellelli agnosci voluntatem in Deo, & Christo salvandi fideles, qui pereunt, quamvis de fidelibus specialiter dicat Christus: *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*.

Tertio quod quidem dicit F. Bellelli Deum velle ut homines post culpam secus ac Dæmones in via salutis remaneant. Id est, quemadmodum ille explicat, ut non illico damnationi addicantur, sed exterioribus fruantur auxiliis, lege Evangelii dirigantur, intra Ecclesiæ sinum recipiantur, & vivant. Sed nullo modo indicat veram, & sinceram inesse Deo, & Christo voluntatem post Adami lapsum circa salutem eorum, qui pereunt, ne quidem fidelium.

Quæ quidem, iis maxime simul attentis, & perpensis quæ de duplici delectatione relative necessitante, nec non de insufficientia gratiæ omni gratia efficaci destitutis concessæ, quod paulo post ex F. Bellelli referemus, manifestum faciunt ab eo non agnosci media fidelibus, qui pereunt, concessa, quibus salus illis sit vere possibilis vera possibilitate, & relativa ad obstacula, & urgentes tentationes, in quo aberrat a Concilii Arausicani superius citati doctrina pronunciantis, quod omnes baptizati auxiliante Christo quæ ad salutem pertinent possunt adimplere; quod de vera & relativa potestate non potest non intelligi.

Porro in his omnibus F. Bellelli a Jansenii errore minime recedit, & vidimus ejus sectatores, qui in hoc regno pro Quesnellii defensione scripserunt, sæpius eadem cum F. Bellelli statuere, & confiteri absque eo quod Quesnellianos errores ejurarent, & 5. Jansenii propositionibus renuntiarent.

II.

De merito, & demerito, & libertate ad utrumque requisita.

Non minus luculenter a Veritate Catholica recedunt FF. Bellelli, & Berti circa libertatem ad meritum, & demeritum requisitam, circa possibilitatem mandatorum Dei, ac resistentiam liberam gratiæ interiori. Equidem nomina libertatis, possibilitatis, resistentiæ usurpant libenter, sed tali sensu, quem Jansenius ante ipsos admisit, aut quem ejus asseclæ ultro admittunt absque eo quod erroribus damnatis in sensu libri Jansenii derogent.

F. Bellelli expresse agnoscit necessitatem prævenientem imponi libertati, aut a fortiori gratia, aut a fortiori cupiditate prout dominantur. Cum illa tamen necessitate stare meritum, ac demeritum; & hoc impudenter, & falso S. Augustino tribuit. *Constat in necessitate absoluta*, inquit, *& antecedenti . . . . . vel fortioris concupiscentiæ agnovit*. Ut hanc necessitatem a gratia, vel concupiscentia voluntati impositam conciliet cum libertatis dogmate, distinguit libertatem essentialem homini a necessitate inducta accidentaliter per gratiam victricem, aut concupiscentiam fortiorem, & per peccatum originale. Quasi vero voluntas accidentaliter, & relative necessitata ad actum possit esse capax meriti, & demeriti. Voluntas enim meriti, & demeriti capax esse non potest nisi mota, & excitata sit actu libera ad agendum relative ad quodlibet impedimentum. *Et secundum præsentes, quas habet, vires*, sic autem loquitur, *consensus voluntatis . . . . . accidentaliter necessarius dicitur*. Et postea de gratia, quæ fortior est concupiscentia, ait, quod non *eam inducit necessitatem, quæ in essentia humanæ voluntatis collocatur*, sed consequentem, *quæ post inflicta per peccatum vulnera . . . . . & per victricis gratiæ adjutorium inducta*.

To. 1. parte 1. pag. 246.

De modo reparationis Par. 1. p. 285.

Ibid. p. 287. 288.

Paulo superius hanc sibi proposuerat objectionem: *Gratia per se efficax . . . . . oppositum est impossibile*. Catholice credenti responsio erat facilis negando majorem, quæ expresse contradicit Concilio Tridentino statuenti hominem sub gratiæ actualis *motu posse dissentire*. Aliam responsionis viam sibi aperit F. Bellelli. *Respondemus*, inquit, *gratiam per se efficacem* (hoc est piam delectationem superiorem, & indeliberatam) *impedimentum esse . . . . . non est absolute* (hoc est abstrahendo a peccato originali, & a delectatione superiore gratiæ) *& ex omni parte impossibilis, ... & consequenti necessitate*, nimirum per peccatum originale, aut per gratiam fortiorem inducta.

p. 279.

p. 285.

Sibi quoque objecerat ex S. Anselmo quod *necessitas antecedens est illa, quæ facit rem esse; necessitas vero consequens, quam res ipsa facit*. Sic autem respondet parum curans de definitione S. Doctoris. *Ab Anselmo tradita definitio admitti poterit . . . . . in accidentali forma eidem accidente statuitur*. Quod idem est ac si diceret libertatem essentialem fuisse in homine innocente ante peccatum, sed accedente peccato necessitatem experiri per concupiscentiam, nisi alia necessitas per victricem gratiam succedat.

p. 80. p. 287. 288.

Aliam

Aliam objectionem hoc quoque modo exposuerat: *Consensus liber producitur a virtute indifferenti*. Porro gratiam efficacem sustinet esse ad unam determinatam. Ad hoc respondet quod *Consensus a gratia, & arbitrio procedens dici potest simul necessarius, & liber ..... consensum necessarium*. Et paulo post: *Suum opus recte dicitur relate ad gratiam necessarium, & relate ad indifferentem arbitrii potestatem dicitur liberum*. Sic F. Bellelli omnia miscet, & super quæstionem simplicem tenebras spargere conatur, ut se a censura eximat. Quis enim ante illum hominis libertatem per mysterium Trinitatis explicare unquam tentavit? Sed quod pejus est, judicio Ecclesiæ illudit; & sub prætextu libertatis essentialis, quam in homine agnoscere cogitur, illius exercitium sustinet immutatum *in necessitatem accidentalem*: quæ necessitas accidentalis libertatis exercitium tollit *relate*, seu relative ad gradum delectationis aut concupiscentiæ, aut gratiæ, quæ necessitat ad bene, aut male agendum prout una fortior est altera. Unde sequitur quod quamvis voluntas prædicetur libera essentialiter libertate indifferentiæ, tamen *accidentaliter* non potest resistere aut cupiditati, aut gratiæ dominanti *secundum præsentes quas habet vires*; & in actu sua caret activa indifferentia *relate* ad delectationem victricem, quæ superior est. Porro hæc dogmati Jansenio ita congruit, ut nullus sit inter Jansenii asseclas, qui eodem pacto libertatem non agnoscat, modo admittatur cum illo Theologo meritum, & demeritum componi posse cum necessitate relativa, quæ actum bonum, aut malum efficiat.

p. 279.

p. 286. & 287.

Hæc autem in illo Theologo eo pejus sonant, quod de prædeterminatione physica in naturalibus differens dicat expresse: *rationales, aut liberas voluntates ..... ad actum, & oppositum ejus*. Ex quo principio prædeterminationem physicam Thomistarum rejicit, ut libero arbitrio noxiam. *Prædeterminatio physica*, inquit, *sive qualitas sit ..... prædeterminationem physicam excludit*. Si essentia libertatis consistit *in potestate indifferenti ad actum ejus, & oppositum*; si virtus ad unum determinans tollit illam indifferentiam, certe gratia victrix, aut concupiscentia fortior necessario determinans ad actum tollit libertatem illius actus. Nec refert quod dicitur illam tollere *accidentaliter*, siquidem tollit *relate*, ut ait, ad motivum gratiæ, aut concupiscentiæ, quæ sit in gradu fortior. Unde sequitur actum, quem gratia, aut concupiscentia dirigit relative ad circumstantias ubi versatur voluntas, carere illa indifferentia ad oppositum, quam essentialem actui libero esse ipse confessus est.

Bell. de st. Creat. ration. ante pec. l. 2. c. 25. p. 298. & seqq. & c. 13 p. 327. 330. 331.

F. Berti cautius loqui videtur, ubi de libertate hominis, & de necessitate, quæ secundum F. Bellelli voluntati per gratiam, aut concupiscentiam victricem imponitur *accidentaliter*, & *consequenter* ad peccatum Adami, voces libertatis, indifferentiæ, resistentiæ, auxilii sufficientis frequenter usurpat, ut a Jansenio longe remotum se ostendat. Verum lectori fucum facere conatur, nec aliter a fodali suo de libertate, & merito judicat.

Ac primo qualis est illa *indifferentia*, quam activam vocat? Illa secundum ejus doctrinam in eo sita est, quod voluntas possit aut per gratiam, aut per concupiscentiam alternis vicibus moveri, non autem quod possit secundum præsentes, quas habet, vires, aut resistere gratiæ moventi, aut adjuta a gratia resistere concupiscentiæ actu dominanti, & relative ad illam. *Semper est*, inquit, *in natura posse recipere gratiam .... & dici consuevit remota*. Quæ sit autem illa *potentia remota*, qua possit homo resistere concupiscentiæ, aut motioni divinæ, ita explicavit approbando dictum quorundam Lovaniensium, qui tunc ad Jansenii doctrinæ defensionem satis aperte laborabant. *Ut homo posset converti ..... visurus est nunquam*. Sane qui *non habet panem nec quicquam unde sibi panem procuret*, eritne in vera potentia manducandi? Deus justus, & bonus potestne talem punire eo quod panem non manducavit? Potestne justum in hac impotentia deserere urgente præcepto? Et qui in tali impotentia versatur *potestne implere præceptum secundum præsentes, quas habet, vires?*

T. 3. l. 18. cap. 8. p. 445.

Ibidem.

Objectioni huic occurrit dicendo: *Neque dicas illusorie hoc dici ..... dorsa vertimus*. Sed hoc non potest exprobrari justo, qui post justitiam receptam nondum peccavit, & tamen urget mandatum præsens, & gratia destituitur? Deus ergo deserit illum antequam deseratur, & justo illi *secundum præsentes, quas habet, vires, mandatum fit impossibile, & deest gratia, qua ei possibile fiat*. Quod est præcise una ex Propositionibus in Jansenii libro damnatis.

To. 3. l. 18. c. 8. p. 445.

Porro fluit hæc propositio sicut & cæteræ in Jansenio damnatæ ex illo principio Yprensis Episcopi, *quod magis delectat* delectatione indeliberata, *illud operari necessum est*. Idem principium sibi genuinum fecit F. Berti, & ita pro certo ab eodem traditur, ut concurrentibus duabus delectationibus gratiæ, & concupiscentiæ in æquali gradu voluntas debeat remanere anceps: *Cum trahatur animus*, inquit, *delectatione, si ex æquo afficiatur delectatione sancta, & noxia, nunquam se inclinabit in unam potius, quam in alteram; sed pendebit anceps, donec una sit robustior, eamque deprimat*. Rationem reddit illico, *nullus enim nisi a fortiori vincitur, & superatur*. Quod impossibilitatem, & necessitatem a F. Bellelli traditam omnino exprimit. Quis ergo libertatis humanæ, & indifferentiæ usus? 2

T. 3. p. 203. 204.

Hinc est quod ita gratiam efficacem definiat: *Est victrix delectatio, sive caritas, quæ superat contrariam cupiditatem*. Quam definitionem explanando ait: *Hæc delectatio, & caritas ..... quod antea non delectabat*. Nec vox illa *libere obtemperat* ad faciendum fucum appofita quicquam systemati gratiæ necessitantis detrahit; siquidem paulo post addit: *Sequitur ex hac victrice delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat*, lib. 14. cap. 8. p. 156. Hac fretus sententia, quam ex Augustino male intellecto depromsit, & cui sæpius in suo opere inhæret, *Augustinus*, inquit, *docet nos necessario sequi quod magis delectat*. 3

Ut autem hanc necessitatem relativam conciliet cum iis, quæ præclare dicere videtur de libertatis indifferentia, & de merito, & de demerito aliam a fodali suo viam inire tentat, quæ non minus definitionibus Ecclesiæ contradicit, & Jansenii erroribus non minus favere videtur. Contendit enim ad meritum sub gratiæ impulsu fortioris, seu superioris delectationis cælestis indeliberatæ sufficere in statu naturæ lapsæ potestatem non quidem abstinendi a bono opere, sed potestatem hoc vel illud bonum eligendi. Item sub impulsu concupiscentiæ fortioris sufficere ad demerendum potestatem eligendi hoc, vel illud purum, nec requiri potestatem abstinendi simpliciter a peccato. Ex quo principio sequitur justum in statu naturæ lapsæ sufficienter esse liberum solo impulsu gratiæ necessitantis ad bonum, si unum præ alio bono possit eligere. Similiter & justum, cui gratia a Deo denegaretur, sufficienter esse liberum ad demerendum si solum possit, v. g. loco furti homicidium perpetrare, aut fornicationis loco adulterium. Quæ doctrina æque pugnat cum Concilio Tridentino, & cum decretis summorum Pontificum latis contra Jansenium. 4

Audiatur ipse Auctor: *Contingere tamen potest, ut voluntas sit determinata ..... liberi arbitrii potestas, indifferentia, & dominium*. Hæc F. Berti de libertate ad merendum requisita. Audiatur etiam differens de libertate ad demerendum sufficienti in statu naturæ lapsæ .... *Possumus ergo objicientibus hominem &c. ..... unum, vel alterum eligendo*. Et paulo post: *Insuper Theologi clarissimi refellunt hoc argumento Jansenianos ..... quoniam hoc postremum in controversiis est*. 5

Berti To. 3. p. 281.

Ibid. p. 443.

Sane Jansenii sectatores hanc libertatis speciem non rejicerent, imo ultro adoptarent. Porro justus urgente præcepto post acceptam gratiam justificantem reus ne censebitur, & sufficienter liber ad demerendum si præsertim agatur de impletione præcepti affirmativi, cujus obligatio instat, quodque omittere non potest sine peccato, nec aliud peccatum potest eligere? Erit ergo reus etiam justus, etiamsi *mandatum ei fiat impossibile secundum præsentes, quas habet, vires, & desit ei gratia, qua illi fiat possibile*, quod est pura Jansenii doctrina in 4. ejus propositione damnata ut hæretica, & impia.

III.

De efficacia gratiæ, & gratia sufficiente.

Quamquam FF. Bellelli, & Berti ausi fuerint ipsis terminis asserere nullam esse gratiam vere sufficientem aut

aut gratiæ interiori resisti non posse; dogma tamen Catholicum in hoc puncto impugnare non sunt veriti non solum ei opponendo errorem de duabus delectationibus relative voluntatem necessitantibus; verum etiam tortuosis, & ad fraudem compositis de gratia sufficienti sermonibus, qui sensum illarum aperiunt. Hac arte utitur F. Berti in primis cum ex una parte dicat se probare maxime gratiam sufficientem sensu Thomistarum, & ex altera profiteatur se dubitare utrum illa gratia Thomistica sit vere sufficiens; imo se malle illam appellare inefficacem, quam sufficientem. Quid enim putandum de Theologo, qui dubitaret utrum præmotio physica destruat libertatem, eamque nihilominus probaret maxime? Hæc F. Berti verba sunt:

T. 3. l. 1. c. 3. p. 340. & seqq. *De quæstione grammaticali, idest, an gratia sufficiens ..... gratia illa Thomistarum notione sufficiens vere sit talis, Scholastici non consentiunt.*

Hic F. Berti lectori fucum facere conatur, & sub larva gratiæ Thomisticæ sufficientis quid de vera insufficientia illius gratiæ sentiat abscondit. Etenim vidimus supra quod juxta ejus systema gratia est efficax, quando gradibus superat concupiscentiam debiliorem. Est vero inefficax si concupiscentia huic gratiæ gradu suo superior est; quæ concupiscentia major in gradu non potest vinci a gratia, quæ in gradu est minor. Huc refert passim illud S. Augustini de delectatione indeliberata male intellectum, & eodem sensu præpostere a Jansenio decantatum: *Secundum id quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Ex quo sequitur gratiam illam, quam *sufficientem* vocare utcunque consentit, esse vere insufficientem relative ad gradus concupiscentiæ superioris, ac proinde relative ad præceptum implendum. In hoc ergo ejus error consistit, quod asserat justo concurrente tentatione, aut urgente præcepto a Deo denegari gratiam, quæ relative ad ejus vires sit vere sufficiens, & dari ab eo tantum gratiam inefficacem, cum qua concupiscentiam in gradu superiori justus vincere non potest.

2 His notatis facile intelligitur id quod ibidem F. Berti asserit de gratia illa sufficienti, quod dat posse, sed incompletum, & cur vellicet Thomistas ex eo quod dicant *per gratiam sufficientem constitui potentiam proxime, & complete potentem producere effectum*, statuitque potentiam non debere nominari *potentiam proxime expeditam nisi potentiam, quæ ut ponat actum gratiam uberiorem non postulat.* Quo denique sensu asseruit ibidem *quod etiam renati, & sancti cum gratiam, & adjutorium petere debeant, ut in bono possint perdurare, etsi habeant gratiam sufficientem, non habent semper proximam perseverandi potentiam:* & Augustino tribuit, quod ipse addit *quod cum sola gratia sufficiente non potest mandata facere, qui caritatem non habet magnam, atque vehementem, idest non potest proxime, complete, expedite; poterit vero cum impetraverit gratiam uberiorem, congruam, & efficacem.*

l. 17. c. 3. p. 340 & c. p. 341.

Hæc omnia in ejus systemate significant, idcirco justum cum illa gratia inefficaci *non posse proxime*, & *complete* mandatum urgens implere, quia delectatio cælestis in gradu inferior, quo solum pollet, non potest vincere concupiscentiam validiorem. Ex quo sequitur hanc gratiam vere esse insufficientem relative ad præsentes vires justi.

Non carpimus F. Berti quod asserat justum aliquando gratia proxime sufficiente carere urgente tentatione, si potest proxime petere gratiam, quæ illi deest. Possumus utcumque tolerare, quod contra communem Thomistarum sententiam, asserat gratiam sufficientem non dare potentiam proxime completam, & expeditam, si id duntaxat assereret sensu ab aliquot Thomistis intellecto de potentia ex parte actus secundi completa, & expedita. Sed illum incusandum judicamus, quod secundum principium, quod posuit, gratia inefficax, quam sufficientem ægre vocare consentit, est vere insufficiens justo relative ad ejus præsentes vires, quia a validiore concupiscentia opprimitur.

Quod quidem systema excludit quoque a justo potentiam orandi urgente tentatione, nisi habeat ad orandum gratiam efficacem, quamvis haberet gratiam inefficacem. Gratia enim inefficax, secundum systema Fratris Berti, non potest vincere concupiscentiam validiorem; & ideo inefficax nominatur, quia concupiscentia illam gradibus suis superat. Hinc posse justum aliquando deseri, illique denegari auxilia communia, & gratiam vere, & relative ad tentationis vires sufficientem; cujus derelictionis non aliam causam reddit quam profunda, & occulta Dei judicia. Sic enim loquens de iis, quos *Deus etiam inter barbaros, aut scelestissimos eligit ..... divitias misericordiæ suæ;* addit quod ex iis *sunt nonnulli quibus ad ostensionem justitiæ ..... Hi autem gratiam sufficientem non habent.* Quod ut probet addit: *Gratia sufficiens donum est, nec ulla foret in Deo iniquitas, si Deus illam singulis denegaret.* Unde concludit, quod illa gratia sufficiens *est donum gratuitum, & post Adami peccatum indebitum beneficium* (etiam) *supposito legis præcepto.*

l. 18. c. 8. p. 446.

Ibid. p. 448.

Hæc autem doctrina, & systema unde derivatur, omnino contradicit Apostolo dicenti: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Contradicit Concilio Tridentino docenti, *Neminem a Deo deseri nisi prius deseratur.* Contradicit eidem Concilio dicenti post Augustinum: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjiciat, ut possis.* E contra consonat primæ propositioni damnatæ in libro Jansenii asserentis justo quædam mandata esse *impossibilia secundum præsentes, quas habet, vires, & ei deesse gratiam, qua possibilia fiant.*

IV.

De possibilitate mandatorum Dei per gratiam.

Non minus diserte F. Bellelli docet per gratiam parvam, & inefficacem, quæ sola secundum illum justis urgente præcepto sæpe conceditur, nullam dari veram potentiam ceu proximam, ceu remotam. Ille enim potentiam, quam confert ejusmodi gratia inefficax, quam tamen sufficientem nominare non dubitat, tali exemplo, & similitudine explicat, quæ ejus insufficientiam aperte declarat. Sic enim loquitur: *Sunt oculi necessarii ad videndum. Est necessarium lumen &c. ..... Est autem hæc oculorum similitudo ad rem nostram explicandam aptissima.* Ita F. Bellelli.

Bellel. t. 1. lib. 4. c. 1. p. 174. & 175.

Et similitudinem explicando potentiam, quam habet justus ad implenda præcepta per gratiam sufficientem seu inefficacem, assimilat potestati hominis ad videndum, qui habet oculos, & lumen, sed infirmitate cogente oculos aperire non potest. Quæ autem est illa infirmitas? Scilicet concupiscentia, quæ vinci non potest nisi per gratiam efficacem. Sed si justus non habet quo infirmitatem possit vincere, non potest mandato satisfacere. Sicut vere non potest videre ille, qui præ infirmitate oculos aperire non potest; necessitatur ad violandum præceptum, sicut infirmus ille necessitatur ad non videndum. Verum est de utroque dicere, quod necessitantur, ille ad non implendum præceptum, hic ad non videndum. Quis autem ejusmodi hominem, quem infirmitas opprimit, dicat esse liberum ad videndum? quis ei audeat attribuere veram, & proximam videndi, & legendi potentiam? & talem potentiam, quæ satis esse possit ut defectus visionis ipsi ad culpam deputetur? Sane qui huic videre imperaret non tollendo infirmitatem, qui irasceretur, quod non videret, omnino injustus appareret. Porro potentia justi ad exequendum mandatum talis esse debet, ut *secundum præsentes, quas habet, vires*, illud ita possit exequi, ut sine injustitia condemnetur si non exequatur; et si infirmus est auxilium habeat, quo infirmitatem vere possit vincere.

F. Bellelli, cujus jam errorem circa libertatem resistendi gratiæ exposuimus, dogma Catholicum de eodem puncto alio adhuc modo impugnare conatus est, limitando nempe definitionem Concilii Tridentini circa hanc materiam, eamque ad solam gratiam sufficientem restringendo. Oecumenica synodus anathema pronunciat in eos, qui dicunt *liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo non posse dissentire, si velit.* Idem definit *Deo tangente cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem hominem posse inspirationem illam abjicere.* Ex his sacri Concilii definitionibus certo infertur hominem posse gratiæ vere resistere, nullamque ipsi imponi necessitatem a gratia etiam ab illa, quæ sit ex natura sua efficax.

Displi-

Displicet F. Bellelli hoc sensu obvio & naturali verba Concilii intelligi, quemadmodum omnes Theologi illi intelligunt. Illa ergo explicat quasi de sola gratia sufficienti sacrum Concilium fuisset locutum: *Dicimus*, inquit, *id a Tridentina synodo definitum ..... & interdum abjicit, idque profecto S. Synodi scopo maxime congruit &c.* Tum Lutheranorum dogma a Concilio damnatum suo sensui accommodare nititur, & sic concludit: *Arbitrium posse resistere gratiæ sufficienti profecto sanxit Tridentina synodus. Augustinus vero non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, atque insuperabili, quæ dat velle, & perficere, arbitrium minime resistere scripsit.* Sic contra omnium Theologorum etiam Thomistarum sensum Concilii Tridentini definitionem explicat; imo eludit omnino, & contorquet, ut inconcussum servet suum de gratia efficaci necessitante errorem. Ut autem a Jansenii dogmate alienum se ostendat, & secundæ propositionis damnatæ in sensu ejus libri sensum respuere videatur, sic addit: *Optimo jure secunda propositio tanquam hæretica damnata est ..... interdum resistat contendunt.* Quod falsum est; ubique enim Jansenius agnoscit gratias parvas, & invalidas, quæ cor hominis excitant; sed quæ remanent ob concupiscentiæ dominatum inefficaces, nec producunt effectum, ad quem tendere videntur. Has illius sectatores aliquando *sufficientes* nominaverunt. Sed omnino subdole, & eodem sensu, quo vocem hanc adhibet F. Bellelli. Qui ita eorum errorem, & condemnationem contorquet, eis adhærere se probat.

De modo Rep. to. 1. l. 2. c. 16. p. 94.

Vide l. 2. S. de gr. sal. vat. c. 27.

Contra illa erronea placita hæc docet Fides Catholica: *A Deo dantur gratiæ interiores, quibus resistitur non resistentia improprie dicta, sed vera resistentia, quæ gratiam privat eo effectu, quem volebat. Talis gratia adest semper justo, qui cadit, itaut sua propria culpa cadat absque eo quod illi quicquam desit, ut perseverare possit. Contra scripturam, & traditionem loquitur, qui gratiam ita necessitantem admittit, ut homo ei consensum suum recusare non possit. Qui cadunt minime queri possunt, quod plena, & perfecta potentia (scilicet per gratiam,) eis denegata fuerit. Cooperatio gratiæ ita libera est homini, ut possit resistere gratiæ cuilibet etiam potentissimæ, illam respuere, & ei denegare consensum, siquidem agendi, aut non agendi dominium etiam in instanti, in quo a gratia excitatur, & determinatur ad agendum sub ejus impulsu, (& consequenter relate ad illam,) servat illam indifferentiam activam, & immunitatem non modo a coactione, sed etiam a necessitate; quæ immunitas a necessitate ad merendum, vel demerendum requiritur.* Quæ doctrina clare consonat definitioni Concilii Tridentini pronuntiantis anathema illi, qui dicere audet *liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum non posse dissentire si velit*, Sess. 6. Porro qui asserit hominem sub impulsu, & motione gratiæ *necessitari ad assentiendum*, illud anathema incurrit.

Docum. Past. Episc. Gall. an. 1720. p. 22. 24. 26. 27. 28.

Quæ quidem doctrina certior ita apparere debet, quod in eam approbandam, & prædicandam an. 1720. concurrerunt omnes Cardinales, Archiepiscopi, & plusquam 100. Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ tam ii, qui Bullæ *Unigenitus* adhærebant, quam Cardinalis Noallius, & alii pauci qui ab illa acceptanda huc usque distulerant. Quorum concordiam nonnisi evidens fidei expositio potuit operari.

Cæterum F. Bellelli Jansenio, & ejus dogmatibus damnatis favisse ex professo convincitur ex eo, quod encomio celebret doctrinam Antonii Arnaldi discipulorum Jansenii antesignani, qui *apologias pro Jansenio* contexuit, & publicavit. *Ex exteris*, inquit F. Bellelli, *nobis consentit Cl. vir Arnaldus passim in suis operibus, quæ nihil aliud quam Augustinum redolent.* Hoc doctrinæ Arnaldi encomium horruere omnes Catholici, & non sine causa judicarunt illum, qui D. Augustinum in scriptis Arnaldi reperit, Jansenii *Augustino* licet a S. Sede damnato totis visceribus adhærere.

De st. naturæ ante pecc. p. 257.

V.

De charitate Theologica & ejus necessitate a duobus Theologis inducta pro quolibet opere bono etiam moraliter.

FF. Bellelli, & Berti non errant solum circa Christi mortem, libertatem necessariam ad merendum, & demerendum, & resistentiam gratiæ; addunt alios errores ab Ecclesia proscriptos: scilicet liberum arbitrium absque gratia, quam in caritatis Theologicæ motu constituit, peccare semper in omnibus suis actibus; adeout liberi omnes motus voluntatis, qui a gratia charitatis non procedunt, necessario a mala cupiditate oriantur; ac quicquid a motivo charitatis non procedit, non aliud habeat motivum, quam pravam cupiditatem. Charitatem autem non accipiunt quatenus tantum involvere potest omnem amorem recti, & boni, & omnem bonam voluntatem, sed veram charitatem Theologicam, quæ ab amore perfectissimo non differt nisi gradu. Sic loquitur F. Bellelli: *Cumque in praxi & in individuo voluntas deliberate agens ..... suis viribus incidat, ac peccet.*

Bell. de modo Repar. P. 1. p. 330.

Idem: *Utique non omnis actio humana deliberata omnibus inclusis* (hoc est etiam quoad officium) *sed tamen omnis fruitio, seu dilectio & amor Dei tanquam finis creaturæ rationalis aut est charitas bona, aut cupiditas mala.* Hæc Propositio ex superioribus patet.

De mo. do Rep. p. 402. De st. anim. rat. ante pec. p. 352.

Idem: *Quod si Jansenio consimilis dicendi modus relationis virtualis* (per charitatem) *arrisit, infortunium fuit non prædictæ solius probatæ sententiæ, sed plurium veritatum Catholicarum, quæ tamen deserendæ non sunt, quia Jansenio placuerunt.*

De mo. do Rep. par. 1. P. pag. 349.

F. Berti consentit cum F. Bellelli; ait enim: *Practice loquendo affirmo nunquam hominem lapsum agere ... delectationis dono prævalet rationi concupiscentiæ.*

2 To. 3. p. 402.

Potest (liberum arbitrium) *exercere officia virtutum, & præcepta ... inflat, non ædificat.* Ita F. Berti.

Ibid. p. 421.

Quod autem, ut diximus, nomine charitatis licet inchoatæ tantum intelligant charitatem Theologicam, patet ex illorum dictis. F. Berti charitatem, quam opponit cupiditati, definit illam, qua Deus in se propter se diligitur gratis, & amore benevolo. F. Bellelli adhuc expressius asserit charitatem inchoatam, & perfectam esse ejusdem speciei, idem objectum specificativum habere, & proinde inter se differre tantum quoad gradum, & effectum, in quantum perfecta justificat, non autem inchoata; sic enim loquitur: *Fatemur inchoatam charitatem ejusdem speciei esse cum perfecta ..... & perfecta charitate dicendum existimamus.* Clarius charitatem Theologicam designare non poterat, ex quo sequitur de illa loqui semper, ubi de charitate, quam cupiditati opponit, quæque aut inchoata, aut perfecta est, & a gratia inspiratur. Gratia autem, ut ajunt ubique, nihil aliud est, quam *sanctæ dilectionis seu charitatis inspiratio.*

3 To. 3. l. 18. c. 4. p. 416.

Bell. de mod. Repar. to. 1. p. 330.

Hæc ergo utriusque opinio est, quod absque charitate Theologica saltem inchoata omnia aut fidelis, aut infidelis opera quamvis ex officio bona peccata sunt, etiamsi in his actionibus a lumine naturali dirigantur; suntque semper philautiæ seu cupiditatis veneno infecta, & ab ea procedunt. Quæ doctrina a summis Pontificibus Pio V. & Clem. XI. proscripta jacet sequentium propositionum damnatione: *Liberum arbitrium sine gratia Dei, & adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Bajus Prop. 27. *Omnia Infidelium opera sunt peccata.* prop. 25. *& virtutes philosophorum sunt vitia. Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris.* Quesnel. prop. 38. *Voluntas, quam gratia non prævenit, non habet lumen nisi ad aberrandum, ardorem nisi ad se præcipitandum, vires nisi ad se vulnerandum, capax est omnis mali, & incapax omnis boni.* Prop. 39. *Sine gratia non possumus aliquid amare, nisi ad nostram condemnationem.* Prop. 40. *Omnis cognitio Dei etiam naturalis in Philosophis paganis non potest venire nisi a Deo; sine gratia non producit nisi superbiam, vanitatem, & oppositionem ad Deum loco adorationis, gratitudinis, & amoris.*

4

Ex iis, quæ diximus, sequitur necessario, & manifeste eos, qui inter cupiditatem dominantem, & caritatem justificantem nihil medium agnoscunt præter cupiditatem inchoatam, & charitatem inchoatam, sive inchoationem charitatis, errores ab Ecclesia proscriptos tenere, censuramque contra illorum defensores latam certo incurrere; siquidem damnatione illarum propositionum judicatum est, voluntatem posse aliquando non peccare etiamsi careat illa gratia, quæ est inspiratio charitatis.

VI.

De actibus timoris, fidei, spei.

Ex iis FF. Bellelli, & Berti principiis fluit error a Concilio Tridentino & a Clem. XI. damnatus, qui spectat gehennæ timorem.

Docet Concilium Tridentinum *timorem gehennæ esse bonum, & utilem, & Spiritus Sancti inspirationem*, Sess. 6. Can. 8.

Clemens XI. Pontifex Max. plures Quesnelli propositiones proscripsit, quæ asserunt timorem gehennæ esse malum.

Prop. 60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc magis violenta, eo magis ducit ad desperationem*. Quesnelli prop. 62. *Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ &c.*

Prop. 61. *Timor nonnisi manum cohibet &c.*

Prop. 63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus &c.*

Ante Clem. XI. S. Pont. Alexand. VIII. inter varias propositiones has duas condemnavit, quarum censura omnem effugii viam FF. Theologis præcludit.

Prop. 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor &c.*

Prop. 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis.*

Ex iis damnationibus, imo & ex Concilio Tridentino sequitur actus timoris gehennæ æternæ, & etiam actus fidei, & spei esse a Spiritu sancto inspirante absque eo quod a charitate saltem inchoata inspirentur; falsumque esse omnino quod Quesnellius adhuc asseruit, & condemnatum est, in ejus propositione 51. scilicet *fidem non operari nisi per charitatem*. Fides enim actum suum proprium habet absque eo quod charitas Theologica illum inspiret: qui actus ipsa charitatis initia in conversione peccatoris secundum Concilii Tridentini doctrinam præcedit; cum peccator *incipiat diligere Deum* postquam per fidem, & timorem ad conversionem excitatur.

E contra Quesnellius, & alii ejusdem sectæ nullum agnoscunt timorem, qui a fide, & gratia procedat præter timorem filialem a charitate saltem inchoata, & Theologica procedentem; & omnem alium timorem cupiditati noxiæ adscribunt. Hunc sensum sic exscribit F. Bellelli illum Augustino, quo abutitur, tribuendo. *Ipso*, inquit, *docente secundum scripturas didicimus dupliciter legem servari posse..... ceu ad caritatem, quæ per Spiritum sanctum diffunditur*. Nullum ergo medium inter timorem filialem a charitate saltem inchoata, & timorem carnalem a cupiditate noxia incussum, & nullus remanet locus timori, qui secundum ipsum Augustinum *venturæ dilectioni præparat viam*, & a Spiritu Sancto inspiratur. *De st. nat. rat. ante pecc. p. 360. 361.*

2 Idem docet F. Berti: *Timor, & caritas idem principium habent &c. ..... & sanctæ dilectionis præcessit: Nec aliud est pondus, quo fertur animus, nisi amor. Timor sanctus non sine aliquo amore* (charitatis) *excitatur*. *To. 3. p. 153.*

Ergo secundum utrumque non est timor, quem caritas Theologica saltem inchoata non præcesserit; & animi timor, qui ab illa charitate non procedit, est a cupiditate noxia. Ita contradicitur S. Concilio Tridentino, quod inter dispositiones ad pœnitentiam non reponit initium dilectionis, nisi post actus timoris, & spei: & SS. Patribus, & in primis ipsi S. Augustino, qui docet timorem a Deo incussum viam præparare sanctæ dilectioni, quæ nondum in cor peccatoris intravit. Sic fidei ipsius principium erit cupiditas noxia, nisi a charitate theologica saltem inchoata procedat, quod certe damnavit Clem. XI. ut vidimus, dum hanc Quesnellii propositionem proscripsit: *Fides non operatur nisi per charitatem*.

Pariter pro judicato, & definito constat aliquos motus esse agnoscendos in peccatoribus, aut etiam in infidelibus, qui a lumine naturali prodeunt, & qui peccata non sunt, nec reputari pro peccatis debent non modo quoad officium, sed etiam quoad finem. Unde in Bajo damnatum est quod dixerat, ut supra retulimus: *Omnia opera Infidelium esse peccata, & liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio nonnisi ad peccandum valere*. Si enim omnia a cupiditate noxia proveniunt, nisi adsit dilectio charitatis, cum illa charitas in infideli, qui non habet fidem, non resideat; sequitur omnem infidelis actum peccatum esse, & ejus liberum arbitrium non valere nisi ad peccandum; quod condemnationem latam incurrit, & eo magis incurrit, quod iidem errores fuerunt renovati a Quesnellio in ejus propositionibus 39. 40. 41. & 42.; quas supra retulimus, & quibus omnino concordant principia, & propositiones utriusque Theologi. Patet sufficienter ex iis, quæ retulimus. Addemus quædam ex utroque. *Cum in praxi*, inquit F. Bellelli, *& in individuo voluntas deliberata agens, indifferens, & media esse non possit; proinde fit, ut carens omni adjutorio gratiæ ad Deum amandum in amorem mundi pravum inordinatumque, seu in philautiam suis viribus incidat*, ac peccet. Et in alio opusculo: *Omnis fruitio, seu dilectio, & amor Dei tanquam finis creaturæ rationalis aut est charitas bona, aut cupiditas mala*. F. autem Berti sodali suo concordat: *Practice loquendo*, inquit, *affirmo nunquam hominem lapsum agere..... Quoniam sine hujus delectationis dono prævalebit rationi concupiscentia*. Notandum quod hic sub nomine dilectionis veram uterque caritatem intelligant, & charitatem proprie dictam, ut supra ostendimus, & sine hac charitate omnia a cupiditate infecta esse judicant. 3 *De m. rep. To. 1. p. 402.* *De st. n. rat. ante pec. p. 352.* *Bev. To. 3. p. 402.*

Hæc autem utriusque dogmata explanari, & sustineri non possunt, nisi aut admittendo charitatem Theologicam saltem inchoatam in iis, qui nequidem prima fidei lumina acceperunt, quod ridiculum est, & ab omni ratione Theologica alienum; aut cupiditati noxiæ attribuendo quicquid infideles lumine naturali inducti operantur juxta leges æquitatis, probitatis, humanitatis, & misericordiæ. Quod ipsissimus est error in Bajo, & in Quesnellio damnatus.

VII.

De censuris in sensum exoticum detortis.

Aliter F. Berti censuras eludere conatur illas ad sensum exoticum detorquendo, scilicet ad errores, quos Bajo, & Quesnellio tribuit, de quibus nequidem cogitaverunt, ut hac arte errores, quos adoptat, a censura eximere possit. Utrique enim imputat 1. quod dicendo non esse nisi *duos amores* charitatem, & cupiditatem, intendebant negare amorem naturalem, quo omnes in suam beatitudinem feruntur; quemque licet animis omnium insitum per peccatum Originale periisse supponebant. 2. quod contendebant illum amorem esse liberum ea libertate, quæ sufficiat ad demeritum. *Datur*, inquit, *amor naturalis, quo animus fertur in beatitudinem... hic amor non est a gratia, nec liber ea libertate, quæ sufficit ad meritum, ut Bajus, Quesnel. & Jansen. commenti sunt*. Novatoribus illis imponit. Nusquam eo deliramenti pervenerunt, ut negarent esse in homine innatum amorem suæ beatitudinis, qui in eo non est liber; multo minus dixerunt illum amorem esse liberum. I *To. 3. l. 18. c. 4. p. 415.*

Porro qui ita infideliter censuram erroribus chimericis applicat, eo ipso erroribus veris patrocinium conciliare se probat.

Eodem modo respondet objicienti condemnationem hujus prop. Baji: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*. Et huic Quesn. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia* Liberatoris, & imputat utrique sensisse liberum arbitrium nequidem posse beatitudinem suam naturali instinctu appetere. *Liberum arbitrium*, inquit, *sine gratia potest beatitudinem suam appetere naturali instinctu.... potest actus plures indeliberatos peragere, quos culpabiles Bajus, & Quesnel. impie dixerunt*. Si ab eo exigeretur, ut ostenderet ubi, & quando hæc docuit Quesnel. deficeret sane. Aliud ibidem æquale deliramentum Quesnellio tribuit, quasi negasset hominem sine gratia posse exercere bona opera, & implere præcepta quoad *substantiam, & ex officio*. Quæ quidem calumniæ eo tendunt, ut verum objectum censurarum oculis lectorum subtrahatur, & ut iisdem censuris chimericos errores percelli suadeatur. *Ibid. cap. 3. p. 420.*

Eadem arte, & dolo utitur pluries F. Bellelli, dum discutere aggreditur Quesnelli propositiones in specie, ut eas impugnet, in rei veritate ut plures errores a Clem. XI. proscriptos propugnet. Etenim ne veri errores a Bulla *Unigenitus* damnati appareant, propositiones Quesnellii ad sensus peregrinos detorquet, quos nec Quesnellius, nec ejus asseclæ unquam intenderunt. Pauca exempla hujus malæ artis addere præcedentibus sufficiat.

In 1. ejus propositione damnata legitur: *Quod sine gratia remanet in homine generalis impotentia ad omne opus bonum*. Hanc falsam prædicat F. Bellelli, *quia*, inquit, *remanet potestas faciendi opera moraliter ex officio bona*. Quasi aut Bajus, aut Quesnel. id negassent, de quo nullibi disputatur *To. 2. p. 36.*

ne

ne quidem cum Lutheranis. Eundem sensum imponit Quesnellio, ubi de censura propositionis 41.

Pag. 108. 114. 117. Prop. 39. Quesnelli sic habet: *Voluntas, quam gratia non prævenit, capax est omnis mali, incapax ad omne bonum*. Ut hujus propositionis, & etiam 38. censuram justificet, Quesnellio imputat locutum fuisse de gratia sanctificante, quod mera calumnia est. Insuper contra eundem conatur probare Infideles producere posse bona *opera ex officio*. Denique censet propositionem hæresim sapere. Nam *illa propositio*, inquit, *liberum arbitrium velut lapidem, vel truncum tanquam inanime sit quoddam, & mortuum significare videtur*. Quem sensum Quesnellio attribuere non modo falsum, sed & ridiculum est.

Differens de propositione 47. Quesn. hunc Novatorem impugnat quasi docuisset omnia Infidelium opera esse peccata gravia ex defectu gratiæ sanctificantis; & hoc addit, quod suo pravo systemati circa opera infidelium larvam omnino detrahit: *Qui levem in operibus infidelium sine gratia factis labem agnovere, ab hac Quesnelliana pravitate plurimum distant, & tanto magis quia Quesnellius de charitate sanctificante locutus est, qua absente omnia impie dixit esse peccata, ut jam sæpe observavimus*.

157. Sic F. Bellelli eludere conatur censurarum applicationem ubicumque suo systemati contrariæ sunt. In aliis materiis sæpe catholice Quesnellium, & cum æquitate insectatur. Verum zelo, quem commonstrat, diffidendum est, ubi toties censurarum applicationem ad errores chimericos detorquet; quod est & simplicitati discipulorum, & etiam constitutionibus S. Sedis illudere.

VIII.

De Baji erroribus renovatis circa statum naturæ puræ.

Eadem methodo F. Bellelli, & F. Berti censuras eludere conantur datas in Baji doctrinam circa statum, quem Theologi nominant *naturæ puræ statum*. In hac materia peccaverat Bajus, quod gratiam sanctificantem, immortalitatem, & destinationem ad visionem beatificam naturæ innocenti ita debitas sustineret, ut illas dotes Deus Adam non impertiri non potuisset illæsis attributis bonitatis, justitiæ, providentiæ, quæ in Deo sunt. In hoc derogabat omnipotentiæ divinæ; & Adamum quodammodo dispensabat a gratitudine, quam Deo debebat pro donis illis, quæ a benevolentia pura Dei acceperat. In hoc peccasse visus est Bajus a summis Pontificibus, qui ejus in hac materia propositiones damnaverunt plaudente Ecclesia.

Ut ergo hanc damnationem a Bajo averteret, huic errorem imputare tentavit, cujus Bajus innocens videtur cuilibet ejus opera pervolventi. Illi ergo imputat quod gratiam, & cætera dona contenderit ad Adamum pertinuisse quasi naturæ dotes, sicut ceteræ proprietates naturæ rationalis; non vero ut dotes quæ ordinem naturalem superarent, & essent sua natura supernaturales. Hoc autem omnino alienum erat a mente Baji, qui unum docebat indignum sibi videri providentiæ & justitiæ Dei creaturam rationalem innocentem absque illis dotibus creari, & illam morti obnoxiam.

Eodem dolo utuntur FF. Theologi, ut Baji doctrinæ damnationem eludant, censuras Pontificias ad errorem chimericum detorquent, & spretis censuris solemnibus sustinere pergunt creaturam rationalem a Deo creari non potuisse sine gratia sanctificante, aut saltem sine auxiliis ad eam obtinendam requisitis; morti quoque obnoxiam, & sine destinatione ad adoptionem, & visionem Dei cælestem. Hoc est, quod damnavit Ecclesia, ut patet legenti propositiones a S. Pio V. damnatas. Ita Bajus.

Prop. 21. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ Naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*.

Prop. 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita &c.*

Prop. 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*.

Prop. 78. *Immortalitas primi hominis ..... naturalis conditio*.

Prop. 69. *Omnes omnino justorum afflictiones ... &c.*

Bajum exscripserat Quesnellius docendo propositione 34. *Gratiam Adami fuisse sequelam creationis, &c.*

Et propositione 70. *Nunquam Deus affligit Innocentes &c.....*

Ecclesiæ visum est illum contra gratitudinem peccare, qui agnoscere renuit immortalitatem, gratiam sanctificantem, *destinationem* ad Beatitudinem æternam fuisse in Adamo munera Dei gratuita, quæ naturæ humanæ pro suo in creaturas dominio denegare potuisset. Ideo illæ propositiones labe ingratitudinis infectæ, & quæ Omnipotentiæ divinæ metas ponunt, damnatæ fuerunt. Unde Catholici DD. concluserunt *naturæ puræ*, ut ajunt, *possibilitatem*.

Damnatam doctrinam instaurare non verentur ambo illi Theologi. Ac primo immortalitatem, & immunitatem a pœnis hujus vitæ debitam Adamo innocenti docet aperte F. Bellelli: *Nunquam*, inquit, *sub Deo justo Creatura rationalis misera esse potest, si non peccat, & culpa sua miseriam tanquam pœnam mereatur*. F. Berti thesim eandem pro probabili dare tentat: *supposita divina providentia, & superiore hominis parte .... sine culpa subjici morti*. Quasi probabilitas inesse possit propositioni adeo clare damnatæ in 69. Baji & in 70. Quesnelli. *De st. cr. rat. a. pecc. l. 3. c. 8.* *T. 2. p. 565.*

Adoptionem, gratiam sanctificantem, & destinationem ad gloriam debitam Adamo innocenti sustinet F. Bellelli: *Quoniam*, inquit, *rationalis creatura, eo ipso quod imago Dei est, excellentissimum finem habet, qui ..... indigna adjutorio reddatur .... Merito hujus providentiæ, & naturalis ordinationis contendimus supernaturalia ..... Ut proinde pura natura repugnet*. *Bell. de st. n. rat. ant. pecc. l. 3. cap. 12. p. 412.*

Ibidem sic adhuc pronunciat: *rationalis creatura est imago Dei viva, & vera, quæ utique propter aliquam felicitatem est condita. Non enim misera, & propter miseriam condi potuit, quin eo ipso Deus rectissimus perversitatis arguendus esset, omnisque, quod absit, creaturæ perversitas, & defectio in ipsum conditorem esset revocanda*. *De st. cr. rat. ante pecc. l. 3. cap. 8.*

Et cap. 12. *Sed quoniam beatitudinem tam excellentem magnitudini, & capacitati imaginis Dei congruentem ..... Hinc est quod elevatio ad media naturalis creaturæ dicenda non est, cum sit gratia naturæ adjuncta*. *l. 3. c. 12. p. 416.*

Idem inculcat alibi: *Per seipsam ergo rationalis creatura constituitur sancta, & justa veluti negative, hoc est sine culpa. At formaliter sancta fit per gratiam adoptionis, quæ ex lege rectissimæ providentiæ Imagini Dei omni culpa carenti denegari non potest. Igitur concedimus gratiam adoptionis esse debitam rationali creaturæ prout stat sub recto ordine providentiæ divinæ, sed negamus inde consequens fieri esse naturam*. *Item de st. cr. rat. ante pec. p. 468.*

Paulo post: *Dicendum est teneri Deum lege providentiæ suæ, ut creaturæ rationali innocenti quantumvis servæ gratiam adoptionis, aliaque dona necessario impertiatur*. *Ibid. p. 472.*

Hic supersedere animus est, non quod deficiant alia in *utroque Theologo* juste carpenda, & improbanda, sed brevitati studere cogimur, cum ea, quæ protulimus, abunde sufficiant, ut sanæ doctrinæ amatores intelligant illam sub ementito zelo pro Apostolicis Constitutionibus sæpius ab utroque Theologo pessumdari; falsas doctrinas Baji, Jansenii, & Quesnelli renovari ab iis ipsis, qui illas insectari ardenter se simulant; denique doctrinam, quam dicunt Catholicam ab illis ita exponi, ut quilibet horum trium Novatorum discipulus illam ultro amplecti possit absque eo, quod errores in illorum libris damnatos ejuret, & deserat.

His omnibus consideratis, & mature perpensis, Dei nomine prius invocato, & vocatis in consilium plurimis doctissimis viris, & in sacra Theologia peritissimis, prædictos libros sic inscriptos: *Mens Augustini de statu naturæ ante peccatum &c. Mens Augustini de modo reparationis &c. Joannis Laur. Berti de Theologicis Disciplinis &c.* tamquam continentes propositiones falsas, captiosas, subdole confictas, male sonantes, perniciosas, constitutionibus Apostolicis derogantes, & iis injuriosas, Jansenianis, & Quesnellianis faventes, hæresim sapientes, pluries damnatas, erroneas, hæresi proximas, hæreses in libro Jansenii contentas, & in eo proscriptas in ipso sensu, in quo damnatæ sunt, innovantes judicamus, & ut tales respective damnamus. Mandantes &c.

Datum Senonis sub signo nostro Cameræ nostræ Sigillo, & Secretarii nostri chirographo Anno Domini 1750. in die annunciationi B. M. V. dicata quinta Aprilis.

Signatum ✠ F. Joseph Archiepiscopus Senonensis.
De mandato D. D. Archiepiscopi Senonensis.

A. D.

AD SANCTISSIMUM PONTIFICEM BENEDICTUM XIV.

EPISTOLA PRIMA.

SANCTISSIME PATER.

JAm triginta, & amplius anni effluxerunt, a quibus, opitulante Deo, adversus eos, qui in hoc Regno sanctæ Sedi inimicos, & Constitutioni *Unigenitus* rebelles, & ab ea ad Concilium appellantes sese declaraverunt, pugnare non cessavi. Meæ hac in causa Institutiones pastorales, & varia opuscula Sanctitati vestræ ignota non fuerunt. Evolventi enim mihi ejus varia Opera tam sapienter, quam docte, & solide scripta, nonnulla occurrerunt, quibus de scriptis meis aliquid cum honore allegare, & laudare, Sanctissime Pater, non es dedignatus. Aliunde non ignorat Sanctitas Vestra quomodo bonæ memoriæ Decessor vester Benedictus XIII. Scriptiunculis meis suam benedictionem cum laude impertiendo, mihi ad eandem pugnam continuandam animos addidit.

Victoriis, quas causæ evidens æquitas, & Sanctæ Sedis benedictio nobis pepererat, pacifice fruebamur, cum Fratrum *Bellelli*, *& Berti* Scripta theologica Quesnellianis nostris innotuerunt, & ei Sectæ animos addiderunt, quæ antea sub auctoritate damnante fere oppressa videbatur. Illic viderunt & summo legerunt, ac exceperunt gaudio illa effugia, subtilitatesque, quibus uti solebat inter nos Secta versipellis, quasque pluries detexeramus, & contriveramus; & in illorum duorum Theologorum operibus exemplum, & præsidium reperisse sibi plauserunt.

Verum est quidem quod illi duo Fratres magno zelo pro Constitutione *Unigenitus*, & pro impetendis Quesnellii propositionibus excitari se monstrare conati sunt. Sed hujus Sectæ versutias minus experti, plura illius principia, & dogmata adoptarunt ignorantes; atque de libertate, de gratia, de possibilitate mandatorum, de voluntate Dei, & redemptionis Christi pro salute fidelium, qui pereunt, de duarum delectationum systemate a quo tot fluunt errores, easdem conclusiones, & solutiones admiserunt, quas Jansenii assectæ admittere non recusant, ut damnationem videantur effugere absque eo quod erroribus suis renuncient. Ita Jansenii dogma paululum captiosis responsionibus obvelantes, ipsius fundum intactum reliquerunt, atque ad errores chimericos sanctæ Sedis Decreta, & censuras detorserunt.

Nos vero qui per tot disputationis annos experientia frequenti novimus, quæ sit hujus sectæ varities, & astutia, non nisi cum intimo dolore easdem artes, & suffugia in horum duorum Theologorum scriptis deprehendimus. Zelus noster adversus novitates huic Regno tam exitiosas exarsit, & exardere debuit. Timuimus prudenter ne fideles curis nostris commissi Novatorum errores ex his Libris haurirent, quos liberos, & quasi approbatos viderent in his Ecclesiæ partibus, in quibus sana doctrina quasi in suo centro habitare, & requiescere confidunt.

Sed quid zelus noster, etiamsi usu, & experientia instructus, poterit esse remedii, nisi ab illo secundetur, cui Christus *confirmandi fratres suos* potestatem, & auctoritatem concessit, cuique certantibus pro fide succurrendi onus imposuit? Ad hoc enim Petri Sedi uberiorem scientiæ, & potestatis abundantiam distribuit, ut & agnos, & oves per pascua salubria deduceret, & a noxiis averteret. Nos ergo, qui Pastores erga populos, erga Petrum oves sumus, sub ejus pede confidenter ambulabimus, & ejus patrocinio suffulti, lupos ipsos a grege arcebimus securi.

Porro eo confidentius a Vestra Sanctitate præsidium, & lumen expectamus, quod per ea, quæ abunde, & sapienter pro Ecclesiæ utilitate conscripsit, te, Sancte Pater, a Deo ante pontificatum, præparatum intelligamus, ut toti Ecclesiæ, & scientia simul, & auctoritate prælucerés. Ita obsequentissimus noster erga sanctam Sedem animus, si augeri posset, certe aliquid incrementi ex multiplici Sanctitatis vestræ eruditione acciperet.

Hoc ergo obedientis animi motu ad pedes Sanctitatis vestræ meum de Theologicis duorum Fratrum judicium audeo proferre; quæ certe solemnibus Ecclesiæ definitionibus exitiosæ forent, nisi ex Episcoporum collegio aliquid emergeret, quod errori per astutias grassanti obicem poneret, & pararet remedium. Nos ad hoc a Spiritu Sancto positos super speculam intelligimus, ut, docente Propheta, gladium venientem super Israel a longe prævideamus, & populum clamoribus nostris servemus a periculo. Sed si speculatoris est vigilare, & commonere, ejus est quoque ad exercitus præcipuum Ducem, ad ovium Pastorem primum quæ videt, & prævidet denuntiare.

Hoc igitur utrumque zeli nostri, & officii munus simul adimplemus, alterum vigilantiæ erga succrescentes in terris nostris errores; alterum obsequii, & reverentiæ erga Sanctissimam Sedem. Primum auctoritatis, ut ita dicam, gradum adimplemus nostro judicio, quo errori grassanti frænum imponere festinamus. At Sanctæ Sedis erit Auctoritatem supremam curis nostris addere, & supereminenti suffragio omnibus populis venerando, quæ fidei integritati apud nos necessarium duximus, confirmare. Unde liceat meis precibus finem imponendo Sanctitati vestræ dicere quod olim Augustinus ad Sanctum Innocentium Pontificem scribebat: *Non rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus; sed utrum noster licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum; hoc a te probare volumus.*

Ergo in omni humilitatis, & obedientiæ affectu ad Sanctitatis Vestræ pedes provolutus, illos amantissime amplector, & enixe rogo ut & me, & zelum pro servanda apud nos fide sancta, vestra benedictione coronare digneris; quod humillime precor.

AD SANCTISSIMUM PONTIFICEM BENEDICTUM XIV.

EPISTOLA SECUNDA.

SANCTISSIME PATER.

Rescente scandalo, crescere debet illorum sollicitudo, & zelus, quos Spiritus Sanctus in Ecclesia fidei, & doctrinæ sub sanctæ Sedis auctoritate, custodes, & defensores constituit. Per Prophetam non modo ut vigilemus, jussit; non modo ut *gladium venientem super castra Israel annuntiemus*, caveamusque; sed ut *clamemus, & exaltemus in fortitudine voces nostras*. Hæc est causa, cur ad pedes S.V. provolutus, periculum, quod sanæ fidei, & Apostolicis Constitutionibus imminet ex parte operum FF. *Bellelli, & Berti*, exponam, & urgeam iterum, licet importunus videri possim. Jam monuimus, non ego solus, sed longe ante eminentissimus Cardinalis *de Tencin*, quem scientia eximia, & celebres cum Appellantibus pugnæ Ecclesiæ Gallicanæ charum fecerunt; & fato functus Archiepiscopus Viennensis, vir & scientia theologica, & multiplici pietate, & charitate conspicuus, quos in hoc zeli ministerio subsequi gloriabor. Restat ut monente Apostolo, *instemus, arguamus, obsecremus*, imo ea, quæ me decet, modestia, *increpemus, non opportune modo, sed & importune*. Hoc enim & summum, & præsens fidei periculum exigit. Non enim ignorat S. V. quod unus ex sanctissimis suis Decessoribus pronuntiabat: *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minime defenditur, opprimitur*.

In priori mea ad S. V. Epistola, ut intelligeret quantum ex horum Fratrum operibus immineret fidei periculum; exposueram quod illorum doctrina ita Jansenianorum erroribus faveret, ut sine dubio illam ultro adoptarent, absque eo, quod erroribus suis, & Jansenii dogmatibus renuntiarent, & Ecclesiæ Romanæ in causis Baji, Jansenii, & Quesnellii, latis judiciis se se obsequendo obligarent. Id conjectare facile nobis erat, qui illius sectæ subtilia effugia, & vafritiem sæpius experti sumus, & deteximus; quippe per tot annos in illa confutanda laboravimus. Verum quod tunc quasi vaticinando prædicebamus, effectu confirmatur hodie, & vaticinium quasi in prophetiam evasit. Etenim unus inter Appellantes celebris, novo Libello, nomine totius sectæ declarare ausus est Appellantium doctrinam omnino cum duorum Fratrum Theologia concordare, & nihil circa dogmata per Apostolicas suo modo explicatas Constitutiones præscripta se sentire ac docere, quam ea, quæ illi duo Theologi in Theologicis suis disciplinis statuerunt.

Hunc præcesserat Episcopus Altissiodorensis sua Appellatione apud sanctam Sedem notus, qui in novissimo opusculo, in quo omnes antea expositos errores, & suam Appellationem refricando, auctoritate, & testimonio Fratris *Berti* tutari se conatur; *cujus*, inquit, *opera in Vaticano, cum omnibus solemnitatibus, & approbationibus quæ desiderari possent, typis sunt edita*. Sed quod ille, quasi per transennam annuntiare ausus est, illud ex professo exponere, & probare aggressus est novissime Auctor foliorum, quæ Jansenianorum *Gazula* nominatur, longo codice, quem periodicis nuntiis anni 1750. adjecit. *Epist. pag. 6. n. VIII.*

Quis, & qualis sit scriptor ille omnibus notum est, Baji, Jansenii, & Quesnellii sectator publicus; imo & ridiculorum Diaconi *Paris* miraculorum, & infamium convulsionum impudens defensor. Sese adhuc in hoc libello, illorum hæresiarcharum sectatorem sine fronte audet profiteri. Bajum ut *Doctorem venerandum* encomiis ornat. Archiepiscopo Viennensi quasi erranti, imo & sensui communi deroganti exprobrat quod *Sancti Pii quinti Bullam contra Bajum asseruerit ab universa Ecclesia fuisse probatam*. Jansenii libro non minus favet; ejus doctrinæ apologiam ex placitis Fratrum Bellelli, & Berti contexuit. *Nulla*, inquit, *justa exprobratio ejus sectatoribus opponi potest*, quin doctrina horum Theologorum revincatur, *etiam illorum, qui formulario Fidei pure, & simpliciter subsignare detrectant*. Horum pertinaciam excusat, tum *quia*, inquit, *Ecclesia de Jansenii facto non pronuntiavit, tum quia Ecclesia in his factis judicandis errare potest*. Imo cum aperto Bullæ Apostolicæ *Vineam Domini Sabaoth* contemptu pronunciat *Ecclesiam in talibus judiciis, obsequioso silentio esse contentam, & ita indubitanter* statutum per pacem a Clemente IX. seculo pristino initam. *pag. 14. pag. 4. pag. 15. & 16. pag. 16.*

Constitutionem *Unigenitus* omnibus improperiis prosequitur; hanc *perniciosam* nominat. *Hæc*, inquit, *quoquo modo inspiciatur, nullam utilitatem afferre potest, nec dissimulari potest, quibus præcipuas veritates circa doctrinam fidei, & morum disciplinam vulneribus impetiit*. Huic non nisi *auctoritatis phantasma permittit*, additque, *nihil magis chimericum, quam illa, quæ ei attribuitur, universæ Ecclesiæ acceptatio, & obedientia*. Sese ab illa cum sociis, quorum nomine loquitur, appellantem esse, & in Appellatione perseverare gloriatur. Porro has blasphemias his verbis concludere non veretur: *Sanctæ veritates, pro quibus pugnamus, & patimur, per Apologiam Patris Berti* triumphant. Et paulo post: *Illarum veritatum ruinam exitiosa huic Decreto attribuit, quo*, inquit, *intellecto, in sensu proprio, & nativo plura puncta ad fidei depositum pertinentia perimuntur*. *pag. 20. & 22. pag. 16. pag. 19. pag. 22.*

Porro qui tam impie in judicia Ecclesiæ insurgit, idem ille est, qui Fratrum *Bellelli, & Berti* apologiam contexuit, & eorum causam defendendam in se suscepit; quippe se ex Appellantium, & discipulorum Jansenii grege esse gloriando, simul declarat se nihil aliud sentire circa propositiones in Bajo, Jansenio, & Quesnellio damnatas, quam ea, quæ sentire se, & docere illi Fratres profitentur. *Pater Berti*, inquit, *idem nobiscum sentit, idem cum illo sentimus. Quidquid de charitate, de Gratia, de libero arbitrio pronuntiat, idem pronuntiamus. Quos errores rejicit, rejicimus. In uno solum ab eo dissentimus circa Bullæ Unigenitus sensum, super quo idem cum Archiepisc. Viennensi sentimus; scilicet quod dicta Bulla in suo sensu obvio, & nativo damnat doctrinam*, quam suæ sectæ *pretiosam* vocat. *pag. 19.*

Alibi sic loquitur: *Conspicientibus cælo, & terra declaramus, quod de duplici amore, de præcepto omnia implendi per charitatis motivum, de gratiæ necessitate, de operibus infidelium, de fide, quæ est prima gratia, de libertate ad merendum, & demerendum requisita, de hominum redemptione per Christum, nullam aliam tenemus doctrinam, nisi illam, quam P. Berti nomine Ordinis sui defendere aggressus est. Ejus triumphus noster est, & in hoc fundatur, quod fatente Archiepiscopo Viennensi, nostra doctrina ab illa, quam P. Berti profitetur, nihil differt*. *pag. 14.*

Æquali encomio prosequitur Fratris Bellelli Theologiam, & ei se omnino adhærere profitetur. *Ejus systema*, inquit, *illud est, quod vulgo Augustinianum vocatur, quod Jansenius secutus est, & post eum Theologi, qui Portus-Regii*, (de Port-royal) *vocantur*. Ex cujus Theologia quædam capita plaudendo exscribit inter alia: *Quod liberum arbitrium ad malum ita est inclinatum, ut non possit illam actionem Deo gratam producere, nisi gratia per se efficaci sit adjutum*. Quæ ipsissima verba sunt primæ propositionis in Quesnellii Libro damnatæ. *pag. 2. ibid.*

Quod *gratia illa per se efficax nemini debetur, nequidem justo, quia peccatum originale omnes homines illa reddit indignos*. In quo manifeste pugnat cum Apostolo dicente: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo*. Et alibi: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. *Rom. 3.*

Quod *Deus hominem creare non potuit sine charitate, & gratia sanctificante, neque addictum morti, & pœnis hujus vitæ*. Quæ omnino idem exprimunt, etiam conceptis verbis, quod in propositionibus 26. & 72. Baij, & 38. & 70. Quesnelli condemnatis exprimitur. *pag. 2.*

Non

Non in hoc solum temeritatem suam manifestat auctor ille, sed insuper audet asserere utriusque Fratris Theologi, & consequenter Baji, Jansenii, & Quesnellii doctrinam in ipsa principe Roma probari, & illic ab omni censura tutam esset. Sic
pag. 10. autem loquitur: *Dicta Apologia Patris Berti Romæ typis mandata est cum approbationibus, quibus*
pag. 15. *nihil desideratur*. Et postea: *Hæreses, quæ Jansenio tribuuntur, ipsi minime peculiares sunt; illas habet cum* PP. Bellelli, & Berti *communes. Unde sequitur illam hæresim nihil aliud esse, quam imaginariam hæresim. Etenim sub summi Pontificis oculis, & in totius Ecclesiæ conspectu P. Berti illam esse vere catholicam asseruit.*

Sic temerarius ille S. V. in testimonium vocat, & vestrum silentium, tolerantiamque pro approbatione valere asserit. Quod alibi inculcat adhuc ex-
pag. 21. pressius, cum ait: *Ex catholicitatis centro, a Spiritu Sancto vocem excitari quæ orbi universo annuntiat doctrinam illam, quam ut a Sancta Sede damnatam respicimus, non minus nunc in honore haberi quam ante recentium Bullarum tempora. Hoc clamat non Religiosus solus, sed totus Fratrum Augustinorum Ordo. Clamat multitudo Theologorum, quos pro sua defensione laudat P. Berti. Clamant Cardinales, Doctoresque, quibus a summo Pontifice Librorum utriusque Theologi examinandorum provincia demandata est; quique nihil in illis censura dignum invenerunt. Clamat ipse summus Pontifex, qui Apologiæ P. Berti editionem permisit, quia illius doctrinam ab omni suspicione liberam non dubitavit.*

Sic autem triumphum, quem sibi cum Fratribus
pag. 22. *Bellelli, & Berti* paravit, non veretur concludere dicendo *Ecclesiam* suo sinu fovere non *Appellantes* solum, sed etiam alios plures, qui doctrinæ SS. Augustini, & Thomæ adhærentes, purique a doctrinæ morum corruptela, Constitutionem *Unigenitus* indirecte proscribunt, absque eo quod a sancta Sede carpantur; imo cum ejus approbatione.

Quid ex his concludit impudens ille sanctæ Sedis calumniator? Concludit Jansenianorum sectam nullibi existere, nihil aliud esse, quam *chimeram*,
pag. 10. *& vanum phantasma*. Sic enim argumentatur: *Si Fratrum* Bellelli, & Berti *opiniones pro orthodoxis Romæ habentur: Jansenii secta nihil aliud est, quam inane phantasma, cum illius defensores nihil aliud doceant, quam quod illi duo Theologi docent; & quod hi duo Theologi respuunt, a Jansenii secta respuitur.*

Ab his improperiis, quibus sanctam Sedem maculare audet, horrebis sane, Sancte Pater, sed non sine *fructu salutem hauries ex inimicis nostris*; & intelliges tandem nos, qui a tot annis contra Jansenianorum sectam pugnamus, in detegendis eorum fraudibus, & in scrutandis ementitis illorum fidei professionibus, oculatiores fuisse præ illis Theologis Romæ degentibus, quibus examinandi duorum Fratrum opera provinciam commisisti. Non quod me illis doctiorem existimaverim, absit; sed quia illi, qui inter hæreticos versantur, & cum eis manus quotidie pugnando conserunt, illorum vafritiem, vana effugia, larvatas fidei confessiones sæpius experti, & penitius scrutantur, & certius insectantur. Sic olim Clerus Romanus cum Zosimo Pontifice, tum Cælestii, tum Pelagii confessiones fidei mirabantur, & vere Catholicas existimabant; quæ tamen ita subdole erant confictæ, ut hæresim suam
S. Aug. contra duas Epist. Pelagian. lib. 2. cap. 3. minime ejurarent. Tandem mala eorum fides *plenius & manifestius apparuit*, ut ait Augustinus, venientibus ex Africa litteris, *in qua Provincia horum calliditas evidentius innotuerat.*

Mirum ergo videri non debet, quod larvati homines ab iis, qui illorum frequentia non utuntur, non statim agnoscantur. Aliunde qui bona fide agunt, in aliis eandem præsumunt sinceritatem. Sic non longe ante Pontificatum S. V. quidam ex Dominicanorum familia, quos Archiepiscopus Aquensis, postea Parisiensis, & Archiepiscopus Viennensis ob Jansenii doctrinam censura notaverant, Romæ defensores repererunt, & non nisi post longas, & iteratas sollicitationes fuerunt coerciti, & castigati.

Qui Romæ Fratrum *Bellelli & Berti* opera theologica defendere aggrediuntur, illorum censores arguunt quasi Molinæ addictos, & Scholæ Thomisticæ infensos. Hæc est vetustissima, & sæpius a Jansenii, & Quesnellii sectatoribus repetita criminatio, & calumnia. Quotquot fuere, qui illos insectati sunt, illos pro Molinismi, & laxioris disciplinæ defensoribus traducere enixi sunt; simulque dogma perversum, quod statuunt, sancti Augustini, & S. Thomæ nomine insignire, & commendare falso conati sunt. Hæc est ars, qua contra Archiepiscopum Viennensem utitur adhuc idem scriptor. Errat sane in illo Archiepiscopo accusando, cujus opera a veris Thomistis probantur, & quæ Thomistarum systemati plane congruunt: Sed etsi aliquam ansam huic accusationi præbuisset, ille ego sum, in quem ne suspicio quidem Molinismi potest cadere. In his omnibus, quæ contra Appellantes a triginta annis abundanter conscripsi, Molinæ scholæ non inimicum, sed prorsus alienum me probavi. Thomistas Theologos præ cæteris laudavi, & in probationem adhibui. Nihil protuli quod systemati verorum Thomistarum, qui a Jansenio alieni sunt, repugnare videatur. Nihil ad fidem pertinere docui, nisi quod Thomistæ ad eam pertinere docuerunt. Imo aliquando me Thomistarum scholæ primas daturum professus sum, si Episcopum uni scholæ præ aliis nomen dare deceret; cum ejus sit muneris omnes, quas permittit Ecclesia, tutari, & libertati suæ permittere. Insuper aliquando clare, & præcise exposui, quæ, & quanta sit inter Thomistarum, & Jansenianorum systemata discrepantia. Me ergo ut Molinæ sectatorem traducere mera esset calumnia, quæ et iam a verisimili aberraret.

Porro hoc unum, & præcipuum ex his, quæ hic exposui S. V. concludere est theologicum systema duorum FF. *Bellelli, & Berti*, ut Baji, Jansenii, & Quesnelli systemati consentiens, eandem censuram non posse effugere. Censuræ ratio, & motivum ad evidentiam pervenit, cum illius sectæ defensores horum concordiam prædicare non verentur, & non fatentur modo, sed etiam gloriantur. Restat considerandum an S. V. silentio suo iis favebit, cum tale silentium hucusque servatum, iis triumphum quem sibi arrogant, præparaverit.

Sicut ergo olim Sophronius Jerosolymitanus per Episcopum Dorensem, quem Romam miserat, summum Pontificem Honorium humiliter, sed instanter rogabat ut grassanti in Oriente hæresi Monothelitarum remedium afferret: ita S. V. oro, atque instanter supplicare persevero, ut fidei periclitanti opem ferat, quam illi pro sua sublimi debet dignitate. Non longo examine opus est, ubi aperta est pernities, & habemus partem maximam reorum confitentem.

Times S. P. ne incendium in Ecclesia excitetur per horum Fratrum scriptorum damnationem, sed attendas, rogo, quod incendium jam excitatum est. Quod ut extinguas, aquam salutaris censuræ a te suppliciter exposcimus. Ecce Scriptor audet dicere *Italiam, Germaniam, Hungariam, Poloniam, Gal-* pag. 18.
liam, Hispaniam scatere Prælatis, & Doctoribus catholicis, qui idem sentiunt cum Fratribus Bellelli, & Berti, circa gratiam, & charitatem, quique saltem de illorum systemate judicant non esse damnatum. Suam exaggerationem in hoc fundat, quod Fratres ejusdem congregationis per multas universitates, & Academias dispersi, suorum confratrum Theologiam impune docent. Sed quo magis patet incendium perversæ doctrinæ, eo citius remedium adhibendum. Extinctum fuisset, si S. V. Gallicanis Antistitibus confidens, censura notasset libros, quorum Ecclesia non indigebat, quique in fidei perniciem, te silente, & quasi protegente, divulgati sunt. Prior Alexander Jerosolymitanus Arium condemnavit; prior Augustinus Pelagium; prior Sophronius Monothelitas; priores Episc. Gallicani Jansenium insectati sunt; nec puduit Romam illorum zelo applaudere, & sua posteriori, sed majori, imo & suprema auctoritate confirmare.

Idem S. P. a Sanctitatis vestræ zelo pro fide Catholica, pro Prædecessorum suorum Constitutionibus, pro Fidelium salute expectamus confidenter. Jam ætate provectus me delibari sentio, & forsan *tempus resolutionis meæ* instare. Ante Tribunal Christi doctrinam, quam a Sanctæ Sedis Constitutionibus hausi, integram portabo confidenter; sed simul testimonium proferam contra illos, qui ab aperta pernicie damnanda S. V. avertunt; quique exitiale silentium, & funestam fidei prudentiam suggerere non verentur; dum interea falsa doctrina, ut cancer serpit, & ita prævalere videtur, ut Jansenianí triumphent, & Sanctam Sedem sibi favere impie glorientur.

Sancte Pater

Sanctitatis vestræ

Humillimus, & Obsequentissimus

Servus, & Filius

Signatum ✠ J. Joseph Arch. Senonensis.

Senonis 25. Martii 1751.

IN

IN OPUSCULUM INSCRIPTUM

REVERENDISSIMI

JOANNIS JOSEPH LANGUET

ARCHIEPISCOPI SENONENSIS

JUDICIUM DE OPERIBUS THEOLOGICIS FF. BELLELLI, ET BERTI ÆQUISSIMA

HUJUS

EXPOSTULATIO.

Ponam in pondere judicium, & justitiam in mensura, & subvertet grando spem mendacii.
Isaias 28. 17.

IN OPUSCULUM INSCRIPTUM

REVERENDISSIMI

JOANNIS JOSEPH LANGUET

ARCHIEPISCOPI SENONENSIS

JUDICIUM

DE OPERIBUS THEOLOGICIS

FR. BELLELLI, ET BERTI

EQUISSIMA

HUJUS

EXPOSTULATIO.

LECTORI
S. D. APOLOGISTA.

Aucis te, Lector doctissime atque humanissime, moror in hujus Apologetici Operis aditu. Mihi adhuc Numinis beneficio in hac mortali vita degenti, minimo Augustinensis Instituti Professori, & diu quidem in Theologica palæstra exercitato, sed propriæ conscio imbecillitatis, cum Adversario vita functo, Sacerdotalibus infulis exornato, nominisque celebritate conspicuo, certamen est ineundum. Me non latet nefas esse sacros mortuorum cineres ventilare: sed inhonestum ac turpe est iniquas hæreseos insimulationes surdis auribus excipere, & tolerare animo imperturbato, atque sensus experti. Sine itaque me, quæ permanent, Scripta refellere, piisque Auctoris manibus requiem, superumque beatitatem Christiana caritate apprecari. Si quæras, cur post ejus obitum ad Vindicias istas conscribendas animum applicuerim; certiorem te reddent litterariæ Galliarum Ephemerides, Judicium *istud, licet editum anno* 1750. *non fuisse tamen a Senonensi Antistite promulgatum, & perpauca duntaxat exemplaria paulo ante illius mortem furtim per Lugdunensem provinciam erupisse. Sollertiæ hujus ac tarditatis, modo totam hanc* Expostulactionem *pervolutare non dedigneris, caussam intelliges. Edita postmodum cuncta præclari Antistitis Opera in unum collecta, quale in florentissimo Galliarum regno fatum subierint, nec prostent apud Italos bibliopolas, neminem puto ignorare. Ubi superioribus diebus accepi asservari illa in amplissima Romanæ Urbis Bibliotheca, dedi operam, ut inde quæ ad me spectant exscripta quamprimum ad manus meas deferrentur. Morem autem mihi gessit amicorum omnium optimus, cui gratias refero maximas. Perlectis animadversionibus Censoris, miratus sum nihil aliud in iis comprehendi, præter Excerpta illa, quæ a vaferrimo insimulatore mutilata, & a fontibus divulsa suis, alteri Galliarum Præsuli cœnosa atque infecta apparuerunt. Quamquam vero impostori satis superque satisfactum est dissertationibus aliis; eadem nihilominus semel iterumque repetitur cantilena, non alia utique ab ea, quam Vincentio & Collatore modulantibus cœpit quinto Ecclesiæ seculo apud Massilienses personare. Tunc autem jubente Cælestino sonitum cohibuit hypocrisis: nunc Clementis & Benedicti spretis sanctionibus, tubas inflat & obstrepit. Spero fore, ut dissensiones hujusmodi tandem aliquando cessent, & concordi Theologorum sensu exagitentur nefaria dogmata. Me semper Supremus Ecclesiæ Rector adinveniet obtemperantem. Si me erravisse pronuntiet; retractabo quæ scripsi: si nobis silentium indixerit, silebo: si caussam mihi adjudicabit, nulla in me erit ostentatio aut jactantia: si proscripserit victricis delectationis systema, sive quæ controvertuntur reliqua, repugnantia in me erit nulla, nullaque anxitudo. Etenim nihil existimo honestum magis & decorum, quam Ejus, a quo Catholici reguntur, jussa capessere. Interim quod a natura cuique inditum esse reor, objectas criminationes retundere adnitar, mediocriter saltem, ac temperanter. Illas ne forte a me fraude, vel artificio suspiceris eludi, ut inofficiosi scriptitant aliqui; ipsius Conviciatoris usurpatis verbis, præmittam. Num castigatæ sint, num veritatis studium, num Archiepiscopi gravitatem, num denique prudentiam & moderationem præseferant, tuum erit dijudicare. Te rogo, obtestorque tantummodo, ut cum aliena, tum mea, verboso, inscio, ineptoque Historico accuratior evolvas, & conferas diligentior. Ceterum aut nostræ adhæreas, aut adverseris sententiæ, nihil mea interest. Postulo hoc unum, ut reprobata dogmata a placitis Scholarum secernas; non vero accenseas prava dogmatizantibus, quod audent hac tempestate plerique, sectantem vestigia sanctissimi æque ac sapientissimi Pelagianorum debellatoris. Id si feceris, non te amicum tantum, sed & amicissimum Judicabo.*

INDEX CAPITUM

Qui in hoc Libro continentur.

CAP. I. *De voluntate Dei circa salutem hominum, & Christi redemptionem.* Pag. 21
CAP. II. *De merito, & demerito, & libertate ad utrumque requisita.* 26
CAP. III. *De efficacia gratiæ, & gratia sufficiente.* 31
CAP. IV. *De possibilitate mandatorum Dei per gratiam.* 33
CAP. V. *De Caritate Theologica, & ejus necessitate a duobus Theologis inducta pro quolibet opere bono etiam moraliter.* 34
CAP. VI. *De actibus timoris, fidei, spei.* 37
CAP. VII. *De Censuris in sensum exoticum detortis.* 39
CAP. VIII. *De Baji erroribus renovatis circa statum naturæ puræ.* 42

Idem in Appendice.

CAP. I. *Ex doctrina ipsius Adversarii demonstratur Augustiniani systematis indemnitas, & rectitudo.* Pag. 49
CAP. II. *An systema duarum delectationum fuerit ab Ecclesia damnatum.* 53
CAP. III. *De duabus ad Benedictum XIV. Pontificem Maximum Epistolis Archiepiscopi Senonensis.* 58

ADPROBATIO.

HO letto la presente doglianza Apologetica del Reverendiss. P. M. Berti Agostiniano, fieramente attaccato dalla fel. mem. dell' Arcivescovo Languet, come porta il Titolo: *Judicium &c.* e l' ho trovata quale la supposi all' udire chi ne era l' Autore; tanta e tanto ben fondata è la fama di questo grand' Uomo, gloria, e splendore dell' illustre Ordine suo, e della insigne Università di cui è Professore. Il Reverendissimo P. Maestro Berti, e i suoi Libri, sono approvati dal gran Cardinale Noris, da Tomisti dottissimi, e fino in gran parte di ciò, che è in disputa, da' primi Gesuiti, da un Suarez, da un Vasquez ec. Non so come possa tacciarsi chi ha in suo favore molti Scrittori Ortodossi, e più Scuole e Comunità accreditate nella Chiesa Cattolica. Dunque, a mio giudizio, quest' Opera è di sana dottrina; l' Autore sempre più fa conoscere quanto sia unito alla Sede Apostolica, cioè al centro dell' Unità, e il Libro o Giudizio contrario porta falsamente in fronte il Nome di un gran Prelato, per ingannare i più semplici. Concorro coll' eruditissimo Autore a giudicare il Libro dell' Avversario, un' Opera di qualche Teologo di minor dignità, e pieno di pregiudizj, e di parzialità, e agitato da spirito di partito: un simile spirito che fa ora gran male nella Chiesa, non merita d' essere ormai più considerato. Così stimo ec. rimettendomi ec.

In Pisa ec. 21. Febb. 1756.

Io F. Tommaso V. Moniglia de' Predicatori M. di S. Teolog. e Pubbl. Profess. dell' Università ec. Mano propria.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ARCHIEPISCOPUS.

ON sine intimo doloris sensu in libris Theologicis FF. Bellelli, & Berti ex Augustinianorum familia deprehendimus plerosque renovatos errores Baji, Jansenii, & Quesnellii, toties a Sede Apostolica, & Episcopalibus judiciis profligatos. Temeritatem tantam in viris Religiosis, præsertim qui in Italia libros suos publicarunt, nusquam suspicari, ne dum credere potuissemus, nisi diligenti illorum Scriptorum lectione perversa doctrina nobis manifesta apparuisset. Porro cum Episcopos super speculam positos *sciamus, ut* gladium venientem *a longe prospiciant, & populis sibi commissis omni studio caveant; non est fas nobis ea, quæ fidei noxia sunt, dissimulare, quocunque loco appareant. Etenim* Ecclesia Dei, *ut ait Augustinus epist.* 55. quæ sunt contra fidem, & bonam vitam non approbat, nec tacet. *Sane Religiosis Viris, & Ordini Sanctissimo addictis parcere dissimulando desideraremus, nisi venenum ovibus Christi paratum, & jam apud nos serpere incipiens a nobis exegisset, ut postquam errores in Regionibus nostris grassantes reprimere conati sumus, eosdem denuo grassaturos omni vi, & opera propellere conaremur.*

Maturo igitur examine libris Theologicis FF. Bellelli & Berti ponderatis, judicavimus illos Auctores in pluribus contra sanam doctrinam, & orthodoxam peccasse, principia nova, temeraria, & noxia proferendo; erroribus in quinque libri Jansenii propositionibus contentis favendo; eosdem errores aliquando subdole, aliquando aperte propugnando; veritatem Catholicam contra Baji, & Quesnellii placita assertam dissimulando, & tali arte, ut horum Novatorum Sectatores Fratrum placita facile adoptare parati sint sine errorum suorum ejuratione. Quod quidem aliquot exemplis inter plurima selectis apparebit.

F. JOANNES LAURENTIUS.

Quæ Opera ea sint, de quibus Cl. Senonensis Antistes profert judicium, neminem puto latere. Prodierunt illa in lucem, non furtivis typis, sed in urbe Roma, ubi Sedes est Pontificis Maximi, catholicæ fidei regula, & Cathedra veritatis. Antea, & post editionem suam approbata fuere, non a proletariis, & parti addictis Censoribus, sed ab iis, qui sapientiæ, atque probitatis laude conspicui sunt, inter Congregationes, ad quas attinet dogmatum librorumque discussio, adlectis, ac saltem tribus ob doctrinæ celebritatem Vaticana purpura ornatis. Ad trutinam rursus revocata fuere post Anonymi, qui sese tandem prodidit Præsulem Viennensem, cum prælo commissis, tum privatis aliis, & longe gravioribus censuris, & ab omni prorsus errore declarata fuerunt immunia. Irrogatur idcirco injuria atrox, atque inexpiabilis curæ, solicitudini, & vigilantiæ Sanctissimi æque, ac Sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. ab iis, qui audent asserere, eumdem in ventilandis dijudicandisque prælaudatis Operibus usum fuisse nimia erga nos conniventia, adeo ut nostri caussa patrocinium deseruerit veritatis, fideique pericula non averterit. Iniquum sane de tanto Pastore judicium. Testor enim me in Ipso, præsertim antequam apologeticas Dissertationes conscriberem, severioris potius Judicis æquitatem, quam Defensoris (etsi veritatis defensor est maximus) anxietudinem fuisse expertum. Id tamen in doctrinæ meæ munimentum decusque cedit: nam si appensa ad stateram, & rigidissimo subjecta examini nulla est animadversione dispuncta; profecto non scatet damnatis illis erroribus, quibus undique conspersam & maculatam pronuntiat am-

plissimus Archiepiscopus Senonensium. Quare nihil in caussa erat, cur is intimo afficeretur doloris sensu, sed potius ut de nostra gratularetur orthodoxia, ac tandem aliquando cognosceret se plurium annorum spatio infeliciter contra Jansenianos pugnasse; dum in his contenderet inflictum vulnus Augustinianæ doctrinæ, quæ, velit, nolit, inconcussa est, neque adversariorum arma formidat.

Quid enim opus erat triginta annorum intervallo contrà Quesnellii factionem certamine inito, omnem adhibere conatum, ut impugnaret systema duarum delectationum, impossibilitatem status naturæ, quam *puram* vocant, bonorumque operum necessariam in Deum, creaturæ rationalis finem ultimum, relationem? An ignorabat Antistes haud mediocriter in Theologorum lucubrationibus, ut opinor, versatus, hæc a Catholicis DD. propugnari, puta duarum delectationum systema ab Antonino Massouliè, cujus Opera Congregationis S. Officii accuratissimo examine approbata fuerunt, impossibilitate status *puræ* naturæ in tota Schola Ægidii numquam in erroris suspicionem adducta, & relationem actionum humanarum in Deum a Synodo Provinciæ suæ Senonensis, ab omnibus Galliarum Episcopis, qui damnarunt Apologiam Casuistarum, atque ab Episcopis centum, qui anno 1720. Bullam *Unigenitus* explicarunt, quorum Languetius ipse unus fuit, approbatam fuisse? Si hæc vir illustris non ignorabat; ut quid ansam præbere adversariis defendendi sese clypeo Augustinensium doctrinæ? Non utique arma tam diuturno certamine frustra tractasset, neque occasionem exhibuisset hostibus, non illum refutandi duntaxat, sed irridendi quoque, & me, meumque sodalem advocandi in sui patrocinium: quod fecere non tantum in additione ad Ephemerides Ecclesiasticas anni 1750. quas idem eloquentissime *Gazulam* vocat, verum etiam luculentius in Additamento ad annum 1753. ubi hoc ipsum Judicium cum suo, nostroque dedecore in caput auctoris sui retorquetur. Etenim oportebat expedite, & directe residuam Quesnellianam phalangem ita impetere; Verum ut sit systema duarum delectationum; quæ gradu superior est, nequaquam obstringit liberum arbitrium vinculo necessitatis: Sit probabilis opinio statum naturæ *puræ* rejiciens; ex hac tamen non consequitur, aut primum hominem non fuisse exaltatum in divinæ naturæ consortium dono aliquo supernaturali, aut priorem integritatem fuisse conditionem naturæ, aut gratiam collatam Adæ sequelam creationis, aptam producere merita tantummodo humana: in Deum quoque referenda esse, caritate saltem virtuali, opera deliberata, sententia talis est, ut absque nota temeritatis, ut inquiunt Centum Galliarum Episcopi, nequeat reprehendi; at non inde infertur omnia, quæ ex caritate non fiunt, proficisci & corrumpi a vitiosa cupiditate. His, quæ nostræ doctrinæ capita sunt, strenuus bellator jugulum inimicorum petiisset; nam hi ex veris principiis falsas inferunt consecutiones, quemadmodum ex divinis prædefinitionibus Calviniani, scilicet ajunt vividiori delectatione perimi libertatem indifferentiæ; primam creaturæ rationalis integritatem non fuisse supernaturale beneficium, sed conditionem naturæ, cunctaque opera, quæ ex caritate non fiunt, a cupiditate prædominante corrumpi. Ideo itaque Quesnellii reliquiæ clypeo nostro se protegunt; quoniam nonnulli principia, quæ innoxia sunt, arbitrantur esse damnata; atque ita aerem verberantes more andabatarum decertant, effugia suppeditant adversariis, non eos superant, sed reddunt pervicaciores, quoniam una simul Catholicos insectantur, & bonam agunt caussam, non bene. Videant hinc, & experimento discant Theologi Constitutionum Apostolicarum Propugnatores, non incertis, dubiisque, ac multo minus in Schola Catholicorum rejectis Principiis perduelles esse vincendos, sed vel communibus & omnino inconcussis, vel iis, quibus refractarii abutuntur. Hæc ratio pugnandi: hæc ad ineundam concordiam via. Quid ex impugnatione, ac permixtione Augustinianæ sententiæ cum proscriptis erroribus percipiatur utilitatis, commonstrat ipsa adversariorum jactantia, ut cetera prætermittam, quæ unicuique manifestat ævi hujus calamitas, atque experientia humanarum rerum magistra.

Num vero nos culpandi simus temeritatis, quod omni servato jure, superioribus impellentibus, præmissis censorum judiciis, obtentis facultatibus necessariis, Theologica Scripta palam edidimus, censeant qui eadem scripta legerunt. Probrosam enim hanc notam dilui, & exsufflavi in *Vindiciarum* Præfatione num. 11. & seq. Modo unum tantum peto, an temeritatis illi sint arguendi, qui non errant mentis pervicacia, sed ignorantia solum humana. Temerarios, qui ignorantes errant, nullus

dixerit:

dixerit: alioqui temerarios fuisse oportet, qui ignoranter scripta nostra probarunt, plena, ut Languetius falso sibimet persuadeat, erroribus. At is in prima ad Benedictum XIV. epistola fatetur nos ignoranter peccasse. *Verum est*, ait, *quod illi duo Fratres magno zelo pro Constitutione* Unigenitus, *& pro impetendis Quesnellii propositionibus excitari se monstrare conati sunt, sed hujus sectæ versutias minus experti, plura illius principia & dogmata adoptarunt ignorantes*. Si ignorantes erravimus: quomodo temeritatis arguimur? *Versutias* insuper illas, quæ ignorantes nos deceperunt, noverunt ne Romani Censores, qui Scripta a nobis edita pervolutarunt? Si noverunt, cur ea probarunt? Si minime noverunt, quomodo aperte fluunt asserta ac positiones nostræ ex iisdem Quesnellistarum principiis? Num & hæc principia Romæ prorsus ignota esse audet Senonensis Præsul asserere? Hoc revera, hoc, inquam, foret augere in Appellantibus pervicaciam dicendi, in Constitutione *Unigenitus* reprobatas fuisse propositiones, quarum sensum, nec sedente Clemente XI. nec regnante Benedicto XIV., clarissimi in Urbe Theologi cognoverunt.

Episcopos positos *supra speculam*, verum est. In eos quadrat, quod ait Ezechiel 33. 6. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, &c.* quæ in verba animum Præsul intendit. Aliquando tamen melius unus non positus supra speculam veritatem annunciat, *quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*, ut cap. 37. 18. inquit Ecclesiasticus. Et quidem etiam ex illa specula, quæ, auctore Augustino in libro de Gestis cum Emerito Donatista numer. 7. *est specula vinitoris non fastigium superbientis*, Episcopi erraverunt quamplurimi, non ii solummodo, qui Millenariis præluserunt cum Papia Hieropolitano, qui pro Quartadecimanis certarunt cum Polycrate Ephesino, qui Divinarum personarum oppugnarunt Trinitatem cum Paullo Samosatensi, vel impie de Verbo homine facto senserunt cum Theodoro Mopsuesteno, Nestorio Constantinopolitano, & Dioscoro Alexandrino, vel fuerunt Monothelitarum antesignani cum Pyrrho & Macario, aliique complures, de quibus cap 56. prænuntiaverat Isaias, *Speculatores cæci omnes: ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam*: non ii solummodo, verum & alii, qui suis in judiciis erraunt, quamquam sapientissimi forent, sicuti beatissimus Cyprianus circa sententiam Stephani Romani Pontificis, Magnus Basilius scribendo de S. Dionysio Alexandrino, Theodoretus Cyrensis pugnans adversus Cyrillum, Joannes Antiochenus, aliique Orientales improbando ejusdem Cyrilli anathematismos. Atque ne longe vagemur ab hac ipsa criminatione, qua nos iterum impetimur, erraverunt Galliarum Antistites ac presbyteri fautores Semipelagianorum, quos Augustino ejusque discipulis obloquentes S. Cælestinus I. litteris ad Venerium, ceterosque Galliæ Episcopos, putavit esse coercendos: neque defuerunt ætate hac nostra in ipso florentissimo Regno Præsules, a Romani Pontificis irreformabili sanctione (quod numquam nos in animum induximus nostrum) ad futuram generalem synodum appellantes. Quæ cum ita sint, nedum monachi, privatique homines, verum & Episcopi positi supra speculam errori inveniuntur obnoxii. Eapropter unus sapientissimorum Episcoporum ita alterum adloquebatur: *Neque arbitreris ideo nobis non posse subrepere injustam commotionem, quia Episcopi sumus: sed potius cogitemus inter laqueos tentationum nos periculosissime vivere, quia Episcopi sumus. Aufer itaque gesta Ecclesiastica, quæ perturbatior fortasse fecisti, & redeat caritas: aufer litem, & revoca pacem; ne tibi pereat homo amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus*. Hæc Augustini sunt verba in epistola 250. ad Auxilium.

Non debebat ab ea animi commotione, errandique periculo semetipsum credere immunem prudens Senonarum Archiepiscopus, tametsi Scripta nostra maturo, ut asserit, ponderasset examine, quando graviori, & repetito examine aliorum adinventa sunt orthodoxa. Quamquam præsens discussio evidenter ostendet, fuerit necne ponderatio ejus accurata ac matura. Profecto quisquis leget *Bajanismum*, & *Jansenismum Redivivos* facile percipiet, auctores horum duorum, & hujus tertii, Opusculorum, nil aliud ex libris a nobis editis perlegisse, nisi textus aliquos e suo loco divulsos, mutilatos, atque ad calumniam, invidiamque nobis conflandam artificiose collectos ab alienæ Scholæ Theologo aut nimium imperito, aut certe præjudiciis abrepto. Ubique enim iidem textus, eademque arte truncati, quamvis ordine paullulum immutato, leguntur. Nolo autem hanc pravitatem in iis, qui ad Sacerdotii fastigium evecti sunt, temere suspicari. Ab illorum itaque judicio, quibus neque gentis origine, neque sacræ ordinationis titulo, neque diœceseos districtu, neque voti professione subjicior, ad unam provoco Apostoli-

cam Sedem, cui fideles omnes colla submittunt, & quæ sola non errandi certissimo fruitur privilegio; libenterque probo quod probat, damno quod damnat, rejicio quod rejicit, brevi huic præfationi finem imponens canone 8. caus. 2. quæst. 6. *Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a suis oppressionibus releventur; quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum.*



C A-

CAPUT PRIMUM.

De voluntate Dei circa ſalutem hominum, & Chriſti redemptionem.

ARCHIEPISCOPUS.

I. *Uxta definitiones Concilii Tridentini, & judicium in librum Janſenii, & propoſitiones ex eo extractas a SS. PP. Innocentio X. & Alexandro VII. latum, judicarunt centum, & amplius Epiſcopi Gallicani* (1), nullum eſſe ex fidelibus, qui non teneatur credere fide firma, Deum velle ipſum ſalvare, & Chriſtum pro ejus ſalute ſanguinem ſuum omnem fudiſſe, ac proinde illi gratias conceſſiſſe neceſſarias, ut poſſit ſalvari. *Enim vero quilibet fidelis tenetur de fide credere*, Chriſtum pro ejus ſalute paſſum, & mortuum, *prout fert Symbolum Nicænum a quolibet fideli recitandum; & a quolibet fideli in articulo mortis exigitur* (2), ut fide credat Chriſtum pro illo, & ejus ſalute æterna mortuum. *Ex quibus fidei punctis duo ad fidem æqualiter pertinentia ſequuntur: alterum Deum voluntate vera, & ſincera velle ſalutem æternam, ſaltem cujuslibet fidelis, juxta illud Evangelii Jo. 6.* Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam: *alterum quod Deus cuilibet fideli ſubminiſtret gratias, quæ illi ſalutem æternam reddant vere poſſibilem, juxta illud concilii Arauſicani* (3): Hoc ſecundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, auxiliante Chriſto, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint, & debeant adimplere, ſi fideliter laborare voluerint.

F. J. LAURENTIUS.

Quidquid definivit ſacroſanctum & œcumenicum Tridentinum concilium, & confirmarunt in condemnatione propoſitionum Janſenii, Innocentius X. Alexander VII. aliique Romani Pontifices, necnon quantum attinet ad *antecedentem* Dei voluntatem ſalvandi omnes, atque ad univerſalem humani generis & ſingulorum hominum redemptionem, cuncti profitentur Catholici, ac tradunt in Paſtoralibus *Inſtitutionibus* anni 1714. & 1720. Galliarum Epiſcopi: id, inquam, firmiſſima fide, iis tantum exceptis, quæ inter Theologos adiaphora ſunt, ac inter ſcholarum placita connumerantur, nec definita fuerunt, tenendum eſſe abſque ulla hæſitatione affirmo, credo, ac declaro.

Ac primo Dominum Jeſum, non pro fidelibus tantum, verum etiam pro univerſis hominibus paſſum, & crucifixum fuiſſe demonſtravi multiplici argumentorum genere *libro V. Theolog. diſcipl. cap.* 1. *& libro* 17. *cap.* 3. unde teſtimonia, verbaque mea luce meridiei clariora produxi altero *Vindiciarum* mearum volumine, *Diſſert.* 4. *cap.* 2. §. 5. Quis negabit me citato *cap.* 3. impugnaſſe quintam Janſenianam propoſitionem, adductis verbis Apoſtoli ex *Epiſtola* 2. *ad Corinthios cap.* 6. *& ex* 1. *ad Timoth. cap.* 2., verbis Tridentinæ ſynodi *ſeſſ.* 6. *cap.* 2. *ac* 3., verbis complurium tam Græcorum, quam Latinorum Patrum? Quis negabit me catholica veritate comprobata, hæc ſubjeciſſe? *Janſeniana theſis opponitur veritati, quæ ubique clamat Chriſtum univerſi humani generis Reparatorem ac Redemptorem: clamat ore Apoſtolico, clamat oraculis conciliorum, clamat omnium Patrum ſermone, clamat denique concordiſsimis Scholaſticorum enunciationibus.*

Queritur autem Senonenſis Archiepiſcopus, nullibi a me exponi aut voluntatem illam *antecedentem*, aut univerſalem redemptionem per actualem collationem divinorum auxiliorum, & gratiæ præſertim ſufficientis, qua fideles conſequi valeant ſempiternam ſalutem.

Verum, niſi omnino deſipiam, aliud eſt omnes fideles regeneratos baptiſmate poſſe, ſi fideliter laborare voluerint, *auxiliante, & cooperante Chriſto*, adimplere quæ ad ſalutem animæ pertinent, ut *canone* 25. definivit Arauſicana ſecunda ſynodus: aliud eſt, ſingulis fidelibus actu ſufficiens auxilium ſemper adeſſe; & aliud, auxilium iſtud conferri ex voluntate antecedenti, quæ eſt in Deo, ſalvandi omnes homines.

Poſſe baptizatos *auxiliante, & cooperante* Chriſti gratia implere divina præcepta, & æternam conſequi vitam, quis negat? Non ſolum baptizati ſalvari, ſed etiam non baptizati, *auxiliante, & cooperante Chriſto*, credere poſſunt: ſed an juſto Dei judicio aut quidam fidelium prolapſi in profundum peccatorum ſuorum deſtituti ſint auxiliante ea gratia, vel hæc actu præſto ſit cuique infidelium, quæſtio ſcholaſtica eſt, non autem dogma fidei. Quot enim, obſecro, extant in florentiſſima Thomiſtarum ſchola, qui cum pueris in utero matrum pereuntibus, tum quibuſdam infidelibus, ac peccatoribus flagitioſiſſimis, ſubtrahi ſufficientis gratiæ auxilium totis lacertis propugnant? Horum permultos commemoravi libro 18. *Theol. diſcipl. cap.* 8. & in Vindiciis *diſſert.* 4. *cap.* 1. §. 4. *&* 6. Nec tempus conteram notiſſima unicuique nomina recenſendo; quandoquidem ipſemet auctor *Janſeniſmi Redivivi*, ideſt, conſcripti adverſus me operis, de hac mea poſitione, *Non eſt de fide, quod auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum, omnes reapſe recipiant*, ſcribit *pag.* 254. *Veriſſima eſt hæc aſſertio; nam quod non omnes recipiant auxilium gratiæ, certiſsimum eſt, ſaltem de infantibus abſque baptiſmo ante uſum rationis morientibus. Quod autem auxilium illud gratiæ recipiant omnes adulti, ut pervenire poſſint ad fidem, non eſt definitum, imo contrarium docent ſatis communiter Theologi de iis, quos vocant negative infideles.* Addere autem poterat officioſiſſimus auctor, *& de fidelibus excæcatis idem tradunt Theologorum quamplurimi.* Iſtorum autem omnium, quibus gratia non confertur ſufficiens, Deus vult *antecedente* voluntate ſalutem, & pro iis omnibus mortuus eſt Chriſtus: imo, ut hi omnes ſalvari poſſint, *ſatis eſt, ut in Dei virtute ac bonitate ſit paratum ſufficiens auxilium, quo omnes poſſint ſalvari, licet de facto non omnes illud habeant ſibi collatum.* Atque hæc ſunt verba clariſſimi Thomæ de Lemos *libro* 4. *Panopliæ p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 16., cui omnium fere Thomiſtarum nomine ſubſcribunt Alvarez *lib.* 11. *de Auxiliis diſput.* 12. §. 9. & Gonet *diſput.* 5. *de Reprobat. art.* 6. §. 2. Hæc præmonſtraverat diſcipulis ſuis Doctor Angelicus 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. *ad* 2. & *q.* 6. *de Verit. art.* 3. *ad* 7. Quare ſi Deus vult omnium ſalutem, ſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & nihilominus auxilium gratiæ ſufficientis actu omnibus non confertur, aut id ſaltem a pluribus Catholicis propugnatur; quis non percipit, voluntatem illam generalem, rationemque communem redemptionis non poſtulare, ut gratia iis, quos Chriſtus redemit, & quos Deus vult ſalvos fieri, actualiter ſit collata?

Ceterum licet ad voluntatem illam *antecedentem*, atque ad communem totius humani generis reparationem neceſſum non ſit, ut gratia actu ſingulis, qui in via ſunt, conferatur; voluntate tamen Dei *conſequente*, fidelibus ſingulis, niſi libere ponant obicem, dari ob merita Chriſti gratiam ſufficientem, eamdemque gratiam interdum cuique, infidelibus quoque, & magnis peccatoribus affulgere, quamquam non ſemper urgente quoque præcepto, expreſſe a me traditum eſt, ut paullo poſt demonſtrabo, notionem voluntatis *antecedentis* exponens, & revincens apertæ falſitatis Accuſatorem.

(1) Documentum Paſtorale anni 1720. (2) Rituale Romanum, (3) 2. cap. 25.

ARCHIEPISCOPUS.

II. *Hoc catholicum dogma nullibi clare, ac distincte exponitur in libris Theologicis FF. Bellelli, & Berti: imo ea principia ponunt, quibus aut infirmatur, aut destruitur. Equidem, ut a Jansenio recedere videantur, student asserere voluntatem Dei, & passionem Christi pro salvandis omnibus; sed voluntatem illam ita exponunt, ut a Jansenio, & ejus discipulis admittatur, absque eo quod errori in sensu libri Jansenii damnato renuntient.*

Loco voluntatis veræ, & sinceræ, quæ est in Deo salvandi omnes fideles, admittit uterque, Fr. Bellelli, & Berti, voluntatem, quam vocant metaphoricam, & quæ nulla habeat adjuncta media vere sufficientia ad salutem eorum, qui pereunt. Illam quoque antecedentem vocant, sed *antecedentem* ad prævisionem peccati Adami, quæque sit in Deo, quatenus omnes suas creaturas dilexit, præscindendo ab Angelorum, & hominum lapsu.

F. J. LAURENTIUS.

Perspicuum est, virum doctissimum, dum ait a me appellari voluntatem Dei *antecedentem* salvandi omnes *metaphoricam*, oscitanter, non maturo, ut inquit, examine meas pervolutasse lucubrationes. Etenim *lib.* 5. *Theol. discipl. cap.* 1. hanc præmitto propositionem: *Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvos fieri*; deinde statuo propositionem alteram: *Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, ac sincera.*

Propositionem primam demonstro verbis Ezechielis *cap.* 33. *versu* 32. & Apostoli in *prima ad Timotheum capite* 2. necnon Sancti Prosperi *ad* 2. *objectionem Vincentianam*. Utor præterea multiplici argumentorum genere, atque illo præsertim, quod Christus pro omnibus hominibus mortem subierit, productis aliis Apostoli verbis *ex epistola* 2. *ad Corinth. cap.* 5. 14. Quare non solum pro fidelibus, sed etiam pro omnibus omnino hominibus Christum fuisse cruci suffixum, ac pretiosum fudisse sanguinem, & Deum voluntate *antecedente* omnium hominum salutem velle, firmissime teneo, ac profiteor.

Quoniam tamen certissimum, exploratissimumque non est, singulis omnino hominibus auxiliatricem gratiam actu conferri, ut paullo supra dixi, cunctique fatentur; apertissima consecutione inde infertur, generalem illam *voluntatem* salvandi omnes, & redemptionem illam, in qua omnes homines comprehenduntur, non importare actualem *collationem* gratiæ sufficientis, sed ejusdem gratiæ *præparationem*; tametsi eadem gratia sufficiens voluntate *sequente* fidelibus, *aliisque secundum mensuram donationis Christi* conferatur. In sententia itaque illorum Theologorum, qui propugnant privari sufficiente gratia puerulos denatos absque Sacramento regenerationis, & quosdam ex infidelibus, & ex peccatoribus excæcatis; cui sententiæ adhærere me fateor, *antecedens* Dei voluntas, & communis ratio redemptionis humanæ important gratiæ præparationem, non actualem ministrationem. Alioqui, rogo, quomodo vellet Deus salutem parvulorum, scelestissimorumque peccatorum, quibus justissimo Dei judicio sufficiens gratia negatur? Præparatio itaque gratiæ ad *antecedentem* Dei voluntatem, actualis collatio gratiæ ad voluntatem *consequentem* refertur: quod fortasse melius paullo post explicabo.

Itaque catholicum dogma, & extra omnem controversiam positum, est Deum velle salutem omnium, & Christum passum esse pro omnibus: sed gratiam actu conferri omnibus, placitum est scholæ, quod in utramque controvertitur partem. Catholico dogmati absque ulla hæsitatione subscribo; at nemo suadere potest, ut in iis, quæ arbitrio subjiciuntur disputantium, dereliktis signis majorum, debeam ad recentiorum castra transire.

Propositionem alteram, *Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, ac sincera*, demonstro pluribus argumentis, quorum primum est: *Quidquid sacræ litteræ de Deo affirmant, si maxime deceat ipsius bonitatem, misericordiam ac providentiam, qua rationales creaturas dirigit in viam salutis, id absque ulla hæsitatione est asserendum de ipso Deo. Atqui in sacris libris legitur velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; id vero magnopere decet infinitam ipsius caritatem, & directionem creaturarum in finem ultimum. Igitur absque ulla hæsitatione asserendum est, Deum proprie ac sincerissime velle salutem omnium.* Dicit ergo album nigrum, & nigrum album, quisquis ait a me *antecedentem* voluntatem Dei non sinceram vocari, sed *metaphoricam*, in eo quod connotat, ejusque objectum est; nam esse duntaxat voluntatem *signi*, *non beneplaciti*, nec voluntatem *simpliciter*, sed *secundum quid* respectu effectuum, qui pendent a voluntate *sequente*, est apertissima S. Thomæ sententia, ut paullo post demonstrabo.

Advertendum est enim modo, quod licet ego *antecedentem* Dei voluntatem absque ullo additamento *metaphoricam* tantum dixissem; non proinde forem redarguendus. Etenim sunt Theologorum bene multi, qui docent ipsam voluntatem Dei *antecedentem* salvandi omnes, *esse voluntatem signi, quæ tantum est metaphorica, seu interpretativa, quia ita se gerit Deus, ac si illum actum voluntatis haberet. Ita sentit Cajetanus ad Timoth.* 2. & *Marsilius in* 1. *dist.* 45. Hæc sunt verba Francisci Suarez *lib.* 3. *de Providentia gratiæ cap.* 2. In qua sententia ii quoque versantur, qui docent voluntatem divinam, quam Scholastici vocant *voluntatem beneplaciti*, semper impleri: de quibus plura Gabriel Vasquez *p. p. disp.* 83. *cap.* 1. Puto duo Medistarum lumina, Suaresium nempe, ac Vasquesium sufficere, ne quis hæsitet, an inter Catholicos extent, qui tradunt *antecedentem* illam voluntatem esse tantummodo *metaphoricam*. Qui plures quærit idem sentientes, adeat Joannem Baptistam Gonet *disp.* 4. *de Volunt. art.* 3. asserentem hoc idem propugnasse Estium, Basilium Legionensem, Bannez, Navarretam, Zumel, Alvarez, Nazarium, Gonzalez, Salmanticenses. Non caute idcirco se gerit, qui Theologum aliquem Jansenianis accenset, propterea quod voluntatem Dei *antecedentem* scripserit esse tantummodo *metaphoricam*.

Duo igitur evidentissima sunt, unum, a me voluntatem Dei *antecedentem* non dici *metaphoricam*, cum vera, propria, & sincera dicatur, spectato proprio ejusdem voluntatis effectu, qui est præparare omnibus & singulis auxilia supernæ gratiæ, necessaria ad capessendam salutem: alterum, nulla eos perstringendos esse censura, qui affirmant voluntatem, de qua loquimur, esse revera *metaphoricam*. Illud præterea falsum est, a me voluntatem ipsam dici *antecedentem* quidem, sed *antecedentem* ad prævisionem peccati Adam, & quatenus in Deo est, *in quantum omnes rationales creaturas dilexit præscindendo ab Angelorum, & hominum lapsu*. Istud enim ego sententiæ meæ oppono, non affirmo: nec satis mirari possum imputari mihi ab Episcopo, a judice, a viro dignitate, doctrina, & fama clarissimo sententiam, quam refello. Postquam enim voluntatem Dei *antecedentem* salvandi omnes propugnavi auctoritate divinarum Scripturarum, ac Patrum, *lib.* 5. *cap.* 1. *prop.* 1. hæc scripto mandavi: *Respondent Jansenianis productum Pauli testimonium referri ad homines status innocentiæ, non vero ad illos, quos originalis culpa devinxit. Quod ostendi potest etiam ex idea voluntatis antecedentis, quam supra tradidimus ex Thomistis: hæc enim respicit rationalem creaturam secundum se, & abstrahendo a superinductis circumstantiis peccati. Ubi ergo originalis culpa supponitur, voluntas antecedens non habet locum.* Huic vero responsioni ita occurro: *At inanis profecto elusio. Nam in primis Apostolus de his loquitur, pro quibus affirmat orandum esse; at præcipit ut oremus pro omnibus, etiam regibus improbis, quales tum orbis terrarum dominabantur, & quos specialiter ibi* (in epist. 1. ad Tim. 2.) *commemorat: Ergo ad omnes homines Apostolica spectat sententia.* Addo rationes alias, quas brevitatis gratia prætermitto; quum hæc sola evidenter commonstret objici mihi id, quod a me refutatur.

Porro quod nuper de Thomistis dixi, nullatenus suffragatur Jansenianis; quoniam ea consideratio, juxta quam in eorum schola voluntas Dei appellatur *antecedens*, in unoquoque hominum statu locum habet, & a circumstantiis, in quibus homo actu ponitur *a parte rei*, abstrahitur, ac præscinditur. Audiatur prælaudatus Gonet initio citatæ *disput.* 4. *art.* 1. *Thomistæ*, inquit, *cum Sancto Doctore existimant voluntatem antecedentem esse illam, qua aliquid amatur consideratum solum secundum se, & ut præcisum a circumstantiis, cum quibus ponitur a parte rei.*

Et quidem Doctor Angelicus 1. *p. q.* 19. *art.* 6., ubi docet divinam voluntatem semper impleri, priori loco hanc proponit objectionem: *Videtur quod voluntas Dei non semper impleatur. Dicit enim Apostolus* 1. *ad Timotheum* 2. *quod Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sed hoc non ita evenit. Ergo voluntas Dei non semper impletur.* Ita vero S. Thomas huic argumentationi respondet: *Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Apostoli, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, potest tripliciter intelligi. Uno modo ut sit accommoda distributio; secundum hunc sensum, Deus vult salvos fieri omnes homines qui salvantur, non quia nullus homo sit, quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus fit, quem non velit salvum fieri, ut dicit Augustinus. Secundo potest intelligi, ut fiat distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum; secundum hunc sensum, Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri, mares & feminas, Judæos & Gentiles, parvos & magnos; non tamen omnes de singulis statibus. Tertio secundum Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente, quæ quidem distinctio non accipitur ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumcumque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquod autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum: quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur (quæ est consequens consideratio ejus) e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem: sed si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida,*

vel

vel vivens in periculum multitudinis; sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere: unde potest dici quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere; sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari; sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id, quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid: quia voluntas comparatur ad res secundum quod in seipsis sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter vellle. Unde potest dici, quod judex justus simpliciter vult homicidam suspendi; sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo: unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quidquid Deus simpliciter vult, fit; licet id, quod antecedenter vult, non fiat. Hactenus S. Thomas, ad cujus *Summæ* marginem citantur Augustinus *de Prædest. SS. cap.* 8. *Ench. cap.* 103. *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 8. *de Correpl. & Grat. cap.* 14. & Damascenus *lib.* 2. *de Fide Orth. cap.* 29.

Hæc sententia, quam amplectuntur omnes Thomistæ, probatur etiam Dionysio Petavio: qui Theologic. dogm. *tomo* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 15. allata voluntatis *antecedentis*, & *consequentis* divisione, *Voluntas prima*, inquit, *est qua Deus ex se vult aliquid sine ulla consideratione circumstantium rerum, ut cum velle dicitur omnes homines salvos fieri. Secunda, sive consequens voluntas est, qua ex certis circumstantiis vult aliquid, quod alioqui nollet, ut cum aliquos damnari vult.* Consentit, nescio an invita Minerva, an veritate cogente, Auctor *Jansenismi Redivivi*, affirmans *pag.* 83. eam esse voluntatem antecedentem, *quæ fertur in objectum, non quidem quale est in seipso, sed abstrahendo a quibusdam circumstantiis.* Hæc est mea de *antecedente* Dei voluntate sententia, quam vellicat Senonensis Antistes; eamque tradidi lib. 5. cap. 1. §. *Itaque voluntatem antecedentem, &c.* libro 17. cap. 4. §. *Quantum spectat ad sententiam Thomistarum*, & in Vindiciis *disp.* 4. *cap.* 2. §. 10. *num.* 2. qui incipit, *Quod autem secundo loco dixi, ad voluntatem antecedentem, &c.*

Consequitur ex dictis, ad voluntatem Dei *antecedentem* non requiri, ut auxilia divinarum gratiarum omnibus præparata, actu conferantur iis, qui in certis circumstantiis constituti sunt; ad hos enim non tendit actus divinæ voluntatis *antecedentis*, quâ homines considerantur *secundum se*, sed actus voluntatis *consequentis*, quæ refertur ad homines in certis positos circumstantiis, seu, ut loquitur scholarum Angelus, *cum aliquo adjuncto*. Quamobrem ludunt operam qui nobis opponunt, denegari voluntatem Dei *antecedentem* salvandi omnes, si subtrahatur gratia sufficiens, vel parvulis obnoxiis originali peccato, qui rapiuntur sine baptismi lavacro, vel adultis pondere peccatorum gravatis, qui aut non vocantur, aut non ita vocantur, ut sequantur vocantem; quippe hi non abstractim, & *in quantum homines sunt*, considerantur, sed in iis vel originalis, vel personalis peccati cricumstantiis, & adjunctis, in quibus objectum sunt voluntatis *sequentis*; & in quibus si gratia conferatur, misericorditer confertur, si negatur autem, justo judicio negatur.

Quoniam tamen voluntas Dei *antecedens*, & *consequens* sunt in Deo una eademque voluntas, & distinguuntur tantum *respectu volitorum*, ut ait S. Thomas, ac nos etiam tradidimus prælaudato capite primo libri v. §. *At pessime novæ hæreseos patroni*; idcirco gratia, quæ, si consideretur homo *secundum se*, unicuique præparata est, nonnullis in certis circumstantiis negatur, idest, præparatur *antecedente* voluntate, subtrahitur voluntate *sequente*, quæ *consequens* voluntas nulla alia ratione distinguitur ab *antecedente*, nisi ea, qua scientia Dei *abstractiva* distinguitur *ab intuitiva*, respectu nimirum, prout nuper dixi, connotatorum.

Quod itaque censor addidit, ita a me voluntatem *antecedentem* exponi, ut meo in sensu nulla habeat adjuncta media vere sufficientia ad salutem eorum, qui pereunt, (debita cum reverentia dictum sit) ludicrum est, atque inane. Enimvero voluntas *antecedens* adjuncta habet media vere sufficientia, parata omnibus hominibus *secundum se* consideratis; & non habet adjuncta media vere sufficientia actu collata omnibus hominibus consideratis *in certis circumstantiis*: qua duplici consideratione supposita, inepte dicitur per voluntatem *antecedentem* media vere sufficientia actu omnibus constitutis in statu peccati conferri, quoniam iis gratiam actu conferre pertinet ad voluntatem Dei *consequentem*, non ad voluntatem Dei *antecedentem*. Quæ cum omnibus Thomistis sint apertissima; jure miror, quomodo ignorentur a Præsule sapientissimo, qui adversus me stylum acuens testatur, se nulli scholæ esse addictum, sed potius Thomistis adhærere, quam ceteris.

Profecto, ut supra monui, & nemo unus ignorat, Deum auxilia sufficientia non omnibus actu elargiri, tametsi velit omnes, & singulos salvos fieri, docuerunt Theologi, quos laudavi in Vindiciis *dissert.* 4. *cap.* 1. idest, Thomas de Lemos *tomo* 2. *Panopliæ pag.* 308. & 310. ac *tom.* 4. *pag.* 65. Gonet *de volunt. disput.* 3. *art.* 5. & *disp.* 5. *art. item* 5. Bannes 1. *p. q.* 23. *art.* 3. *concl.* 8. Zumel 1. *p. q.* 23. Joannes a S. Thoma 1. *p. q.* 19. *disp.* 5. *art.* 8. aliique innumeri, qui Apostolica verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, explicant de præparatione, non de actuali collatione divinorum auxiliorum. Et, si alii diversa ratione voluptatem *antecedentem* exponunt, & auxilium sufficientis gratiæ singulis actu conferri propugnant; non tamen audent prædictæ sententiæ notam erroris inurere, paucis fortasse exceptis, qui opiniones suas extollere & propagare aliarum depressione, & criminatione, præteritorum discriminum immemores, auramque flantem captantes, perperam adnituntur.

Berti Theol. Tom. VII.

ARCHIEPISCOPUS.

III. *Quantum autem ad voluntatem salvandi omnes homines, quam admittere se profitentur, ita illam explicant. Sic scribit Fr. Berti:* (1) Dico universos homines redemptos, quatenus proposita est omnibus propitiatio per fidem in Sanguine Christi: quatenus Christus sua passione instituit causam nostræ liberationis: quatenus obtulit pretium, vi cujus omnia peccata deleantur: quatenus demum humanam naturam suscepit propter communem omnium redemptionem. Atque hæc est voluntas antecedens, quam dixi connotare ordinis institutionem.

Nihil illic de voluntate illa sincera, & benefica, qua Deus quemlibet fidelem, etiam eos, qui pereunt, adjuvat ut salutem assequi possint: imo illam excludit postmodum sic loquendo (2): Fateor eandem esse de voluntate antecedenti, & de morte Christi rationem; sed voluntas illa antecedens connotat, sententia nostra, institutionem remedii, pretii oblationem, redemptionis virtutem, non distributionem, & applicationem beneficiorum, & passionis Christi, effecta, atque munera, quæ sint etiam extraneis communia. Verissimum est ergo eam Apostoli sententiam, *Vult omnes homines salvos fieri*, accipiendam esse cum Augustino pro generibus singulorum, non pro singulis generum, si loquamur de largitione gratiarum, &c. *Ex his concludit*: Voluntatem illam antecedentem esse in Deo metaphorice, si comparetur ad actualem consecutionem salutis, & Redemptionis proprietatem: sincera est autem, & vera, & etiam effectum suum consecuta, ut refertur ad unam caussam humani generis a Domino in veritate suscepta, ad effusionem sanguinis, ad institutionem Ecclesiæ, ad virtutem pretii, ad præparationem remedii, ad vocationem gentium, & ad efficaciam Sacramentorum.

En, ut jam observavimus, silet de voluntate illa speciali, qua singulis fidelibus, etiam iis, qui pereunt, Deus subministrat media, quibus salutem possunt assequi; silet, inquam, ubi hæc media commemorare debuisset. Voluntas ergo, quæ alios quam prædestinatos respicit, nihil aliud ex F. Berti connotat, quam sufficientiam pretii infiniti, & alia hujusmodi; inter quæ non recenset largitionem mediorum saluti vere, & proprie sufficientium, nequidem pro fidelibus. Hoc autem adhuc clarius aperit, dum voluntatem illam metaphoricam, quam etiam antecedentem vocat, docet omnino sterilem, nec auxilia distribuentem iis, qui pereunt, quibus auxiliis salus æterna vere fiat possibilis, saltem fidelibus renatis in Christo; sic enim loquitur (3): Ex voluntate antecedente in singulos actualis gratia non derivat, sive voluntatem illam dixeris *signi*, non *beneplaciti*; sive illam explicaveris comparate ad universum genus humanum, non ad hujus generis individua in certis circumstantiis constituta; sive ejus effectum dixeris institutionem ordinis, non consecutionem: quam postremam sententiam nos amplectimur. *Et paullo post sic de S. Prospero* (4) *injuste loquitur in responsione ad objecta Massiliensium, & carmine de Ingratis*, ubi generalem voluntatem salvandi omnes, & communem humani generis redemptionem explicat per institutionem, & efficaciam remedii, non per actualem gratiæ largitionem, ut ostendimus. *Quæ omnia & Jansenius, & Jansenii defensores admittunt libenter, & hoc sensu Christum pro omnibus mortuum confitentur, absque eo, quod errorem in quinta propositione damnatum ejiciant, & ejurent.*

F. J. LAURENTIUS.

Quemadmodum de voluntate *antecedente*, ita in Augustinensium, Thomistarumque sententia ratiocinandum est de morte Christi, quatenus crucem subiit pro totius mundi redemptione, & propter communem humani generis caussam, sive, prout redemptio omnia, & singula comprehendit humanæ naturæ individua. Dixi per voluntatem Dei *antecedentem* auxilia vere sufficientia omnibus præparari, sed in ipsa *antecedente* Dei voluntate considerari homines *secundum se*, non in certis rerum circumstantiis vel adjunctis: per voluntatem *sequentem* sufficientem gratiam non omnibus actu conferri, sed denegari aliquibus, & juxta *Dei beneplacitum*, juxta *mensuram donationis*

(1) T. 3. p. 357. (2) Ibid. p. 360. (3) P. 412. (4) P. 463.

nis Christi, quibusdam dari auxilia sufficientia, quibusdam gratiam per se efficacem, & quibusdam, nimirum electis, specialissimum donum finalis perseverantiæ. Eodem prorsus modo Christus universos homines redemit, propter unam omnium caussam in veritate susceptam, & quoad magnitudinem & potentiam pretii, atque secundum communem rationem redemptionis, quæ comparatur ad unam omnium hominum naturam in Adamo corruptam & mortificatam, & ad quam liberandam & sanandam mors Unigeniti Filii Dei est maximum & singulare remedium, pro omnibus paratum, & cunctis exhibitum: quæ communis ratio nostræ redemptionis non est dissimilis voluntati *antecedenti*, qua consideratur homo *secundum se*, eique remedia salutis, & gratiarum munera præparantur. At Christus non est mortuus pro omnibus & singulis, secundum peculiarem rationem atque proprietatem, qua actu beneficium mortis ejus singulis applicetur, aliis quidem per vocationem ad fidem, aliis per regenerationem baptismi, & remissionem originalis peccati, aliis per aliorum sacramentorum fructus multiplices, & uberrimos, aliis demum prædestinatis *secundum propositum voluntatis suæ*, magno dono collato perseverantiæ, atque hæc redemptionis proprietas, & ratio peculiaris respondet voluntati Dei consequenti. Pertractavi paullo supra de voluntate divina; nunc breviter agendum est de Christi Domini redemptione.

Generalem itaque illam, cunctisque hominibus communem redemptionem sitam esse *in pretio sanguinis Christi*, atque in *institutione caussarum*, seu *præparatione mediorum*, *quibus remitti possint quæcunque peccata*, non autem in auxilio gratiæ omnibus actualiter collato, fateri tenentur qui cum celeberrima Thomistarum schola permultis gratiam illorum culpa, & justissimo Dei judicio subtrahi propugnant. Quod, etsi *libro* 17. *Theol. discipl. cap.* 4. prolixa dissert. demonstravi; opportunum tamen videtur compendio rursus id agere. Ignorat nemo, principem scholasticorum beatissimum Thomam, ut mittam interim præstantissimos divinæ gratiæ vindices Augustinum, & Prosperum, 3. *p.* 49. *art.* 1. *ad* 3. hæc habere: *Christus in sua passione nos a peccatis liberavit causaliter, idest, instituens caussam nostræ liberationis, ex qua possent quæcunque peccata quandoque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura: sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicunque morbi sanari, etiam in futurum.* Et proximo art. ad 2. *Præparatum est homini remedium ex passione Christi, quo se potest tueri contra hostes impugnatores, ne deducatur in interitum mortis æternæ.*

Hisce verbis præceptoris Angelici utitur Thomas de Lemos *tom.* 2. *Panopliæ tract.* 4. *de Reprobat. cap.* 21. ubi *num.* 325. ait: *Non enim requiritur ad hoc, ut cum omni proprietate Christus dicatur omnium redemptor, quoad sufficientiam, quod in omnibus de facto sufficientia remedia applicentur; sed quod in se habeat sufficientem virtutem, & talem pretii magnitudinem, qua possint sufficientissime omnes redimi, ac salvari: quod autem aliquibus non applicetur, ad alia pertinet divina judicia.* Similia Gonet *de volunt. Dei disp.* 3. *art.* 5. *num.* 99. Joannes a S. Thoma *in* 1. *p. q.* 19. *disp.* 5. *art.* 8. *num.* 31. Benitez *de vera Christi gratia disp.* 1. *dub.* 1. *num.* 1. Orsi *in Petri a Soto Vindiciis cap.* 6. *art.* 3. verbo dicam, Thomistæ omnes; qui sive doceant sufficientem gratiam singulis dari, sive istud negent, unanimiter tamen fatentur ad voluntatem *antecedentem*, & ad communem humani generis redemptionem requiri *præparationem* mediorum, quibus unusquisque salutem consequi possit, non vero necessariam esse actualem ipsorum mediorum *applicationem*.

Præter Thomistas idem tradiderunt Cardinalis de Lauræa *opus.* 2. *concl.* 2. *num.* 183. & *concl.* 3. *num.* 192. Franciscus Macedo *in Scrinio cap. ult. & lib.* 3. *de Clavibus cap.* 3. & cum nostratibus singulis Cardinalis Norisius *libro* 2. *Hist. Pelag. cap.* 15. atque in opusculo edito sub nomine *Annibalis Ricci*. Quorum, aliorumque verba produxi in Vindiciis *dis.* 4. *cap.* 1. §. 6. Addidi eo loci censuram Theologorum Lovaniensium *ad assertionem* 7. *Medistarum*, ejusdemque censuræ *justificationem*: ad quam elevandam non abstinuerunt adversarii (videte quale illis insit ingenium) ab opponenda mihi censura altera Duacensi, eo nomine proscripta, quod Jansenianis adnumeret Antoninum Massouliè, Thomistarumque alios sententiæ nostræ propugnatores. Quæ ne dicta videantur ad conflandam alicui calumniam, demonstratum est vulgata typis lucubratiuncula, italico sermone conscripta. Omnium vero, quos laudavi, firmissima sententia est, ex quo Christus sit universorum redemptor, non inferri quod gratia collata sit universis.

Quidquid ergo sit de sententia Theologorum illorum, qui ex Christi redemptione gratiam singulis conferri putant (quam sententiam nec probo, nec damno) ea profecto, quam nuper explicavi, Catholica est, & vetustior, necnon magis apta, nisi mea me fallit opinio, ad revincendos hæreticos dogmatizantes Christum non esse mortuum pro omnibus. Nam si adversus istos ostendere nitamur, universalis redemptionis, & universalis collationis gratiæ unam esse eamdemque rationem; vereor, ne audacter reponant. Atqui gratia omnibus juxta veteres clarissimosque Theologos non confertur: ergo pro omnibus Redemptor mortem non subiit. Sed judicium de hac re ferant, qui putant valere plurimum ad hæreses confutandas opinationem eorum, qui nudius tertius prodierunt, Theologorum; & nihili faciendam illorum sententiam, quos magnopere venerabatur antiquitas.

Horum ego inhærens vestigiis dico Christum mortuum esse pro parvulis, qui non regenerati morte rapiuntur acerba; quibus tamen auxilia gratiæ non conferuntur. Dico Christum mortuum esse pro infidelibus; quorum tamen plerisque non affulget lux gratiæ. Dico Christum mortuum esse pro fidelibus, atque pro his maxime; quorum tamen nonnullis, dum rebelles lumini fiunt, actualis gratia justo judicio subtrahitur. Dico Christum mortuum esse pro omnibus; non tamen omnes beneficium mortis ejus recipere. Quæ postrema verba sunt etiam sacrosanctæ Tridentinæ synodi *sess.* 6. *cap.* 3. Ac si mihi lingua eorum uti fas est, quorum opera aliquandiu (utinam utiliter) pervolutavi; addo cum Augustino *de Nat. & gratia cap.* 22. *Prævaricatorem legis digne lux deserit veritatis: & de dono persev.* cap. 12. Deus hominibus *dat gratiam quibus vult, quoniam misericors est; quod etsi non det, justus est: & non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*; nec non de *Correpti. & grat.* cap. 11. num. 32. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium* (appellatum ibidem ab Augustino *sine quo*) *jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Addo etiam quæ habentur in epistola synodica Episcoporum Africanorum in Sardinia exsulum scripta anno 523. cap. 9. *De gratia vero non digne sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari: cum non solum* non omnium sit fides, *sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit: Beatus autem Apostolus dicit:* Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? *Non itaque gratia omnibus datur: quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt qui fideles non sunt; nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei auditus minime pervenisse. Ipsa vero* gratia *quibuscunque datur, non æqualiter* datur, *sed secundum mensuram donationis Christi*, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei: *qui non hominum personas accipit*, sed omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria singulis prout vult.

Ex his Africanorum Patrum verbis aperte intelligimus, gratiarum dona, quæ propter merita Christi præparata sunt omnibus, non æqualiter dari quibus dantur. In illa *præparatione* relucere dicimus communem redemptionem, in qua universi homines comprehenduntur; in hac *distributione* apparet redemptionis proprietas, & in diversa gratiarum distributione splendet diversa fructuum passionis Christi communicatio. Hanc Africani Patres non esse in omnibus æqualem rectissime affirmaverunt. *Adjutos* enim *homines novimus Dei spiritu, ut ea vellent, quæ Dei sunt, ante baptismum, sicut Cornelium: quosdam vero nec post baptismum, sicut Simonem Magum. Judicia enim Dei sicut multa abyssus: & gratia ejus non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia*, inquit S. P. Augustinus *lib.* 1. *operis imperf. contra Julian. num.* 98. Interdum etiam *sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat: nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est: qui error multum est religioni pietatique contrarius*, ait idem S. Pater *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 19. *num.* 33. Aliquando *sanctis suis alicujus operis justi non tribuit vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminantur tenebræ eorum, & suavitatem qua det fructum suum terra eorum*, scribit eo loci num. 31. Gratiæ Magister. Prædestinati autem, qui recipiunt beneficium passionis Christi præstantissimum, pro quibus specialiter oravit, quique sunt oves, quas nemo potest rapere de manu ejus, *suo, ut pereant, desiderio non dimittuntur*; eorumque numerus in Dei regnum, *donata sibi etiam usque in finem perseverantia, integer perducetur, & illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhærente sibi misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum prœliantur, sive cum coronantur*: quæ item verba sunt Augustini in libro *de gestis Pelagii cap.* 3. & *de correpti. & gratia cap.* 13.

Ad hos prædestinatos proculdubio præsertim comparatur voluntas Dei salvandi omnes, quam Scholastici appellant *voluntatem consequentem*: de qua prælaudatus S. Pater interpretatur verba Apostoli 1. ad Tim. 2. 4. *Qui vult omnes homines salvos fieri, cap.* 103. *enchiridii, lib.* 4. *contra Julianum cap.* 8. & *lib. de correpti. & grat. cap.* 14. ut recte animadvertit S. Thomas 1. *p. q.* 19. *art.* 6. de quo supra.

Istius diversæ distributionis beneficiorum Dei, & applicationis meritorum Christi nulla alia ratio invenitur in Augustiniana sententia, nisi quæ repetitur ab inscrutabilibus Dei judiciis, ideoque ratio ipsa constituenda non est in redemptione humani generis, quatenus ad omnes homines comparatur, neque in voluntate Dei *antece-*

tecedente, quæ respicit homines secundum se. Etenim si ab Augustino petamus; *Cur uni ita veritas suadeatur ut persuadeatur, illi autem non item; cur alios religiosos facit, alios non facit; cur ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam gradibus, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; cur ex duobus piis huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur*: Si hæc, inquam, ab Augustino petamus; non aliam accipiemus responsionem, quam istam, *Inscrutabilia sunt Judicia Dei*. Ita S. P. *lib. de Spiritu, & lit. cap.* 34. ita lib. 1. *op. imp. numer.* 135. ita libro *de dono persev. cap.* 9. ita in omnibus fere adversus Pelagianos operibus. Quare præter illam catholicam, certissimamque veritatem, quod Dei gratia cui datur, misericorditer datur, cui autem non datur, justo judicio non datur: quærenti a me, cur uni baptismatis gratia, alteri caritas & religio, huic ornamenta ceterarum virtutum, illi pœnitentia & conversio, & prædestinatis *secundum propositum voluntatis divinæ* donetur perseverantia usque in finem, nil habeo quod respondeam aliud, nisi, *Inscrutabilia sunt judicia Dei*. Nam si invictissimus ille Pelagianorum debellator nullam aliam responsionem adhibuit, & utique hac monitione *de sp. & lit. cap.* 34. *Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptiores*; audacissimus forem, si ego parvulus ejus, humique repens responsionem alteram ingeniolo meo excogitarem.

Corruunt ex dictis Archiepiscopi Senonensis objectamenta. Ubi enim *lib.* 17. *cap.* 4. dico, *universos homines fuisse redemptos, quatenus proposita est omnibus propitiatio per fidem in sanguine Christi, quatenus Christus sua passione instituit causam nostræ liberationis, quatenus obtulit pretium, vi cujus omnia peccata delentur, quatenus demum humanam naturam suscepit propter communem hominum perditionem*, quæ verba mea esse fateor; ubi, inquam, hæc dico, aperte loquor de voluntate *antecedente*, quæ *præparationem*, non actualem applicationem mediorum importat; ideoque immediate subjicio, *Atque hæc est voluntas antecedens*. Ita vero loquens imitatus sum Evangelii præconem Apostolum Paullum; siquidem iste *ad Rom. cap.* 3. 25. ait de Christo: *Quem proposuit nobis propitiationem per fidem in sanguine ipsius*; & ego ita scripsi: *Universos homines esse redemptos, quatenus proposita est omnibus propitiatio per fidem in sanguine Christi*. Imitatus sum scholarum columen S. Thomam; quippe is 3. *p. q.* 49. *art.* 1. ait: *Christus sua passione nos a peccatis liberavit caussaliter, idest, instituens caussam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata remitti*; ego vero iisdem fere verbis: *Christus universos homines redemit, quatenus sua passione instituit caussam nostræ liberationis, & quatenus obtulit pretium, vi cujus omnia peccata delentur*. Imitatus sum fidelissimum Augustini discipulum Prosperum; ipse namque ad nonam oppositionem calumniantium Gallorum scripsit: *Cum Dominus rectissime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo hominum omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit*; & ego pariter affirmo crucifixum Salvatorem pro redemptione omnium hominum, *quatenus humanam naturam suscepit propter communem hominum perditionem*. Quid igitur istud rei est, quoniam in illam incidimus temporum calamitatem, in qua nobis conflatur calumnia, quod loquamur ore Prosperi, ore Thomæ, ore Pauli? Et quænam, obsecro, est adversariorum nostrorum aut eruditio, aut sinceritas, ipsa Sanctorum verba vel non audire, vel audita non intelligere, vel intellecta reprehendere?

Verum ait Senonensis Præsul nil a me prædicto in loco agi *de voluntate illa sincera, & benefica, quæ Deus quemlibet fidelem, etiam eos, qui pereunt, adjuvat, ut salutem assequi possint*. Sed quorsum hæc? adjuvare actu fideles per collationem gratiarum, non est munus voluntatis *antecedentis*, quæ comparatur ad omnes omnino homines, *in quantum sunt homines*: sed munus est voluntatis *sequentis*; quæ comparatur ad homines *in aliquo adjuncto* constitutos, in statu nempe fidelium. Recolantur quæ diximus supra cum Angelico Thoma.

Ceterum sententia nostra non conferri fidelibus, iis etiam, qui pereunt, adjutorium gratiæ, quo salutem assequi possint, nisi spreta conscientia, proculdubio manifesto errore scribit Senonensium Antistes. Enimvero ipso capite 4. *libri* 17. ex quo verba exscripsit mea, addo. *Non omnibus indiscriminatim eodem modo passio Christi applicatur, sed aliquibus gratia sufficiens, aliquibus auxilium efficax, aliquibus etiam donum finalis perseverantiæ confertur*. Et rursus: *Est igitur Christus propitiatio peccatorum omnibus proposita: sed quæ per fidem, quemadmodum per alia gratiarum munera applicatur nobis ad percipiendum fructum ipsius, ut recte observat S. Thomas*. Item, *Applicatur passio Christi aut per fidem, aut per caritatem, aut per sacramenta*. Ubi autem de gratia disputo *lib.* 18. *cap.* 8. demonstro *cuilibet fideli adesse gratiam orationis; si divina auxilia quibusdam non conferuntur, id evenire ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum*; Deum, *quantum est ex se, gratiam largiri omnibus, nec tantum pro fidelibus, sed pro omnibus & singulis remedia salutis paravisse, instituisse, & quantum est ex se nulli prorsus mortalium denegare supernas illustrationes, aliarumque gratiarum beneficentissimam largitatem: eum, qui actu a gratia non adjuvatur, queri debere de prava sua voluntate*, ut ii, qui non illuminantur a sole, propterea quod claudant fenestras, atque in tenebrosa domo velint commorari. Atque hoc etiam exemplum accepi a S. Thoma 1. 2. *q.* 79. *art.* 3.

In eo itaque criminatores sententiæ nostræ, venia illorum id dictum velim, allucinantur, quod cum schola Medistarum ad voluntatem Dei *antecedentem*, & ad Christi redemptionem putant necessum esse, ut Dei gratia *actu conferatur*, & fructus passionis Christi *actu applicetur*. Ex alia autem parte non ignorantes, in sententia complurium gratiam actu singulis non conferri, fructusque passionis Christi cunctis non applicari, ajunt *ex illa antecedente voluntate*, & totius humani generis redemptione consequi, ut saltem fidelibus, iis etiam, qui pereunt, Deus adjutorium, quo salvari queant, largiatur. At quænam est nova ista Theologia? Voluntas *antecedens*, & Christi redemptio, non fideles tantummodo, sed omnes ac singulos homines complectitur; ideoque si ex voluntate *antecedenti*, & ex communi redemptione infertur actualis gratiæ collatio, non solis fidelibus, sed omnibus & singulis hominibus gratia debet actu conferri. Atque id docent Medistæ, non mali hac in re dialectici. Si autem gratia non omnibus actu confertur, sed tamen omnibus præparatur, ut putant Augustiniani & Thomistæ; omni proculdubio *antecedens* Dei voluntas, & universalis redemptio *præparationem* gratiæ, non actualem *collationem* requirit; & hæc actualis *collatio* pertinet ad voluntatem *sequentem*, & ad redemptionis proprietatem, juxta quam distribuuntur gratiarum dona, non æqualiter omnibus, sed *secundum mensuram donationis Christi*, ut supra diximus cum Episcopis Africanis, imo cum Paulo Apostolo *ad Ephesios* 4. 7. Constat itaque novos istos Theologos neque bonos esse Medistas, quoniam fatentur gratiam parvulis ante usum rationis sine baptismate raptis, & quibusdam quoque infidelibus denegari; quum tamen in Medistarum sententia ex voluntate Dei *antecedente* debeat gratia sufficiens conferri omnibus. Constat neque bonos esse Thomistas, quia voluntatem *antecedentem* referunt ad homines, ut existunt in certis rerum circumstantiis, & ad actualem divinorum donorum distributionem. Ac si fas esset Augustini discipulo injuriam injuria, & calumniam calumnia pellere, isti, isti, inquam, censores nostri negant revera voluntatem Dei *antecedentem* salvandi omnes, negant revera Christum esse mortuum pro omnibus; quia docent ex voluntate illa, & ex redemptione Christi inferri actualem gratiæ *collationem*, & fatentur gratiam omnibus non conferri. Sed videant ceteri, an legitimæ sint ac veræ istiusmodi consecutiones.

Dixi itaque, & dixi iterum, & rursus dico, ad voluntatem Dei *antecedentem*, & ad Christi redemptionem, prout ad omnes extenditur, necessariam esse *præparationem* mediorum, & pretii oblationem, qua cuncti, qui ipsi Christo tanquam capiti uniri possunt, consequi valeant salutem. In hoc sita est benefica illa voluntas, in hoc virtus & potentia passionis Domini. Nullibi tamen nego aliis, præter prædestinatos, conferri gratiam. Confertur hæc fidelibus, confertur impiis, confertur infidelium pluribus, sed inæqualiter, & *secundum mensuram donationis Christi*, meritorum ejus intuitu, dividente Spiritu, qui omnia operatur, *propria singulis, prout vult*. Hæc vero distributio, hæc collatio spectat ad voluntatem *consequentem*, & ad effectum, quem passio Christi sortitur in iis, *quibus applicatur per fidem, & caritatem, & per fidei sacramenta*. De hac voluntate *sequente*, de hac applicatione fructuum Dominicæ passionis loquor, dum sententiam Apostoli; *Vult omnes homines salvos fieri*, expono cum Augustino *pro generibus singulorum, non pro singulis generum*. Opus ne est, ut cum legentium fastidio hæc frequentissime repetantur? Attentius ergo libros nostros legant, qui vel Theologicæ disciplinæ laborantes ignorantia, vel calumniandi prurientes libidine, confundunt quæ dicimus de voluntate Dei *antecedente* cum iis, quæ asserimus de voluntate Dei *consequente*.

Tria sunt, quæ remanent breviter diluenda; unum quod accusator ait a me voluntatem, quam etiam *antecedentem* voco, dici *metaphoricam*, & *omnino sterilem*, nec auxilia distribuentem iis, qui pereunt. Alterum, me asserere voluntatem Dei, quæ alios, quam prædestinatos respicit, nihil aliud connotare quam *sufficientiam pretii infiniti*, & alia hujusmodi, inter quæ non recenseo largitionem mediorum saluti vere & proprie sufficientium, nequidem pro fidelibus. Tertium denique, *injuste* me loqui de S. Prospero ad objecta Massilienssium, & in carmine *de Ingratis*, & asserere tantum quæ libenter Jansenius, & Jansenii defensores admittunt.

Ad primum autem constat ex dictis, voluntatem Dei *antecedentem*, & *consequentem* distingui solummodo respectu connotatorum, sive, ne abjiciam phrasim Thomisticam, *respectu volitorum*; & voluntatem *antecedentem* propriam esse, veramque voluntatem ut connotat *præparationem* auxiliorum

liorum, & refertur ad homines *secundum se*: esse autem voluntatem *secundum quid*, *velleitatem*, nec in certis rerum circumstantiis impleri, nec fieri quidquid Deus *antecedenter* vult, seu, ut Scholastici plurimi tradunt, esse voluntatem *signi*, non *beneplaciti*, & voluntatem *metaphoricam*, comparate ad homines, *ut sunt*, & a parte rei in certis circumstantiis rerum adjunctis existunt, quoniam ad istos non refertur voluntas Dei *antecedens*, sed *consequens*. Ideo autem voluntas illa *antecedens* non est sterilis, nec infructuosa, quoniam per illam præparantur singulis media ad salutem conducentia, licet per talem voluntatem Deus illa media singulis non conferat, nec applicet; Jansenius vero, ejusque asseclæ docent post Adæ lapsum omnibus neque *conferri*, neque *præparari*. Atque hæc responsio traditur consensu ceterorum Thomistarum a Joanne Baptista Gonet *disput.* 4. *de Voluntate art.* 5. *num.* 99.

Ad secundum pariter constat voluntatem illam, qua fidelibus, aliisque distribuuntur actu auxilia gratiarum, esse voluntatem *consequentem*, non *antecedentem*. Quamquam & de voluntate *antecedente lib.* 17. *cap.* 4. prope finem scribo: *Præter sufficientiam pretii, necesse est, ut ad universalem redemptionem admittatur hujus pretii exhibitio, & institutio caussæ liberationis, qua possint peccata omnia remitti*; quæ sunt verba non tantum Lovaniensium in *Justificat.* censuræ suæ *pag.* 231. verum etiam S. Thomæ 3. *p. q.* 49. *art.* 1.

Ad postremum respondeo a me *præcit. cap.* 4. *lib.* 17. exscriptam fuisse nullo verbo immutatam S. Prosperi *responsionem* ad capitulum 9. *calumniantium Gallorum*, verbisque Prosperi nulla a me additur interpretatio. Qua in re appello legentium oculos. Eodem *capite* 4. in quo pertractatur de Christi morte, nullus ex carmine Prosperi *de Ingratis* a me versus producitur. Libro autem 5. *cap.* 1. proferuntur quidem ex eodem carmine *cap.* 16. hæc verba:

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi
Fit mora: non caussis anceps suspenditur ullis.

Verum hi S. Prosperi versus a me adversus sententiam meam *opp.* 2. objiciuntur; ac respondeo verba Prosperi accipienda esse *de voluntate consequente, & absoluta, quæ suum consummat opus*, idest, *de voluntate quæ connotat rerum effectum*; *non autem de voluntate antecedente, & quæ est de rerum possibilitate*. Ex quibus apertissimum esse reor, qualem fidem detractores nostri promereantur, quam infirmis conjecturis in nos obstrepant, & quomodo celebriores Augustini & Thomæ discipulos, quorum doctrinam Apostolica Sedes non semel declaravit *tutissimam & inconcussam*, probroso & invidioso *Jansenismi* nomine temere audacterque traducant.

CAPUT II.

De merito, & demerito, & libertate ad utrumque requisita.

ARCHIEPISCOPUS.

I. F*Berti cautius loqui videtur, ubi de libertate hominis, & de necessitate, quæ secundum Fr. Bellelli voluntati per gratiam, aut concupiscentiam victricem imponitur* accidentaliter, *& consequenter ad peccatum Adami, voces libertatis, indifferentiæ, resistentiæ, auxilii sufficientis frequenter usurpat, ut a Jansenio remotum se ostendat. Verum lectori fucum facere conatur, nec aliter a sodali suo de libertate, & merito judicat.*

At primo qualis est illa indifferentia, *quam activam vocat? Illa secundum ejus doctrinam in eo sita est, quod voluntas possit aut per gratiam, aut per concupiscentiam alternis vicibus moveri, non autem quod possit secundum præsentes, quas habet, vires, aut resistere gratiæ moventi, aut adjuta a gratia resistere concupiscentiæ actu dominanti, & relative ad illam.* (1) Semper est, *inquit*, in natura posse recipere gratiam.... & dici consuevit remota. *Quæ sit autem illa* potentia remota, *qua possit homo resistere concupiscentiæ, aut motioni divinæ, ita explicavit, approbando dictum quorundam Lovaniensium, qui tunc ad Jansenii doctrinæ defensionem satis aperte laborabant.* Ut homo possit converti, &c. *Sane* qui non habet panem, nec quidquam unde sibi panem procuret, *erit ne in vera potentia manducandi? Deus justus, & bonus potest ne talem punire, eo quod panem non manducavit? potest ne justum in hac impotentia deserere urgente præcepto? & qui in tali impotentia versatur, potest ne implere præceptum* secundum præsentes, quas habet, vires?

Objectioni huic occurrit dicendo: Neque dicas illusorie hoc dici, &c. *Sed hoc non potest exprobrari justo, qui post justitiam receptam nondum peccavit, & tamen urget mandatum præsens, & gratia destituitur. Deus ergo deserit illum antequam deseratur, & justo illi*, secundum præsentes, quas habet, vires, mandatum fit impossibile, & deest gratia, qua ei possibile fiat. *Quod est præcise una ex propositionibus in Jansenii libro damnatis.*

F. J. LAURENTIUS.

Quæ secundo articulo Cl. Senonensis Archiepiscopus præmittit de Fulgentio Bellelli, iis in compendium redactis, quæ ipsi objecerat Antistes Ruthenus, satis superque refutata, penitusque contrita a me fuerunt in altero volumine Augustiniani systematis vindicati. Illic in me quoque contorta, prolixe rejecta fuere, & confracta. Nihilo tamen minus ad ora calumniantium obstruenda non abs re erit adversantium tela rursus retundere. Quod autem Languetius fateatur a me nomina *libertatis, indifferentiæ, resistentiæ, & sufficientis auxilii* frequenter, ac saltem oretenus usurpari, gratias illi refero maximas; quoniam orthodoxis me sæpenumero consentire sermone linguæ non denegat. Fucum quidem verborum meorum, tum hic, cum alibi sæpe inofficiose reprehendit: sed operæ pretium est patefacere, num ipse potius lectitans scripta mea oculis lippientibus, lividisque, totus in caligine & in fuco versetur.

Pronuntiat ex tripode, secundum doctrinam meam, indifferentiam illam, quam voco *activam*, in eo sitam esse, quod voluntas possit aut per gratiam, aut per concupiscentiam alternis vicibus moveri, non autem quod possit secundum præsentes, quas habet, vires, aut resistere gratiæ moventi, aut adjuta a gratia resistere concupiscentiæ actu dominanti, & relative ad illam.

Ita ne explicatur in libris meis activa libertatis indifferentia? Ita ne? Lustret, quæso, optimus senex scripta mea paullo accuratius, adhibitisque, quandoquidem ei caligant oculi, conspicillis. Legat in præfat. libri 17. qui inscribitur *de hæresi Jansenianâ*, sive tom. 3. pag. 311. ubi de recentioribus Jansenii asseclis scribo: *Jam illud quoque concedunt, posse voluntatem a gratia excitatam ei reluctari: verum hanc reluctandi potestatem dari negant, quandiu voluntas actualis gratiæ inspiratione movetur, ita, ut libertas indifferentiæ nequaquam actu consistat sub victrici delectatione. Verbis itaque, non re, Theologi illi sunt a damnatis erroribus alieni.* Paullo inferius pag. 316. addo: *Ait Jansenius impossibile esse, ut vigente sancta delectatione illicitum prævaleat desiderium & consideratio peccati, & e contra sub vividiori concupiscentia necessario liberum arbitrium succumbere.* Et paucis interjectis subjicio pagina 317. tertia linea, *Nos contra contendimus nullam delectationem injicere vinculum libertati, nisi summi boni per lumen gloriæ manifestati, aut boni, ut inquiunt, in communi, extra quod divagari nequit voluntatis instinctus.* Ibique, *Sicut quacumque gratia præventus potest iniquus reluctari, ita quacunque premente cupiditate potest justus perseverare.* Et rursus, *Sententia nostra nec semper gratiæ dilectionem inspiranti assentimur, neque necessum est, ut sequamur quod magis delectat.* Iterum eadem pagina necessum esse affirmamus, *Ad profligandam scita Jansenii, sub parva delectatione veram potestatem agendi, atque sub delectatione victrici potestatem agnoscere reluctandi.* Evidentissimum itaque est, ingenuum illum delatorem, censorem librorum accuratum, judicem incorruptum (talis enim existimari vult Gallicanus iste Archiepiscopus) illam mihi doctrinam adscribere, quam ad dogmata proscripta rejeci. Et quoniam de libertate ad meritum, & ad demeritum requisita, data opera pertractavi *libro* 16. *cap.* 2. & 3. oro, obtestorque lectorem, ut in eam dissertationem, ex qua potissimum debet de me judicium proferri, non dedignetur oculos conjicere.

Laudato igitur *libro* 16. *cap.* 2. *pag.* 275. thesim hanc secundam propono, *Pertinet ad libertatis essentiam posse agere & non agere*: eamque thesim demonstro ex idea, & definitione libertatis, quam Augustinus definit voluntatis potestatem, *quæ sua deliberatione potest huc atque illuc flecti, hinc atque illinc referri*, & S. Thomas 1. *p. q.* 62. *art.* 8. *vim electivam mediorum*, animadvertens hujusmodi potestatem in iis, quæ necessario fiunt, non posse deprehendi: demonstro ex idea deliberationis; nemo quippe de iis deliberat, quæ in sui potestate non sunt, atque indifferentia, electio, & deliberatio semper liberum comitantur arbitrium: demonstro ex quo voluntas habeat operum suorum dominium ac potestatem; & docente Augustino *de Sp. & lit. cap.* 3. *hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit: si non vult, non facit*: demonstro denique ex damnatis propositionibus enuntiantibus solam violentiam & coactionem repugnare libertati, & libere fieri quod fit voluntarie, etiamsi necessario fiat. Addo *pag.* 279. adversus Jansenianos propositionem tertiam: *Libertas indifferentiæ superius explicata requiritur etiam in statu naturæ lapsæ ad meritum vel demeritum*, evertens principium illud, *quod sub dominatu concupiscentiæ, atque sub gratia victrici non maneat in libero arbitrio reluctandi potestas.*

Quomo-

(1) To. 3. l. 18. cap. 8. p. 443.

Quomodo ergo adhibenda est fides adversario affirmanti in eo per me sitam esse indifferentiam arbitrii, quod voluntas possit aut per gratiam, aut per concupiscentiam moveri alternis vicibus, non autem quod resistere valeat aut gratiæ moventi, aut concupiscentiæ actu dominanti: quomodo, inquam, fides adhibenda est adversario eam mihi sententiam objicienti, quam totis lacertis exagito, & evertere studeo?

Sed rogo, quando Episcopus me impetit tam evidenti, tam atroci calumnia, in quonam librorum meorum invenit dogmatizatum a me, non posse resisti ab homine adjuto gratia concupiscentiæ actu dominanti, & relative ad istam? Num *libro* 17. *cap.* 1. ubi Jansenianam doctrinam expono? nequaquam. Ibi *pag.* 316. oppositum trado, ut demonstratum est paullo superius. Num ubi impugno sequenti cap. 3. primam Jansenii propositionem? Nequaquam. Ibi pag. 333. hæc trado: *Contraria voluntas carnalis, quantumvis prævaleat, non obstringit arbitrium vinculo necessitatis, sed relinquit indifferentiam judicii, & potentiam ad oppositum*. Numquid ubi fusiori stylo de libertate pertracto? nequaquam. De libertate enim pertracto lib. 4. cap. 13. ibi vero tom. 1. pag. 378. dico: *In sensu Jansenii sub dominatu concupiscentiæ, aut gratiæ consistit libertas a coactione, quoniam homo peccat culpabili cupiditate, & recte agit victrici delectatione; neque cogit arbitrium cupiditas, vel delectatio. Hæc est perversa doctrina Jansenii*. De libertate rursus pertracto lib. 21. cap. 10. & illic scribo; *Errant turpissime Calvini, & Jansenii Gregales, qui putant libertatem cum necessitate consistere. Libertas a necessitate etiam post Adæ prævaricationem in hominibus perseverat. Motus liber erit tantumodo, ubi sit in voluntate potestas illum cohibendi*; aliaque id genus, de quibus vide 2. tom. Vindic. mearum *pag.* 221. De libertate demum pertracto *lib.* 16. ubi quæ mihi objiciuntur instituta dissertatione refelli demonstratum est nuper, idque non fuco, verborumque pigmento, sed verbis potius quadratis, rotundis, & quantum fieri poterat, apertis atque perspicuis.

Unde ergo in mentem sagacibus doctisque viris cadere potuit tam præceps de me, iniquum sinistrumque judicium, quod asseram non persistere sub validiori concupiscentia, aut gratia potestatem reluctandi? Aut forte fortuna, aut tendens aucupia incidit is in hæc mea verba lib. 18. cap. 8. sive tom. 3. pag. 445. *Semper est in natura posse recipere gratiam, ideoque semper est in hac vita libertas in utramque partem flexibilis, in malum seipsa, in bonum adminiculis suffulta divinis. Atque hæc est potentia, ut dici consuevit, remota*. Hinc disputator, ut sibimet videtur, acutus, mentisque nostræ inspector omniscius, ratiocinium infert istud: *Quæ sit autem illa potentia remota, qua possit homo resistere concupiscentiæ, aut motioni divinæ, ita explicavit approbando dictum quorundam Lovaniensium, qui tunc ad Jansenii doctrinæ defensionem satis aperte laborabant*.„ Ut homo possit converti, non requiritur ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore, quo posse dicitur, sed satis est, si habere illam, & obtinere possit. Quomodo dicitur homo posse manducare panem, etiam cum panem non habet, nec etiam quidquam unde sibi panem comparet: ut etiam dicitur videre potest, qui non habet lucem, sed in tenebrosum carcerem injectus est, quamvis sine luce visurus sit numquam. „ *Sane qui non habet panem* (prosequitur recitatis verbis Lovaniensium Languetius) *nec quicquam unde sibi panem procuret, ne erit in vera potentia manducandi? Deus justus & bonus potest ne talem punire, eo quod panem non manducaverit? Potest ne justum in hac impotentia deserere urgente præcepto? Et qui in tali potentia versatur, potest ne implere præceptum, secundum præsentes, quas habet, vires?*

Bene, & apposite. Atqui debebat criminator meam de libertate sententiam scrutari, ubi consulto, & data opera de illa pertracto, non autem quæ illic demonstro singula Jansenianis præcludens effugia, negligere, ac præterire silentio. Sed age: quoniam hæc avide arripuit insimulandi caussas prætexens, nodosque quærens in scirpo; ostendam quid octavo illo capite libri 18. agatur; quam recte proferatur Lovaniensium doctrina; & quam inepte detorqueantur ad justos quæ illic a me traduntur.

Itaque *libro* 18. *Theolog. discipl. cap.* 8. differendum suscepi de gratia sufficiente; & propositione 3. unde quæ mihi objiciuntur, exscripta sunt, definio, quod non sit necessaria *ad imputationem peccati præsens & actualis gratiæ inspiratio*. Non agitur ibidem de justis, sed de impiis, quibus juxta plurimorum sententiam subtrahitur in pœnam peccati sufficiens auxilium; & nihilominus eodem auxilio destituti libere peccant, & converti possunt: peccant quidem, quoniam ad malum humana natura seipsa sufficit: converti autem possunt, quia etiamsi gratia actu careant, illam tamen, quandiu sunt in hac vita, habere possunt a Domino, qui cui donat eamdem gratiam, misericorditer donat.

Non arbitror Adversarium nostrum esse in Theologia adeo rudem, ut ignoret hanc esse Thomistarum fere omnium firmissimam assertionem. Hi enim objicientibus non posse impios, si destituti sint gratia, converti, & evitare peccatum, cum ad se convertendum, vitandumque peccatum ipsa gratia sit necessaria; respondent posse, quoniam possunt eamdem gratiam recipere, atque, ut docet Doctor Angelicus, illud non est impossibile quod possumus cum auxilio divino, quia ut Philosophus ait in 3. ethic. *Quæ per amicos possumus, aliqualiter per nos possumus*. Id revera S. Thomas ait 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. & 2. 2. *q.* 156. *art.* 2. atque hæc Angelici Doctoris verba ibidem, citatis locis produxi; sed ea callidus accusator prætermisit, interpolatis verbis meis. Ceterum pari fraude nos insectante Gallo altero, ostendi secundo Vindiciarum volumine *pag.* 297. revera sententiam meam esse beatissimi Thomæ, hujusque discipulorum. Unum nunc addam, cui Thomistæ reliqui subscribunt utroque pollice, Gonetum scilicet, qui *disp.* 4. *de Reprobat. art.* 6. §. 2. *nu.* 219. inquit: *Ut homo dicatur posse salvari, sufficit quod licet non habeat gratiam dantem potentiam, possit tamen illam recipere, & Deus possit illam conferre, quod totum verificatur de homine, quandiu est in hac vita; & ideo vere dicitur posse salvari*. Addit paullo post nu. 121. *Possibile dicitur dupliciter; primo extrinsece ab extrinseca potentia alterius; nam ut docet Aristoteles lib.* 3. *ethic. cap.* 3. *id, quod per amicos possumus, per nos ipsos posse censemur. Secundo intrinsece, ratione principii actu in subjecto existentis, proportionati ad id, quod possibile dicitur*. Atque hinc infert præclarus Thomista, *infideles, & peccatores alios omni auxilio destitutos habere solam illam potentiam extrinsecam, fundatam principaliter in potentia Dei, & virtute meritorum Christi, & minus principaliter in arbitrii libertate, ut docuit D. Thomas* 3. *p. q.* 8. *art.* 3. *ad* 1. Hoc nos prælaudata prop. 3. tradidimus; strepitque murmure, & excandescit perperam conviciator.

Venio ad verba Lovaniensium, quæ a narrata Thomistarum sententia nullatenus differunt. Habentur eadem verba *cap.* 12. *Justificationis*: ibique non tantum legitur, ut homo possit converti, non requiri *ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore, quo posse dicitur*: sed additur, *si habere illam, & obtinere possit*. Propter additamentum istud dixi Lovaniensium sententiam a sententia Thomistarum non discrepare. Eo autem modo nonne recte dicitur mendicus, qui caret pane, & pecunia, qua panem sibi comparet, posse manducare, quia misericors homo potest illi panem stipemque largiri? nonne recte dicitur in tenebrosum carcerem injectum posse videre, quoniam, etsi caret luce, afferri potest lucerna, & occlusa fenestra aperiri? Cur ergo adversarii nostri quasi subsannando regerunt, *Qui non habet panem, nec quidquam unde sibi panem comparet, eritne in vera potentia manducandi*? Quomodo ita cæcutiunt, ut in verbis Lovaniensium non cernant conditionem illam, *Si habere & obtinere possit*, neque secernunt *extrinsecam* illam & *intrinsecam* potentiam tam dilucide a Bannesio, a Goneto, & ab ipso Angelico Doctore explicatam?

Quoniam vero criminator *justificationem* Theologorum Lovaniensium parvipendit & rejicit, atque supino errore, evidenti mendacio, manifestaque injuria tunc editam asseverat, quando *ad Jansenii doctrinæ defensionem satis aperte laborabant*; tædet me in viro, quem alioqui veneror plurimum, temporum quoque ignorantiam, densamque, qua judicium in me proferens circumfundebatur, caliginem patefacere. Certum quippe est, Jansenium anno 1585. adspexisse primum mortalium lucem: anno 1617. consecutum Lovanii lauream doctoratus: anno 1635. indeptum Episcopalem Iprensem Cathedram; neque de Jansenii doctrina disputatum est, nisi post ejus obitum, qui contigit anno 1638. At *censura* Lovaniensium prodiit die 9. Septembris anno 1587. & *justificatio censuræ* anno 1588. die augusti decimaseptima, quando Jansenius agebat tertium ætatis annum. Quis ergo, nisi labilis memoriæ seniculus, scripsisset de Lovaniensibus censuram, & justificationem conscribentibus, *Tunc ad Jansenii doctrinæ defensionem satis aperte laborabant*?

Dixisset saltem Archiepiscopus, *Ad defensionem Baji*, cujus doctrinam ajunt renovasse Jansenium. At id asserenti facillimum fuisset respondere, *censuram* & *justificationem* Lovaniensium fuisse editas contra 24. propositiones Medistarum, quibus Leonardus Lessius, & Joannes Hamelius anno 1585. cœperunt Lovanii tradere novam de divina gratia doctrinam. Quisquis solam *censuræ*, & *justificationis* legerit præfationem, vel theses & antitheses simul contulerit, editas illas adversus Molinianos non diffitebitur. Ipsimet religiosissimi Patres Societatis Jesu in *imagine* 1. *seculi lib.* 6. *cap.* 4. querebantur, ad ipsorum dedecus *majorem Episcoporum partem, & quædam collegia Canonicorum, geminis duarum Academiarum censuris* (Lovaniensi, de qua modo, & Duacensi latæ die 9. Septembris anno 1587.) *calculum adjecisse*.

Parcendum est, cum hæc ita se habeant, scientiæ mediæ patronis, si commemoratas censuras odio prosequantur Vatiniano. Iisdem censuris vulnus sententiæ Lessii & Hamelii inferebatur acerbum. Omnem propterea movent lapidem, ut ipsarum censurarum elevent auctoritatem, nobisque inverecunde objiciunt posteriorem alteram Duacensem, licet proscripta sit, & indici librorum expurgandorum inserta. In cassum tamen illorum recidunt machinationes. Lovanienses enim sæpe *censuram* suam confirmarunt, eamdemque Ven. Baronius, & in Congregationibus de Auxiliis sub Clemente VIII. Thomas de Lemos, postea com-

plures

plures summi Theologi adprobaverunt. At vide Historiam de Auxiliis *lib.* 1. *a capite* 2. *usque ad* 13. Etenim mihi a *censura* & *justificatione* Lovaniensium ad judicium Archiepiscopi Senonensis revocanda est dissertatio.

Posteaquam aperto mendacio ait justificationem censuræ tum editam a Lovaniensibus, cum satis aperte ad Jansenii doctrinæ defensionem adlaborarent, interrogationem hanc irrisoriam subjecit: *Deus justus & bonus potest ne talem punire eo quod panem non manducavit? Potestne justum in hac impotentia deserere urgente præcepto? & qui in tali potentia versatur, potestne implere præceptum secundum præsentes, quas habet, vires?*

Verum aut callide, ac versute, aut certo certius fallaciter de una in alteram quæstionem, ut me Jansenianis adnumeret, transgreditur insimulator: sed perperam nititur retia expandere ante oculos pennatorum. Vidimus, quod sola librorum nostrorum, & prælaudati capitis octavi inspectione cuique perspicuum erit, agi propositione illa tertia de ea quæstione, *An imputari possit peccatum iis, quibus ob illorum culpam denegatur actualis gratiæ inspiratio*, non de quæstione altera, *An justis denegetur gratia sufficiens*. Unde ergo præceps ille saltus, & excursio extra oleas, *Potestne justum in hac impotentia deserere?* Aliter de impio destituto gratia, aliter de justo, cui gratia adest, ratiocinemur, oportet: de illo dicimus habere potentiam evitandi peccatum, quia præditus est libero arbitrio, & potest recipere gratiam: de justo autem, ubi de hoc pertractamus, & liberum arbitrium, & sufficientem gratiam habere docemus. In impotentia vero nec justus versatur, nec impius, quia ille habet gratiam, & iste potest habere.

In capite illo octavo *tom.* 3. *pag.* 444. positionis nostræ munimenta petimus ex Augustino, cujus *de corrept. & grat. cap.* 6. hæc sunt verba: *Si nondum regenerati sunt, primam esse caussam, cur objurgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit hominem rectum ab initio, & non est iniquitas apud Deum ..... Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio*. Porro neque ii, qui nondum lavantur aere, pronuntiarent non regeneratos, & regeneratos, ac justificatos, qui in malam vitam voluntate sua relabuntur, esse justos. Producimus deinde Prosperi versus ex carmine *de Ingratis cap.* 32.

Non autem recte, nec vere dicitur, illos
Qui sunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus.

Quis vero adeo hebes ingenio est, ut justos appellet, quos gratia neglexit, & qui degunt in umbra mortis? Hæc Augustini & Prosperi testimonia verbis Lovaniensium, quæ mihi exprobrat accusator, proximum tenent locum, non tamen illa vidit, qui scripta nostra *maturo examine* a se ponderata fuisse testatur.

De iis ergo, qui rectissimo Dei judicio non adjuvantur a Deo, a quorum numero excludimus justos, asserimus reos esse peccati, quoniam voluntate sua cadunt; & adjutorio divinæ gratiæ propter mala merita sua exspoliantur; & asserimus posse converti, quia habent naturalem facultatem li eri arbitrii, & quandiu sunt in hac vita, possunt recipere gratiam, quæ iis, quibus datur, misericorditer datur; & quibus non datur, justo judicio non datur. Hæc est nostra de iis, quibus gratia subtrahitur, sententia. Qui utique redarguendi, & corripiendi sunt, dum peccant, quia acceptam Dei gratiam suo in malum libero amiserunt arbitrio; quemadmodum redarguendus, & corripiendus foret prodigus ille filius, qui relicta paterna domo, in qua etiam mercenarii abundant panibus, & abiens in regionem longinquam, premeretur fame, & siliquis vesceretur.

Profecto non est eodem pacto ratiocinandum de justis. Pertractatum de his a me fuerat *de hær. Jansen. lib.* 17. *cap.* 3. *prop.* 1. ubi cum SS. Augustino, & Prospero demonstravi, Deum neminem deserere antequam deseratur, verbisque Apostoli in 1. ad Corinthios 10. 12. Tridentinæ synodi sess. 6. cap. 11. condemnatione articuli 54. Baji, Auctoritate S. Thomæ, aliorumque Theologorum, primam Jansenii propositionem refutavi. Quamobrem evidentissima res est, me non eodem modo ratiocinari de impio destituto gratia, & de justo gratia suffulto; sed criminatores Augustiniani systematis quæ a me de illo traduntur, cum iis quæ dicuntur de altero, aut subdole, aut imperite, aut, quod de viris optimis existimandum est, incogitanter confundunt.

ARCHIEPISCOPUS.

II. *Porro fluit hæc propositio, sicut & ceteræ in Jansenio damnatæ, ex illo principio Yprensis Episcopi*, quod magis delectat *delectatione indeliberata*, illud operari necessum est. *Idem principium sibi genuinum fecit Fr. Berti, & ita pro certo ab eodem traditur, ut concurrentibus duabus delectationibus gratiæ, & concupiscentiæ in æquali gradu voluntas debeat remanere anceps*. (1) Cum trahatur animus, *inquit*, delectatione sancta, & noxia, nunquam se inclinabit in unam potius, quam in alteram, sed pendebit anceps, donec una sit robustior, eamque deprimat: *Rationem reddit illico*: Nullus enim, nisi a fortiore, vincitur, & superatur. *Quod impossibilitatem, & necessitatem a F. Bellelli traditam omnino exprimit. Quis ergo libertatis humanæ, & indifferentiæ usus?*

F. J. LAURENTIUS.

Principium illud, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, traditur ab Augustino in caput 5. epistolæ ad Galatas, & dummodo germano intelligatur sensu, nequit ulla ratione reprobari. Hunc sensum nos talem esse affirmavimus libro 14. Theol. discipl. cap. 11. & tom. 2. Apolog. pag. 155. *Augustinus docet nos necessario sequi quod magis delectat, sumpta necessitate pro infallibili consecutione actus, non pro negatione possibilitatis ad actum oppositum: quo sensu necesse est ut sedeamus, quando efficaciter sedere volumus, salva semper potestate non volendi quod volumus*. Nemo non videt de qua necessitate interpretemur Augustinianum illud proloquium. Accipiendum illud esse affirmamus, *Sumpta necessitate pro infallibili consecutione actus, non pro negatione possibilitatis ad actum oppositum*, idest, de necessitate illa *consequente*, quam Thomistæ & Augustiniani omnes agnoscunt sub gratia per se efficaci. Imo contra Jansenium disputans *lib.* 17. *cap.* 1. sive *tom.* 3. *pag.* 317. me scripsisse *memini*, *Sententia nostra nec semper gratiæ delectationem inspiranti adsentimur, neque necesse est ut sequamur quod magis delectat*. Neque hæc pugnant cum præcedentibus, quia illic de *consequente*, hic vero de *antecedente* necessitate loquuti sumus. Consentire nobiscum per omnia Antoninum Massouliè in opere, cui titulus, S. *Thomas sui Interpres*, disp. de libert. q. 6. art. 6. demonstratum est tom. 2. Vindic. *dissert.* 4. *cap.* 1. §. 8. *num.* 7. Necessum non est, ut singula repetantur. Vide Massouliè *tom.* 1. *pag.* 149. nostramque dissertationem *tom.* 2. *pag.* 153.

In Augustiniano illo axiomate addidit pro lubitu Senonensis Antistes, ea verba, *delectatione indeliberata*, tacite Janseniani erroris insimulans Theologos, qui ipsum axioma de sola delectatione deliberata non explicant. Verum priusquam voluntas deliberet, sibique propositum bonum amplectatur, requiritur, ut Deus illi delectationem victricem immittat; quoniam animus voluptate trahitur; ejusque pondus est amor. Ut ergo bonum velimus, facit Deus *sine nobis* inspirando dilectionis suavitatem: quando autem volumus, operatur *nobiscum* adjuvans voluntatem nostram, ut quod volumus, impleamus. Ita inspiratio dilectionis, & effectricis gratiæ præmotio, *indeliberata* est; actus vero dilectionis, & opus quod perficitur, *deliberatus*. Qui non ignorat gratiæ prævenientis, & operantis, a gratia subsequente, & cooperante discrimen, facile percipiet quæ dicimus: si quis ignorat, is taceat, redeatque ad vestibula Theologiæ.

Theologi itaque constituentes prævenientem gratiam *in sanctæ dilectionis inspiratione*, & nobiscum propugnantes hanc gratiam in iis, qui actu operantur, ut oportet, esse adjutorium per se efficax, ipsam prævenientem gratiam absque ulla hæsitatione appellare tenentur *delectationem indeliberatam*, qua voluntas efficaciter trahitur. Ab hac autem præveniente gratia, sive ab hac inspiratione sanctæ dilectionis excitata voluntas liberum exequitur opus, quod sequitur ex præmotione divina necessitate illa, quæ in schola Thomistica agnoscitur sub physica prædeterminatione, necessitate nimirum *sequente*, non *antecedente*, sive, ut nos supra diximus, *infallibili & certa consecutione actus*, & non sublata liberi arbitrii ad actum oppositum potestate.

Augustinianum proloquium, de quo agitur, eodem modo de delectatione *indeliberata* explicavit quoque Petrus de la Broue Episcopus Mirapiscæ in opere inscripto, *Defense de la grace efficace par elle-mesme*, edito Parisiis anno 1721. Cujus utique viri, quamquam unus fuerit Appellantium, credo posse me testimonium exscribere, propter inserta verba Eminentissimi Cardinalis de Bissy, & doctrinam præstantissimi Meldensium Antistitis Jacobi Benigni Bossuet, maxime quod prælaudata gratiæ seipsa effectricis *defensio* nulla, ni fallor, confixa est Romana censura. Hujus itaque operis articulus 22. pag. 261. est hujusmodi, *Explication de l' axiôme de S. Augustin*, Qu' il est nécessaire que la volonté agisse, selon ce qui lui plait. „ Doctrina autem hujus Episcopi est quæ sequitur. *Il ne paroit pas que Saint Augustin dise dans cet endroit rien de plus, que ce que nous venons de lire dans les passages du livre de l' esprit & de la lettre, & de l' enchiridion, que j' ai dejà citez. Cependant cet axiôme fournit une occasion aux nouveaux Molinistes, d' attaquer les defenseurs de la grace efficace par elle-même, comme s' ils enseignoient cette même grace*

(1) T. 3. p. 203. 204.

grace nécessitante lorsqu' ils employent cet endroit de Saint Augustin, pour expliquer la force de la grace médicinale de Jesus-Christ.

Ils n' abuseroient pas de cet axiôme de Saint Augustin, pour calomnier les docteurs catholiques, qui font une profession particuliere de suivre la doctrine de ce Saint, s' ils étoient aussi équitables, que M. l' Evêque de Meaux, aujourd' hui M. le Cardinal de Bissy. Voici comme il s' explique au commencement de son ordonnance sur le Jansenisme: „ On peut entendre ce texte de Saint Augustin d' un plaisir indélibéré, qui nécessite l' homme à agir d' une nécessité physique & antécédente, qui est celle à la quelle on ne peut résister, & qui précede le consentement de la volonté. *Et tout de suite:* On peut aussi l' entendre d' un plaisir indélibéré, mais qui n' impose à la volonté, en la faisant agir, qu' une nécessité morale & improprement dite, parce qu' elle n' ôte pas le pouvoir parfait & exempt de tout empêchement, de ne pas agir. *M. le Cardinal de Bissy continue:* Que si Saint Augustin parle d' un plaisir indélibéré, quand il dit, *qu' il est nécessaire que nous agissons conformement à ce qui nous plait le plus*, on doit interpréter cet mot *nécessaire*, d' une nécessité morale, & improprement dite. Car il reduit tout l' effet de la nécessité, qu' impose à l' ame le plaisir de la grace, à lui faire mener une vie chaste, & il ne prétend nullement lui ôter le pouvoir de changer de conduite, & de pécher. „ Plura addit vir præstantissimus de indeliberata delectatione explicans Augustini proloquium: de quo accipiendum esse docet cum Meldensi Episcopo Bossuet verba illa ipsius Augustini, *Rogandus est Deus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit;* & quæ sequuntur, *Si Deus hoc velit, necesse est hoc esse*; ut quæ habentur lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. *Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Quæ omnia de necessitate consequente, & ex suppositione voluntatis & præmotionis divinæ, non de necessitate absoluta & antecedente, explicanda sunt, quemadmodum nos explicavimus axioma S. P. Augustini, *Quod amplius nos delectat, secundum illud operemur necesse est.* Modo ad judicium Senonensis Episcopi revertamur.

Auctor quoque *Jansenismi Redivivi pag.* 187. mihi objecit, quæ iterum urget illustrissimus Archiepiscopus, & scripta fuerunt a me *lib.* 14. *cap.* 11. idest, tom. 3. pag. 203. *Cum trahatur animus delectatione, si ex æquo afficiatur delectatione sancta, & noxia, nunquam se inclinabit in unam potius, quam in alteram; sed pendebit anceps, donec una sit altera robustior; nullus enim, nisi a fortiori, vincitur, & superatur.*

Vellem cetera Adversarius prosequutus fuisset: ita enim immediate hæc subjicio, *Et voluntas vetus & nova, dum ista illam non superat, & pugnant conflictatione, discordando dissipant animum, ut Augustinus docet* lib. 8. Conf. cap. 5. *Tertio quia in æquali gradu concupiscentiæ & gratiæ, gratia concupiscentiæ, non concupiscentia gratiæ succumberet; quia homo etiam cum æquali virtute majorem habet ad malum, quam ad bonum, inclinationem: & ideo Augustinus scribit de corrept. & gratia cap.* 12. „ Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen propter electionem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet „ *Denique agere & non agere in æquilibrio virium, & determinare seipsum absque efficaci Dei præmotione, est liberi arbitrii sani, & robusti, non autem infirmi.* Pugno itaque in loco, qui mihi objicitur, pro gratia efficaci, sine qua homo in statu naturæ lapsæ succumberet, licet libere, nec potestate ad oppositum per peccatum prorsus extincta, eo modo, quo libere in peccatum labitur, & nunquam resistit concupiscentiæ, solo gratiæ sufficientis adjutorio, non gratia efficaci, aut congrua suffultus. Debebat hæc animadversor expendere, aut inspicere quæstionis, quæ ibidem agitur, inscriptionem.

Veterem ergo, cantilenam repetenti succinendum est eodem tono. *In conflictu* (ita scripsi tom. 2. Vindic. pag. 229.) *in conflictu duarum delectationum pendere ancipitem voluntatem, nisi una alteram superet, neque consequi opus, nisi delectatio victrix accedat, docuerunt viri doctissimi prælaudati cap.* 1. §. 2. *Macedus nempe scribens*, Augustinum delectationes carnis opponere delectationibus spiritus, in ea pugna concupiscentiam cum gratia committere, & fortiori victoriam assignare: *Mansius ore omnium Augustinensium affirmans*, non posse voluntatem plene imperare actus subsequentes, sed inter duos amores fluctuare, nisi amor honesti superet contrarium amorem: *Gonzales, altique Thomistæ a Cravesonio laudati, docentes gratiam nunquam fore efficacem, nec voluntatem recte operaturam*, nisi gratia majores efficaciæ gradus habeat, & superet gradus obstinationis: *Antoninus Massouliè demonstrans itidem nunquam gratiam fore effectricem*, si resistentiam voluntatis omnino non vincat: *Auctor Operis inscripti* Le Disciple pacifique, *plurimum commendans sententiam docentem*, Que la même grace qui surmonteroit trois ou quatre dégréz d' obstination, parce qu' elle seroit dans un dégré très-propre pour le surmonter, pourroit n' avoir pas la même convenance, ni par consequent le même effet & le même succés, si elle trouvoit six dégréz d' opposition, d' obstacle, & de résistance: *S. Thomas docens non moveri voluntatem a congruo & convenienti bono*, nisi sua vi superet vim, & effrænis concupiscentiæ impetum: *Augustinus demum sæpenumero affirmans, gratia inspirari* certam scientiam & victricem delectationem, *fieri*, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntas spiritus vincat, *atque*, ut plus delectet quod Deus præcipit, quam delectat quod impedit. *Ergo quod inter delectationes sit pugna, & quod fortior alteram superet, nec Janseniana doctrina est, nec nova, nec quæ commovere debeat Theologum vel mediocriter eruditum. Jansenii error & hæresis delectationi, quæ alteram vincit, alligat* necessitatem antecedentem & physicam: *quam a nobis rejici rursus ostenderem, nisi ex præcedenti* §. 1. *&* 4. *atque ex tota hac dissertatione manifestissimum foret.* Hæc ego citata dissert. 4. cap. 2. §. 6. & longe plura cap. 1. §. 2. ad quæ loca lectorem remitto.

Ex dictis colligitur, sub gratiæ per se efficacis, vel sub delectationis victricis præmotione, talem esse usum humanæ voluntatis, ut *libere* quidem, sed *infallibiliter* operetur: *libere* cum potestate ad oppositum; *infallibiliter*, cum actus, qui supposita hac præmotione numquam suspenditur, certissima consecutione. Quod disertis planisque verbis affirmavi præcitato capite 11. libri 14. & cap. 1. libri 17. prout demonstratum est hactenus.

ARCHIEPISCOPUS.

III. *Hinc est quod ita gratiam efficacem definiat*: Est victrix delectatio, sive caritas, quæ superat contrariam cupiditatem. *Quam definitionem explanando ait*: Hæc delectatio, & caritas, &c. *Nec vox illa* libere obtemperat *ad faciendum fucum apposita quidquam systemati gratiæ necessitantis detrahit: siquidem paullo post addit:* Sequitur ex hac victrice delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat (1). *Hac fretus sententia, quam ex Augustino male intellecto deprompsit, & cui sæpius in suo opere inhæret*, Augustinus, *inquit*, docet nos necessario sequi quod magis delectat.

Ut autem hanc necessitatem relativam conciliet cum iis, quæ præclare dicere videtur de libertatis indifferentia, & de merito, & de demerito, aliam a sodali suo viam inire tentat, quæ non minus definitionibus Ecclesiæ contradicit, & Jansenii erroribus non minus favere videtur. Contendit enim ad meritum sub gratiæ impulsu fortioris, seu superioris delectationis cælestis indeliberatæ, sufficere in statu naturæ lapsæ potestatem non quidem abstinendi a bono opere, sed potestatem hoc, vel illud bonum eligendi. Item sub impulsu concupiscentiæ fortioris sufficere ad demerendum potestatem eligendi hoc, vel illud peccatum, nec requiri potestatem abstinendi simpliciter a peccato. Ex quo principio sequitur justum in statu naturæ lapsæ sufficienter esse liberum solo impulsu gratiæ necessitantis ad bonum, si unum præ alio bono possit eligere.

F. J. LAURENTIUS.

Stupenda res est, systematis nostri impugnatores rodere rursus & carpere definitionem illam gratiæ efficacis, *Est victrix delectatio, sive caritas, quæ vincit contrariam concupiscentiam*. Demonstravi in Vindiciis *disput.* 4. *cap.* 1. §. 2. *num.* 6. S. P. Augustinum eamdem tradidisse definitionem in libris de corrept. & grat. cap. 9. num. 31. ubi ait adjutorio *quo* fieri, ut homo tanto ardore diligat, *Ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*: lib. de Sp. & lit. cap. 29. num. 51. ubi inquit: *Inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum facit* (Deus) *plus delectare quod præcipit, quam delectet quod impedit*: eodem libro cap. 35. num. 63. ubi scribit: *Fieret si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis doloriſve impedit, delectatio illa superaret.* libro 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 19. nu. 32. ubi per effectricem gratiam docet a Deo tribui *certam scientiam & victricem delectationem*. Quid vero intercedit discriminis inter definitionem illam meam, & inter verba hæc Augustini?

Meam dixi definitionem, quod illam tradiderim, non quod ego omnium primus invenerim. P. Macedo eamdem definitionem produxerat in *Cortina pag.* 20. Cardinalis Brancatus de Lauræa illam pluribus argumentis exemplisque illustrat & comprobat *opusc.* 3. *de gratia num.* 316. Illam ex Thomistis probarunt Joannes Gonzalez *controversia* 1. *de gratia cap.* 4. & Antoninus Massouliè *diss.* 2. *de libertate creata q.* 6. *art.* 6. Ipsimet Congruistæ gratiam,

(1) L. 14. c. 8. p. 156.

tiam, quam congruam vocant, & putant esse efficacem ab eventu, & a determinatione voluntatis, *victricem delectationem* appellari ab Augustino fatentur, ut Vasquez *p. 1. disp. 67. & 1. 2. disp. 186. cap. 11. num. 56.* Quorum, aliorumque testimonia produxi *tom. 2. Vindic. dissert. 4. cap. 1.* ideoque ab eis iterum exscribendis abstineo.

Ridiculum est etiam, quod subjicit criminator, ludere me verbis, & fucum facere, dum libertatem sub victrice delectatione commendo, eo quod scripserim libro 14. cap. 8. sive tom. 3. pag. 156. *Sequitur ex victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus complectatur bonum quod magis delectat.* Enimvero *Infallibiliter* dixi, non *Necessario*: immo si *Necessario* dixissem, solam consequentiæ necessitatem adstruendo, recte dixissem. Est ne unus inter Theologos, non Thomistas tantum & Augustinenses, verum & inter Congruistas, qui non affirmet ex gratia efficaci consequi effectum *infallibiliter*? Est ne unus, ad cujus notitiam non pervenerit quod ait Augustinus in libro de correpr. & gratia cap. 12. num. 38. *Infirmis servavit Deus, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent*: Et de prædestinat. SS. cap. 8. num. 13. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur?* Est ne unus, qui nesciat S. Thomam 1. 2. q. 112. art. 3. hæc scripsisse: *Si præparatio ad gratiam consideretur secundum quod est a Deo movente, tum habet necessitatem ad id, quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest, secundum quod Augustinus dicit in libro de prædest. SS. quod per beneficia Dei certissime liberantur quicunque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur, secundum illud Joannis 6.* „ Omnis, qui audit a Patre, & didicit, venit ad me? „ Hinc Thomistæ omnes cum Didaco Alvarez *de auxiliis* disp. 122. num. 17. *Posita gratia efficaci*, inquiunt, *in libero arbitrio, infallibiliter sequitur, quod ipsum liberum arbitrium pie operetur, ut hæc duo simul sint incompossibilia, quod scilicet gratia efficax ponatur in homine, & homo actu dissentiat.*

Cum hæc tamen sint cunctis Theologis apertissima; criminari nos audet conviciator, quod asseramus effectum ex victrici delectatione consequi *infallibiliter*, aperto marte pugnans adversus fulgidissima Ecclesiæ lumina Augustinum, & Thomam. Et quod caput est, ac in nobis intolerabile foret, & in adversariis nostris non advertitur, aut excusatur, eodem cap. 8. eademque pagina 156. unde verba mea obtruncata, & mutilata producunt, ita locutus sum ambiguitatem omnem evitans: *Nos dicimus indeliberatam esse hanc delectationem, quatenus inspiratur a Deo; & proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, nisi accedat liberi arbitrii deliberatus assensus, firmissime tenemus: cum meritum haberi nequeat sine indifferentia libertatis. At hæc delectatio victrix conjuncta est cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato. Quamvis enim sit hæc efficax gratia antecedens, & Deus sine nobis faciat ut velimus: nihilotamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur Beatis per lumen gloriæ, ideoque remanet indifferentia judicii, & vera libertas, quam habere nequeunt Beati in patria: ut explicavi in libro de scientia Dei cap. 13. regula 6. de Angelis capite pariter 13. & de primo homine cap. 10. Quamobrem sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat, sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali.* En libertas, & indifferentia judicii, a me eo ipso in loco asserta & explicata, ubi verbis meis mutilatis autumant denegari. Sed est iniquorum Accusatorum temeritas & confidentia, ut sibimet persuadeant proposita a se objecta in suis, non autem in scriptis meis legi, & dijudicari oportere.

Cetera hujus paragraphi criminatoris verba non moror. Quo enim in loco scriptum est a me, sub victrici delectatione non remanere potestatem abstinendi simpliciter a peccato, & sub impulsu gratiæ necessitantis ad bonum posse hominem eligere hoc, vel illud bonum, neque habere potestatem peccandi, vel non peccandi? Aut delirat, aut somniat, autem saltem sibi monstra fingit, qui ista scriptitat. Nostra hæc apertissima sententia est, quam declaravimus lib. 17. cap. 1. pag. 317. *Sicut quacumque gratia præventus potest iniquus reluctari; ita quacumque premente cupiditate potest justus perseverare*: & paullo inferius affirmamus oportere ad profliganda scita Jansenii, *Sub parva delectatione veram potestatem agendi, & sub delectatione victrici potestatem agnoscere reluctandi.* Vide etiam quæ dixi libro 14. cap. 11. pag. 201.

Me non latet, displicere nonnullis, quod efficacem gratiam dixerim victricem illam delectationem, quæ superat contrariam concupiscentiam, adeo ut eadem gratia relative ad diversos gradus carnalis delectationis sit efficax, vel inefficax: sed hanc esse complurium catholicorum Theologorum sententiam, tam luculenter demonstravi *dissert. 4. apolog. cap. 1. §. 2. a numero 1. usque ad 9.* ut necessum non sit eadem rursus cum legentium tædio repetere.

ARCHIEPISCOPUS.

IV. *Similiter & justum, cui gratia a Deo denegaretur, sufficienter ait esse liberum ad demerendum, si solum possit, ex. gr. loco furti homicidium perpetrare, aut fornicationis loco adulterium. Quæ doctrina æque pugnat cum Concilio Tridentino, & cum decretis Summorum Pontificum latis contra Jansenium. Audiatur ipse Auctor* (1): Contingere tamen potest, ut voluntas sit determinata, &c. *Hæc F. Berti de libertate ad merendum requisita.*

F. J. LAURENTIUS.

Atrox est, & iniquissima postrema hæc exprobratio. Nam justus non solum habet potestatem liberi arbitrii, & potentiam illam extrinsecam, qua potest adjuvari a Deo, quandiu in hac vita versatur; sed habet ulterius potentiam illam intrinsecam, quam illi tribuit auxilium gratiæ sufficientis. Profecto illis verbis, *Contingere autem potest, &c.* quæ habentur lib. 16. cap. 2. non affirmo haberi rationem meriti in iis actibus, qui peraguntur necessitate, sed in iis, quos liberum arbitrium peragit libere, & cum indifferentia judicii. Loquor enim de Deo, qui cum necessario amet seipsum, libere tamen diligit creaturas: loquor de Christo, qui etsi peccare non poterat, habebat tamen liberam potestatem ponendi animam suam; & loquor de Beatis, qui licet videndo Deum, ut in se est, necessario illum ament, sua tamen pollent libertate erga objecta reliqua, quæ sub indifferentia judicii eis proponuntur. Belle igitur, bellissume! Debebat ex hoc loco adversarius fateri sententia mea requiri ad opus meritorium libertatem indifferentiæ, nec sufficere libertatem a coactione, sive illam spontaneitatem & lubentiam, qua Deus seipsum, & Christus, & Beati diligunt Deum: id debebat fateri; sed meis, ut alibi, verbis excisis, & mutilatis infert oppositum, idest, negari a me veram libertatem indifferentiæ ad merendum, vel demerendum: pro qua libertate eo in capite acerrime, &, absit invidia verbo, accuratius, quam multi Theologi fecerint, decertavi.

Reddantur itaque verba mea, & evanescet calumnia sua. *Contingere* (ita ego præcit. pag. 281.) *contingere autem potest, ut voluntas sit determinata ad unam speciem boni, v. g. ad diligendum Deum, quomodo determinata est voluntas Beatorum, & erat ante mortem voluntas Christi; & nihilominus maneat indeterminata ad hunc actum, vel illum. Qui enim Deum videt in se, est ad illum amandum determinatus immutabili necessitate, pollet autem sua libertate in actibus ceteris, qui versantur circa objecta indifferentia, & ab illa caritate, a qua nequeunt deflecti, imperantur. Ita Christus Patrem, quem necessario diligebat, orabat libere, & libere illi obtemperabat dando corpus suum percutientibus, & genas suas vellentibus. Promeruit hoc pacto, & operatus est hominum redemptionem cum potestate ponendi animam suam, ac perfectissima libertate.*

ARCHIEPISCOPUS.

V. *Audiatur etiam differens de libertate ad demerendum sufficienti in statu naturæ lapsæ*, (2) Possumus ergo objicientibus hominem, &c. *& paullo post*: Insuper Theologi clarissimi refellunt hoc argumento Jansenianos, &c.

Sane Jansenii sectatores hanc libertatis speciem non rejicerent, imo ultro adoptarent. Porro justus urgente præcepto post acceptam gratiam justificantem reus ne censebitur, & sufficienter liber ad demerendum, si præsertim agatur de impletione præcepti affirmativi, cujus obligatio instat, quodque omittere non potest sine peccato, nec aliud peccatum potest eligere? Erit ergo reus etiam justus, etiamsi mandatum ei fiat impossibile secundum præsentes, quas habet, vires, & desit ei gratia, qua illi fiat possibile; *quod est pura Jansenii doctrina in prima ejus propositione damnata ut hæretica, & impia.*

F. J. LAURENTIUS.

Vellicat demum Senonensis Antistes quæ de libertate ad merendum scripsi tom. 3. pag. 443. *Possumus ergo, &c.* Loquor ibidem de homine destituto gratia sufficiente, ac verba mea, si, prout jacent, recitentur, sunt hujusmodi: *Possumus ergo objicientibus hominem derelictum a gratia non peccare, quoniam est determinatus quoad specificationem ad malum, respondere quod illius voluntas non est determinata ad hoc malum, vel illud; ideoque peccat per liberum arbitrium unum, aut alterum eligendo. Asserebat*

(1) T. 3. p. 281. (2) Ibid. p. 443.

ferebat Calvinus peccare homines extincto licet arbitrio, cum peccet etiam Diabolus arbitrio carens. At hæreticum refellit doctissimus Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 14. ad 3. his verbis: Respondeo tam angelos sanctos, quam malos Dæmones respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a necessitate; tamen respectu mediorum liberum arbitrium etiam a necessitate habere, quia multa faciunt, quæ possunt non facere, & e contra; & in hujusmodi Dæmones vere peccare, & bonos angelos opus vere laudabile facere; quamvis nec pœna, nec præmium essentiale crescere possit, cum utrique sint in termino, & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ sempiternæ pertineant. *Videte etiam Estium in libro 2. sent. dist. 7. §. 5. & dist. ultima lib. 4. S. Thomam 12. q. 89. art. 4. Si ergo peccant in operibus deliberatis damnati, ac Dæmones, qui gratiam nequeunt habere, quanto magis mortales, qui illam habere possunt? Insuper Theologi clarissimi refellunt hoc argumento Jansenianos obtendentes privationem gratiæ, ut dogma suum libertati contrarium propugnent: etiamsi nihil boni absque gratia possimus perficere, habemus tamen in faciendis malis optionem ac libertatem: igitur ex privatione gratiæ non infertur peccandi necessitas. Et sane, me judice, facilius hoc responso illorum ora obstruuntur, quam si respondeas gratiam adesse singulis; quoniam hoc postremum in controversia est, & Jansenianæ consecutio pleno Catholicorum ore damnata & explosa.* Hæc mea verba sunt; in quibus satius duxit calumniator resecare Ven. Bellarmini lucidissimum testimonium, & insignis Theologi Estii, & S. Thomæ Theologorum Principis nomen prætermittere, quam sententiam meam absque censura dimittere; tametsi proxima pag. 444. demonstrem, eadem responsione a Dionysio Petavio Jansenistas refelli *lib. 4. de opificio sex dierum cap. 9. num. 3.*

Similia mihi objicienti Auctori *Jansenismi Redivivi* pag. 195. respondi *tom. 2. Vindic. pag.* 242. & seq. producto etiam testimonio Honorati Tournelii, qui licet teneat auxilium gratiæ numquam celestissimis peccatoribus deesse; tamen 2. *p. de gratia q. 8. art. 4. pagina 634. Venet. edit.* demonstrat sententiam, quam carpit adversarius, esse inter Thomistas communem & pervulgatam. Vellem in hanc Vindiciarum partem, quam nuperrime laudavi, oculos humanus lector aliquantulum intenderet. Jam enim, cum hæretica sit & impia sententia dogmatizantium solam libertatem *a coactione* sufficere in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum, & non requiri libertatem *indifferentiæ*, sed voluntatem robustiori delectatione excitatam reluctari non posse, & huc vel illuc abripi impulsu cupiditatis, vel caritatis, ineluctabili necessitate, & absque potestate ad oppositum: evidentissimum est sententiam nostram, qua dogmata ista reprobantur & refelluntur, non impiam, & hæreticam censendam esse, sed piam, catholicam, atque orthodoxam.

CAPUT III.

De efficacia gratiæ, & gratia sufficiente.

ARCHIEPISCOPUS.

I. *Quum FF. Bellelli, & Berti ausi fuerint expressis terminis asserere nullam esse gratiam vere sufficientem, aut gratiæ interiori resisti non posse, dogma tamen catholicum in hoc puncto impugnare non sunt veriti, non solum ei opponendo errorem de duabus delectationibus relative voluntatem necessitantibus: verum etiam tortuosis, & ad fraudem compositis de gratia sufficienti sermonibus, qui sensum illorum aperiunt. Hac arte utitur F. Berti inprimis cum ex una parte dicit se probare maxime gratiam sufficientem sensu Thomistarum, & ex altera profitetur se dubitare utrum illa gratia Thomistica sit vere sufficiens; imo se malle illam appellare inefficacem, quam sufficientem. Quid enim putandum est de Theologo, qui dubitaret utrum præmotio Physica destruat libertatem, eamque nihilominus probaret maxime? Hæc Fr. Berti verba sunt* (1): De quæstione grammaticali, idest an gratia sufficiens, &c. *usque ad ea verba*, Scholastici non consentiunt.

Hic F. Berti Lectori fucum facere conatur, & sub larva gratiæ Thomisticæ sufficientis quid de vera insufficientia illius gratiæ sentiat, abscondit. Etenim vidimus supra quod juxta ejus systema gratia est efficax, quando gradibus superat concupiscentian debiliorem. Est vero inefficax, si concupiscentia huic gratiæ gradu suo superior est; quæ concupiscentia major in gradu non potest vinci a gratia, quæ in gradu est minor. Huc refert passim illud S. Augustini de delectatione indeliberata male intellectum, & eodem sensu præpostere a Jansenio detantatum: Secundum id, quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est. *Ex quo sequitur, gratiam illam, quam sufficientem vocare ut cumque consentit, esse vere insufficientem relative ad gradus concupiscentiæ superioris, ac proinde relative ad præceptum implendum. In hoc ergo ejus error consistit, quod asserat justo, concurrente tentatione, aut urgente præcepto, a Deo denegari gratiam, quæ relative ad ejus vires sit vere sufficiens, & dari ab eo tantum gratiam inefficacem, cum quæ concupiscentiam in gradu superiori vincere justus non potest.*

F. J. LAURENTIUS.

Etiamsi affirmassem solam gratiam seipsa efficacem esse vere *sufficientem*, accepta gratia *sufficiente* pro illa, quæ sufficit ad perficiendum actum, seu ad operandum; nullus in Theologia mediocriter versatus me ob id reprehendendum esse putaret. Thomistæ, alii Theologi, necnon Congruistæ, ac præterea ipsamet obvia, & manifesta ratio hoc declarant. Thomistæ quidem; nam Didacus Alvarez lib. 8. de aux. disput. 79. inquit, *Illud auxilium dicitur complete sufficiens ad aliquam operationem, ultra quod nullum aliud auxilium est absolute necessarium, ut illa operatio actu producatur*; & Joannes Gonzalez controv. 5. art. 6. *Aliqui doctissimi Thomistæ arbitrantur, minus congrue vocari sufficiens illud auxilium, quod contra efficax dicitur.* Alii Theologi; siquidem Cardinalis de Lauræa opusc. 3. cap. 4. num. 83. ait: *Sæpe cum aliis viris doctis miratus sum, cur Theologi moderni gratiam illam divinam, qua homo vocatur, excitatur, illuminatur, & inspiratur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cœperunt sufficientem, ad distinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum; cum satis non sit ad eum ponendum, sicut efficax, quæ in rigore dici deberet sufficiens*; & P. Macedo in scrinio cap. 8. *Augustinus auxilium sufficiens efficax dicit, cum proxime sufficiens est, imo non putat sufficiens quod non habet effectum: & quidem meo judicio recte, nam si sufficit, & datur ut sufficiat, cur non efficiet id, propter quod datur? Quod si non efficit, profecto non sufficit. Nec solus Augustinus, sed etiam alii Patres auxilium, quod Scholastici efficax vocant, sufficiens appellant: uti observat Vasquez, & probat ex Prospero, in 1. 2. disp. 185. cap. 11. num. 55.* Mediste demum; nam præter Vasquesium Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 6. num. 4. scribit: *De ratione auxilii sufficientis, si proxime & actu sufficiens sit, est, ut includat omnia auxilia necessaria simpliciter, quæ per modum principii concurrunt ad supernaturalem actum, quia hoc auxilium est sufficiens per modum potentiæ; potentia autem ut sit sufficiens, oportet ut habeat omnem virtutem necessariam ad agendum: & hoc ipsum præsefert nomen sufficientis; nam si aliquod necessarium principium deest, sine illo non potest aliud operari: ergo aliud non erat sufficiens.* Accedit evidens ratio. In horum nempe Theologorum sententia auxilium illud est revera *sufficiens*, quod non requirit aliud auxilium ad supernaturaliter operandum, & includit omnem virtutem necessariam ad agendum: at sine gratia *efficaci* non habetur quidquid requiritur ad supernaturaliter operandum, sive omnis virtus necessaria ad agendum: ergo sine gratia *efficaci* non habetur auxilium revera *sufficiens*. Hujus syllogismi propositio prior est Theologorum, quorum protuli testimonia. Propositio altera est omnium Augustinensium ac Thomistarum. Auctoritate itaque, & ratione perspicuum est, solam gratiam per se efficacem esse revera *sufficientem*, si gratiam *sufficientem* obvio, & litterali sensu, pro ea scilicet, quæ sufficit ad ponendum actum, intelligamus.

Admisso tamen discrimine inter gratiam *sufficientem* & *efficacem* eo Thomistarum sensu, quo gratia *sufficiens* non excludit necessitatem gratiæ *efficacis*, atque una potestatem tribuit agendi, altera operatur effectum; mentitur splendide quisquis autumat a me auxilium *sufficientis* gratiæ denegari. Ostendi id in Vindiciis differt. 14. cap. 2. §. 2. pag. 215. & seqq. pluribus e Theologia a me in lucem edita collectis testimoniis. Inter quæ est illud libri 14. cap. 8. *Est ergo gratia sufficiens sensu Thomistico, ac nostro, illa quæ dat posse, non velle*: & inferius, *Fatemur per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam, sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax.* Rursus lib. 17. cap. 3. *Augustinus agnoscit in hoc statu, non solum adjutorium* quo, *sed etiam adjutorium* sine quo non, *sive pure sufficiens*. Sed legito alia plura præcitato secundo paragrapho Vindiciarum mearum; atque num ibi loquar tortuosis, & ad fraudem compositis sermonibus, judica quisquis legeris.

Evanescit ex dictis quælibet impostoris cavillatio. Dum enim dico, dubitari posse an gratia *sufficiens* Thomistica sit revera sufficiens, loquor ipsorum Thomistarum ore: &, si candido animo loquendum est, non dubito, sed nego esse revera *sufficientem*, si gratiæ *sufficientis* nomine illam accipiamus, præter quam nulla alia gratia requiritur ad ponendum actum. En evidentissima ratio: Quia ad ponendum actum necessaria est gratia per se ipsam efficax: nam si gratiæ *sufficientis* vocabulum accipiamus pro ea gratia, quæ dat posse, sed non excludit necessitatem gratiæ per se efficacis ad actu operandum; gratiam istam sufficientem *probo maxime*, ut dixi cit. *cap. 3. pag.* 342. Desinat idcirco accusator ineptam illam interrogationem regerere. „ Quid enim putandum est de Theologo, qui dubi-

(1) T. 3. l. 17. p. 340. & seq.

dubitasset utrum præmotio physica destruat libertatem, eamque nihilominus probaret maxime? Hujus farinæ Theologus esset Lutheranus, Calvinianus, Jansenianus: sed qui physicam prædeterminationem, simulque veram libertatem propugnat, is est verus SS. Augustini, & Thomæ discipulus. Hæc ad rem nostram facienda est interrogatio: Quid existimandum de viro Theologo, qui assereret gratiam efficacem esse necessariam ad ponendum actum adversus Medistas affirmantes cum Suaresio illam esse gratiam *sufficientem*, præter quam ad ponendum actum nulla alia gratia requiritur? Atque huic interrogationi facillima est responsio: In sensu hujus Theologi, & in ea *sufficientis* gratiæ significatione, sola gratia *efficax* est vere, & proprie *sufficiens*.

Quoniam vero Languetius mea verba profert ex *libro* 17. *cap.* 3. *pag.* 242. usque ad illum dumtaxat terminum, quo difficultatem proponunt, meamque sententiam non explicant, opus est integre ea verba proferre, cum abunde omnem exsufflent, elidantque calumniam. „ De quæstione grammaticali (ita ego tom. 3. pag. 342.) idest, an gratia sufficiens Thomistico sensu, sit vere & proprie sufficiens, non opus est definite sententiam dicere. Ego sane mallem appellare *inefficacem*, eo quod non inspiret voluntatem illam robustam, quæ inspiratur ab efficaci. Idcirco habui frequentius in consuetudine sermonis vocabulum istud, quam *sufficientis*: quod tamen in sensu Thomistico probo maxime, ut explicavi in cap. 8. de H. P. At num inspecta significatione vocabuli, gratia illa Thomistarum notione sufficiens vere sit talis, Scholastici non consentiunt. „ Hucusque Archiepiscopus. Constat me loqui de quæstione grammaticali, idest, de significatione vocabuli *sufficientis*, & ita prosequi nullo interjecto vocabulo. „ Negant talem esse Medistæ omnes, & cum illis Honoratus Tournely p. 2. de gratia q. 7. art. 4. concl. 3. quia ea gratia insufficiens censenda est, quæ non complectitur totum id, quod requiritur ut actus ponatur, vel saltem ut impetretur auxilium ad ponendum actum necessarium. Videtur consentire Norisius, qui, ut dictum est modo, negat dari sine adjutorio efficaci potentiam proxime expeditam ad perseverandum in accepta justitia. Solam gratiam efficacem esse proxime sufficientem defendit Zumel tom. 3. disp. 5. sect. 1. Cardinalis Braneatus de Lauræa opusc. 3. de grat. cap. 4. Franciscus Macedo in scrinio cap. 8. & in cortina pag. 318. Ex nostris Basilius Poncius 1. p. relect. de gratia cap. 17. Joannes Schuveitzerus differt. 3. de præd. dub. 6. & Petrus Clenaerts de gratia efficaci cap. 6. §. 3. not. 7. Consentiunt Theologi Lovanienses in justif. cap. 12. num. 177. Horum, aliorumque sensus est, gratiam inefficacem non esse revera sufficientem, si gratia sufficiens accipiatur grammaticaliter, quatenus cum illa potest poni actus absque gratia validiori. Juxta hanc notionem esset sufficiens illa gratia, quam propugnant Molinistæ, si in præsenti statu daretur, & sufficeret naturæ infirmæ adjutorium collatum Adæ innocenti. Alia ex parte non desunt Thomistis rationes, atque exempla ad probandum gratiam inefficacem appellandam esse vere, & proprie sufficientem. Primo docent plura necessaria esse ad actum, quam ad potentiam: quod verissimum est, probatumque a nobis superiori propositione eodem exemplo apud Thomistas frequentissimo oculi, qui potest videre, etiamsi, ut actu videat, necessaria sit lux. Verum posse oculum cernere, nisi præbeatur luminis adjutorium, negat Augustinus lib. de gestis Pelagii cap. 3. de nat. & gratia cap. 26. de peccat. meritis cap. 5. libri 2. epist. 106. nunc 186. Sed Thomistæ reponent, loqui Augustinum de potentia conjuncta cum actu. Dicent insuper, recte appellari sufficiens in uno genere, quamquam alia in alio genere sint necessaria. Quod commonstrabunt facile in omni genere caussarum, cum erudito Thomista Francisco Sylvio in 1. 2. q. 3. art. 3. & Aurelio nostro Piette Lovaniensi tom. 3. cap. 2. q. 2. Afferent exemplum ex Angelico Præceptore 3. p. q. 61. art. 1. ubi pertractans de necessitate Sacramentorum, cum 3. loco objecisset, *Posita caussa sufficienti nihil aliud videtur necessarium ad effectum: sed passio Christi est sufficiens caussa nostræ salutis: non ergo requiruntur sacramenta ad salutem humanam*; ita difficultatem solvit: *Ad tertium dicendum, quod passio Christi est sufficiens caussa humanæ salutis; nec propter hoc sequitur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem, quia operantur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodo applicatur hominibus per sacramenta*. Itaque *sufficiens* est gratia quælibet, quantumvis minima, licet requiratur gratia prædeterminans, ut ad actum reapse applicetur. Accedit comparatio naturalium omnium potentiarum, quæ completæ dicuntur singulæ in suo genere, quamquam actu non operentur, nisi prima caussa movente. Itaque pro libito gratiam, quæ opponitur efficaci, dicito aut inefficacem, aut sufficientem; mea enim non refert, utrum horum dixeris: dummodo fatearis contra Jansenium interiorem aliquam gratiam, cui in statu naturæ lapsæ resistitur. „

Ex iis, quæ necessum fuit exscribere, manifestissima res est, me *lib.* 17. *cap.* 3. differendo contra secundam Jansenii propositionem, ac demonstrando dari in hoc infirmitatis statu interiores gratias, quibus humanum resistit arbitrium, & ea occasione inquirendo num gratia, quæ non est *per se efficax*, appellari debeat *sufficiens*, instituere quæstionem de significatione hujus vocabuli *sufficiens*, tam Thomistarum, quam aliorum Theologorum recitare opiniones, & eam, quam tenent Thomistæ, luculentius exponere, nihil vero de grammaticali illa quæstione definire. Manifestissimum insuper est, ludum eos ludere, qui hinc conantur inferre denegari a me gratiam Theologico sensu *sufficientem*, idest, quæ dat *posse* sejunctum ab actu. Et, si non levi utendum est conjectura, Senonensis Archiepiscopus, quem nemo ignorat fuisse Medistarum partibus addictissimum, alicui hujus sectæ Theologo provinciam commisit seligendi ex libris meis loca, quæ sibi viderentur suspecta, atque ex iis mutilatis, disparatisque connexis, fonte neglecto, suum protulit judicium, a sublestæ fidei consarcinatore deceptus. Alioqui, cum sapiens fuerit, & sagax, quomodo contigisset, ut cuncta, quæ a me scripta censoriis notis perstrinxit, obtruncaret, subverteret, & in sensum detorqueret oppositum? Dixi hanc non levem esse conjecturam: nam si ipse textus nostros collegit, suisque lustravit oculis; aut iniquus fuit eligendo perpauca, nec quæstionem ibidem actitatam discernens; aut fuit imprudens, proxima, & quæ sequuntur, ac nostram mentem explicant, prætermittendo. Absit vero, ut illum, vel iniquum, vel imprudentem existimemus.

De illo autem principio, *Quod amplius nos delectat, secundum illud operemur necesse est*, necnon de sancta delectatione opposita delectationi carnali, satis superque præcedenti paragrapho pertractavi.

ARCHIEPISCOPUS.

II. *His notatis facile intelligitur id, quod ibidem F. Berti asserit de gratia illa sufficienti, quæ dat posse, sed incompletum; & cur vellicet Thomistas ex eo quod dicant*, Per gratiam sufficientem constitui potentiam proxime, & complete potentem producere effectum; *statuatque potentiam non debere nominari* potentiam proxime expeditam, *nisi potentiam*, quæ ut ponat actum, gratiam uberiorem non postulat: *quo denique sensu asserat* (1), Quod etiam renati, & Sancti, cum gratiam, & adjutorium petere debeant, ut in bono possint perdurare, etsi habeant gratiam sufficientem, non habent semper proximam perseverandi potentiam: *& Augustino tribuat quod ipse addit*, Quod cum sola gratia sufficiente non potest mandata facere, qui caritatem non habet magnam, & vehementem, idest, non potest proxime, complete, & expedite, poterit vero cum impetraverit gratiam uberiorem, congruam, & efficacem.

Hæc omnia in ejus systemate significant, idcirco justum cum illa gratia inefficaci non posse proxime, *&* complete *mandatum urgens implere, quia delectatio cœlestis in gradu inferior, qua solum pollet, non potest vincere concupiscentiam validiorem. Ex quo sequitur hanc gratiam vere esse insufficientem relative ad præsentes vires justi.*

Non arguimus F. Berti quod asserat justum aliquando gratia proxime sufficienti carere, urgente tentatione, si potest proxime petere gratiam, quæ illi deest. Possumus utcumque tolerare, quod contra communem Thomistarum sententiam asserat gratiam sufficientem non dare potentiam proximè completam, & expeditam; si id duntaxat assereret sensu ab aliquot Thomistis intellecto de potentia ex parte actus secundi completa, & expedita. Sed illum incusandum judicamus, quod secundum principium, quod posuit, gratia inefficax, quam sufficientem ægre vocare consentit, est vere insufficiens justo relative ad ejus præsentes vires, quia a validiore concupiscentia opprimitur.

Quod quidem systema excludit quoque a justo potentiam orandi urgente tentatione, nisi habeat ad orandum gratiam efficacem, quamvis haberet gratiam inefficacem. Gratia enim inefficax, secundum systema F. Berti, non potest vincere concupiscentiam validiorem; & ideo inefficax nominatur, quia concupiscentia illam gradibus suis superat. Hinc ponit justum aliquando deseri, illique denegari auxilia communia, & gratiam vere, & relative ad tentationis vires sufficientem; cujus derelictionis non aliam caussam reddit, quam profunda, & occulta Dei judicia. Sic enim loquitur de iis, quos Deus etiam inter Barbaros, aut scelestissimos eligit. (2) Ut ostendat divitias misericordiæ suæ, *non solum perducere illos ad baptismum, allicere ad fidem, movere ad resipiscentiam, verum etiam facere perseverantes, & coronare in misericordia, & miserationibus. Addit quod ex iis sunt nonnulli, quibus* ad ostensionem justitiæ *gratia subtrahitur, nec Deus renuentes illos vocat, nec trahit pervicaces, sed occulto, & justo judicio eos deserit.* Hi autem, *inquit*, sufficientem gratiam non habent. *Quod ut probet, addit*: Gratia sufficiens donum est, nec ulla foret in Deo iniquitas, si Deus illam denegaret: *Unde concludit, quod illa*

(1) Ibid. p. 341. (2) L. 18. c. 8. p. 448.

illa gratia sufficiens est donum gratuitum, & post Adami peccatum indebitum beneficium, *etiam*, supposito legis præcepto.

Hæc autem doctrina, & systema, unde derivatur, omnino contradicit Apostolo dicenti: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. *Contradicit Concilio Tridentino docenti*, Neminem a Deo deseri, nisi prius deseratur. *Contradicit eidem Concilio dicenti post Augustinum*, Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. *E contra consonat primæ propositioni damnatæ in libro Jansenii asserentis*, justo quædam mandata esse impossibilia secundum præsentes, quas habet, vires, & ei deesse gratiam, qua possibilia fiant.

F. J. LAURENTIUS.

Cujus generis fuerint adversarii prænotationes, ex dictis percipit unusquisque: sed prodit ille ulterius vel inscitiam, vel allucinationem suam, affirmans a me vellicari Thomistas, eo quod asserant, *Per gratiam sufficientem constitui potentiam proxime, & complete potentem producere effectum*; & statuere potentiam non debere nominari *potentiam proxime expeditam, nisi potentiam, quæ, ut ponat actum, gratiam uberiorem non postulat*. Quo enim modo fieri potest, ut vir in Thomistarum doctrina versatus ignoret ipsorum Thomistarum permultos tradidisse, solo adjutorio efficaci tribui potentiam agendi *proxime expeditam, atque completam*? Audiat Didacum Alvarez lib. 8. de auxiliis disp. 79. *Illud auxilium dicitur complete sufficiens ad aliquam operationem, ultra quod nullum aliud auxilium est absolute necessarium, ut illa operatio actu producatur*. Audiat Joannem Gonzales controv. 5. art. 6. *Archiepiscopus Tranensis, Magister Herrera & alii asserunt* auxilium sufficiens *in re non sufficiens, idest, non reddere potentiam complete actuatam in ratione principii, sed indigere auxilio efficaci, quod in illorum sententia duo facit, & complet potentiam, & illam applicat ad operandum infallibiliter*. Audiat Franciscum Zumel tom. 3. var. disput. d. 4. sect. 1. *Sufficiens auxilium præstat quidem vim potentiæ, non quidem omnino proximam cum ultima actualitate, sed minus proximam, & quasi mediatam, vel minus immediatam, & incompletam, seu inadæquatam*. Itaque non ego Thomistas vellico: sed Languetius cuncta vellicat, & exagitat, vel, ut rectius loquar, vellicaret, & exagitaret, si posset. Præterea, quomodo Thomistarum sententiam vellico, quam, ut nuper ostendi, rationibus exemplisque expono, & explico? Ac si vellicarem etiam, & solum auxilium, quod nullum aliud requirit ad actu operandum, appellavissem *complete sufficiens*, cur non potuissem *sufficiens auxilium* eo modo describere, quo descripserunt Macedo, de Laurea, Norisius, Vasquesius, Suarez, Tournelius?

Verum, ut omnem dissipemus caliginem; peto, quid sit auxilium tribuens *potentiam expeditam, proximam, & completam*? Si respondeas cum Suaresio lib. 3. de auxiliis cap. 6. n. 4. esse illud, *Quod includit omnia auxilia necessaria simpliciter, quæ per modum principii concurrunt ad supernaturalem actum*: dico, non dari potentiam *proximam, expeditam, atque completam*, absque gratia efficaci. Probo quod dico, Quia in sententia omnium Thomistarum *gratia efficax per modum principii concurrit ad supernaturalem actum*. Si vero potentiam *expeditam atque completam* illam dixeris, quæ non excludit necessitatem gratiæ per se efficacis ac prædeterminantis ad supernaturaliter operandum; perspicuum est ex n. præced. a me istiusmodi potentiam non denegari. Sed audiatur integra responsio mea ad objecta Jansenistarum, ex qua calumniator mea verba producit more suo, mutilata scilicet, & diminuta. *Gratia sufficiens* (ita ego lib. 17. cap. 3. & ipsa pagina 340. ab adversario citata) *gratia sufficiens non dat posse conjunctum cum actu & proxime completum & expeditum, concedo. Non dat posse ab actu sejunctum & incompletum, nego. Addendum unum est, ne Thomistæ* (neque enim inter se, quod ad rem spectat, consentiunt, ut inquit citato in loco Gonzalez) *qui docent per gratiam sufficientem constitui potentiam proxime & complete potentem producere effectum, verborum meorum sensum respuant, me cum Norisio cap. 4. calumniæ sublatæ, & cum Theologis probatissimis ibidem enumeratis appellare potentiam proxime expeditam illam, quæ, ut ponat actum, gratiam uberiorem non postulat*.

His aperte mentem meam explicavi, affirmans nomine *potentiæ completæ proximeque expeditæ* potentiam illam a me intelligi, quæ non requirit ad ponendum actum *gratiam uberiorem*. Cedo nunc: unum ne invenies Thomistam, qui mihi, aut alteri hoc pacto definienti cum viris sapientissimis potentiam *expeditam atque completam*, respondeat, Utique, hac definitione recepta, habetur per solam gratiam sufficientem, seclusa gratia per se efficaci, talis potentia *completa, expedita, actuata*? Nullus ex Thomistis, nullus omnino, nisi gratiam per se efficacem abjiciat, id poterit respondere. Videas igitur, quam imperite scripserit adversarius a me *vellicari Thomistas*, & quam fraudulenter potentiæ *expeditæ ac proximæ* diversam notionem a Theologis traditam, & a me dilucide expositam prætermiserit, mea verba obtruncans, & resecatis intermediis, pro lubitu traducens, invertens, obscurans. Imponamus ergo huic paragrapho finem meis itidem verbis eodem capite 3. pag. 341. *Aliud est verbo contendere, aliud dogmate. Dogma Jansenii est* (legant, scrutentur hæc verba calumniatores) *sub delectatione victrici tale vinculum injectum esse voluntati, ut necessitate flectatur, nec actus oppositus in ejus sit potestate. Ergo per Jansenium sub gratia parva, premente perversa cupiditate, non est potentia recte operandi; & sub gratia magna & robusta non stat potestas peccandi; & necessitate alligati illud tantum facere possumus, quod magis delectat, ita ut alternantibus delectationibus, nec una alteram superante, necessario inefficacibus desideriis hæreat animus*. Quis modo crederet, tale esse adversariorum meorum ingenium, talem librorum meorum lectionem, talem æquitatem, tale judicium, ut hanc ipsam sententiam a me rejectam inter damnata Jansenii dogmata, asseveranter pronunciarent tradi a me ipso, tradi autem eo ipso in loco, in quo illam rejicio, & oppugno? Id, quod videtur prorsus incredibile, verissimum esse ex iis, quæ hoc paragrapho dicta sunt, iidem adversarii, velint, nolint, coguntur fateri.

Jam vero si cetera Languetii persequerer objecta, nimium abuterer patientia legentium. Liquet enim ex dictis, eatenus a me negari aliquando in justis illam potentiam *proximam & completam*, quæ aliud ad perseverandum in accepta justitia non exigit adjutorium; quoniam revera quidam justi non habent gratiam semetipsa efficacem, quam propterea debent suppliciter petere, & qua si essent semper adjuti, numquam peccarent: talis quippe gratia numquam suo caret effectu. Vide Augustinum *lib. 2. de peccat. meritis, & remiss. cap. 19. n. 32.* Perspicuum est etiam, esse contra communem Thomistarum sententiam agnoscere in gratia *sufficiente*, & sine gratia per semetipsam efficaci illam potentiam *proximam & completam*, quæ ut prodeat in actum, nullum aliud exigit adjutorium; quum præter gratiam *sufficientem* Thomistæ omnes ad ponendum actum necessariam existiment adjutorium gratiæ per se efficacis. Insuper certissimum est, juxta propugnatum a nobis systema, gratiam quoque *sufficientem* & *inefficacem* tribuere potentiam superandi concupiscentiam validiorem, me scribente lib. 17. cap. 1. id. tom. 3. pag. 316. prope finem: *Ait Jansenius, impossibile esse, ut vigente sancta delectatione illicitum prævaleat desiderium, & consideratio peccati, & e contra sub vividiori concupiscentia necessario liberum arbitrium succumbere. Justis ergo conantibus, & volentibus, dum deest victrix delectatio, & gratia efficax, impossibile est divina observare præcepta. Nos contra contendimus* (audiant hæc iterum, & confundantur conviciatores) *nullam delectationem injicere vinculum libertati, nisi summi Boni per lumen gloriæ manifestati, aut boni, ut inquiunt, in communi, extra quod divagari nequit voluntatis instinctus; propterea quod hæc duo tantum tollunt indifferentiam judicii: ideoque sicut quacumque gratia præventus potest iniquus reluctari; ita quacumque premente cupiditate potest justus perseverare. Ita priorem propositionem Jansenii rejicimus, damnamus, refellimus, reprobamus*. Hæc est, non ambigua, non implexa, non fuco illita, sed enucleata, perspicua, & majoribus theatris proposita, filii Romanæ Ecclesiæ, discipuli S. Augustini, & pro hujus doctrina agonizantis, sententia.

Demum, quod nemo satis mirabitur, urget Senonensium Antistes adversum me textum Pauli 1. ad Corinthios cap. 10. 13. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis substinere*, necnon verba Tridentini Concilii sess. 6. de Justif. cap. 11. desumpta ex Augustino libro de nat. & gratia cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*: quum egomet hæc eadem verba Apostoli, hæc eadem verba Augustini consecrata a Tridentino Concilio, aliaque bene multa produxerim cap. 3. libri 17. ad demonstrandam æquitatem censuræ contra primam propositionem Jansenii. Videatur *tom. 3. Theolog. disc. pag. 328. & sequenti*.

CAPUT IV.

De possibilitate mandatorum Dei per gratiam.

ARCHIEPISCOPUS.

NOn minus diserte F. Bellelli docet, per gratiam parvam, & inefficacem, quæ sola secundum illum justis urgente præcepto sæpe conceditur, nullam dari veram potentiam, ceu proximam, ceu remotam, &c.

F. J. LAURENTIUS.

Nil contra me in hoc articulo profert Archiepiscopus, qui tamen contra Fulgentium Bellelli plura effutiit. Horum summa est, explicasse Theologum nostrum potentiam illam, quam habet justus implendi præcepta, per gratiam sufficientem, comparando eamdem potentiam potestati hominis ad videndum, quando habet oculos, & lumen, sed infirmitate cogente oculos aperire non potest. Verum demonstravi in Vind. differt. 4. cap. 3. §. 7. eadem oculorum similitudine, iisdemque plane verbis usum fuisse S. P. Augustinum lib. de nat. & gratia cap. 26. num. 29. & libro 2. de peccat. meritis & remissi. cap. 5. num. 5. eamdemque comparationem adhibuisse Africanos Episcopos exules in Sardinia in epistola synodica cap. 5. illam insuper fuisse traditam a Didaco Alvarez disp. 23. num. 32. a Joanne Maldonato S. Jesu in caput 6. Joannis n. 5. a Venerabili Bellarmino in lib. de gratia primi hominis cap. 4. & a Dionysio Petavio lib. 4. de opif. sex dierum cap. 1. num. 4.

Secundo loco in crimen vertitur Theologo præstantissimo, quod definitionem illam Tridentinæ synodi sess. 6. canone 4. *Liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit*, detorserit ad solam gratiam sufficientem. Norunt autem omnes Tridentinum illum canonem Thomistis, & Augustinensibus passim objici ab impugnatoribus gratiæ per se efficacis; sub cujus motione, & excitatione videtur ipsis liberum humanæ voluntatis arbitrium obstringi indeclinabili necessitate. Et norunt quoque omnes, a Thomistis & Augustinianis responderi, aliquo sensu necessum esse, ut fiat id, ad quod faciendum gratia efficax subministratur; nam ipsa gratia efficax a nullo duro corde respuitur, nec humanæ voluntates efficere possunt, quominus Deus omnipotens faciat, quod voluntate absoluta faciendum esse decrevit: hanc tamen necessitatem esse tantummodo consequentem, & liberum arbitrium non posse quidem *in sensu composito* abstinere ab opere, ad quod præmotione divina determinatur, sed posse tamen *in sensu diviso*.

Hac doctrina imbutus Fulgentius Bellelli *de modo rep.* lib. 2. cap. 16. explicat utique Tridentinum canonem de gratia sufficiente, quam liberum arbitrium abjicere potest, & interdum abjicit; sed minime negat eumdem canonem etiam accipiendum esse de gratia efficaci in prædicto sensu composito Thomistarum. Post ea enim verba, quæ Archiepiscopus objicit, cap. illo 16. pag. 94. scripta a Fulgentio, hæc immediate subjiciuntur: *Cum qua fidei doctrina prorsus recte cohæret, quod arbitrium non dissentiat, nec resistat, nec respuat, nec respuere possit gratiam per se efficacem, ut dici jam consuevit a clarissimis Thomistis*, in sensu composito, *tametsi* in sensu diviso *possit ab actione, quam efficit, temperare*. Hæc est Fulgentii Bellelli sententia; quam reprehendere non potuisset censor, si Theologi nostri verba fideliter exscripsisset: sed quoniam consuetum illi est, ut ubique deprehendimus, quæ frivolas objectationes suas enervant & infringunt, simulatione negligere; eo incaute, ne dicam imprudenter & inverecunde, processit, ut scriberet, Theologum ipsa Thomistarum verba usurpantem explicavisse sacrosanctæ Tridentinæ synodi definitionem *contra omnium Theologorum, etiam Thomistarum, sensum*.

Tertio loco Fulgentio Bellelli objicitur, quod in libro *de statu naturæ rationalis ante peccatum* laudaverit Antonium Arnaldum. Ignorat autem tum Senonensis Archiepiscopus, cum Auctor *Jansenismi Redivivi*, qui hoc idem objecit Augustiniano Theologo, jam ab anno 1717. ipsum Fulgentium hanc a se criminationem invictissime propulsasse; quemadmodum ostendi *tom.* 2. *Vindic. pag.* 362.

CAPUT V.

De Caritate Theologica, & ejus necessitate a duobus Theologis inducta pro quolibet opere bono etiam moraliter.

ARCHIEPISCOPUS.

I. *Fratres Bellelli & Berti non errant solum circa Christi mortem, libertatem necessariam ad merendum, & demerendum, & resistentiam gratiæ; addunt alios errores ab Ecclesia proscriptos, scilicet liberum arbitrium absque gratia, quam in caritatis Theologicæ motu constituunt, peccare semper in omnibus suis actibus; adeo ut liberi omnes motus voluntatis, qui a gratia caritatis non procedunt, necessario a mala cupiditate oriantur; ac quidquid a motivo caritatis non procedit, non aliud habeat motivum, quam pravam cupiditatem. Caritatem autem non accipiunt*, quatenus tantum involvere potest omnem amorem recti, & boni, & omnem bonam voluntatem, sed veram caritatem Theologicam, quæ ab amore perfectissimo non differt, nisi gradu.

F. J. LAURENTIUS.

Constitui a me gratiam in *caritatis Theologicæ*, seu amoris Dei super omnia, motu, atque inspiratione, & absque hujusmodi gratia liberum arbitrium juxta sententiam nostram in omnibus actibus suis peccare, nemo potest asserere, nisi qui lividis oculis perlegerit editas a nobis theologicas lucubrationes. Actualem Christi gratiam esse *mentis illustrationem, & inspirationem caritatis*, revera a me traditur *tom.* 3. *pag.* 140. sive *libro* 14. *cap.* 7. *Caritatis* autem *Theologicæ* nomen, idest, illius caritatis, qua Deus amore benevolo, & super omnia diligitur, & quæ constituit peculiarem virtutem, in scriptis meis, ubi de gratia universaliter agitur, non occurrit, additque illud de penu suo criminator. Utor ego cit. cap. 7. verbis S. P. Augustini lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. & 19. atque de gratia Christi cap. 6. 9. 10. 11. 21. & 26. nemo autem jure me poterit reprehendere, dum loquor ore Augustini. Declaravi mentem meam in Vindic. tom. 2. differt. 4. cap. 1. pag. 14. ubi ita scripsi: *Neque enim nos in illa universali prævenientis auxilii descriptione* dilectionis, & caritatis *nomine intelligimus inspirationem* amoris benevoli, *sed* bonam voluntatem, *quæ actus omnes salutares præcedit; id, quod nobis nemo jure negabit, nemo in nobis jure reprehendet: tum quia mentem hanc nostram rotundis verbis explicavimus, ut adversus conviciatorem ostendimus capite* 2. *primæ dissertat. tum etiam quia hac quoque in re Augustini sensum & verba secuti sumus; cujus hæ sunt loquendi formulæ:* Quid est dilectio, vel caritas, nisi amor boni? quid est boni cupiditas, nisi caritas? quid est aliud caritas, quam voluntas? caritas dicitur voluntas bona. *Vide lib.* 8. *de Trinit. cap.* 10. *lib.* 2. *contra duas epist. Pelag. cap.* 9. *num.* 21. *lib. de grat. & libero arb. cap.* 17. *num.* 33. *in psalmum* 36. *serm.* 2. *num.* 13. *&c.*

Neque verbis abutimur, dum in gratiæ definitione adhibemus *caritatis* vocabulum. Nam, ut mittam Antonium Reginaldum *de ment. concil. Trid.* p. 1. cap. 52. Augustinum in cunctis libris, ac tractatibus suis appellare gratiam in hoc statu necessariam *Spiritum caritatis, inspirationem caritatis, infusionem caritatis, dilectionem, inspirationem dilectionis, amoris divini gratiam, amoris Dei inspirationem, concupiscentiam bonam, cupiditatem boni, bonam voluntatem, suavitatem, delectationem, condelectationem, jucunditatem, voluptatem*, tradit Stephanus Dechamps lib. 3. *de hær. Jansenianæ* disp. 3. cap. 16. num. 3. ac Dionysius Petavius lib. 10. *Theolog. Dogmat.* cap. 20. demonstrat apud Augustinum *caritatis vocabulo plerumque censeri motus omnes, & affectus piæ voluntatis, tam qui justificationem antecedunt, quam qui sunt ea posteriores*. Quod vir doctissimus ostendit productis ipsius Augustini testimoniis ex lib. de gratia Christi cap. 2. de correp. & gratia cap. 5. lib. 1. operis imperf. contra Julianum cap. 82. & de nat. & gratia cap. 70. Vide autem, quos in meum advocem patrocinium: duos advoco Societatis Jesu Theologos præclarissimos, Stephanum Dechamps, & Petavium. Adde, si lubet, Gallicanos Præsules in *Instructione Pastorali* anno 1714. art. 4. pag. 36. quorum verba recitavi in *Vindiciis* diss. 1. cap. 1. §. 4. num. 3. *pag.* 38.

Ut autem evidentius adversariorum nostrorum detegamus alucinationem, & frangamus pertinaciam (omnes quippe, aut fere omnes accusationes suæ traditæ a nobis definitioni gratiæ innituntur) quid nos in eadem gratiæ definitione intelleximus nomine *caritatis*, non uno in loco cubitalibus litteris significavimus. Demonstratum id est differt. 1. Vindic. cap. 2. §. 5. *pag.* 111. *& seq.* ac modo sufficit unum proferre ex libro 23. Theolog. disc. cap. 10. sive tomo 4. *pag.* 489. ubi hæc leguntur: *Contendit* (Schola Augustiniana) *humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario amoris affectu, sive boni cupiditate, quæ non deest in fide informi, auctore S. Thoma* 2. 2. *q.* 5. *art.* 2. *ad* 2. *sed non requirit ad cujuslibet virtutis actum explicitum illum amorem, qui tendit in Deum ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem, ceterisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur* CARITAS. Qui hæc legit, qua fronte potuit asserere, a me hanc specialem *caritatem* existimari necessariam ad quodlibet opus bonum etiam moraliter? qui autem non legit, quo jure potest asserere, se libros a me conscriptos maturo examine ponderasse?

Non inducat in animum suum lector, me in eo tantum loco, quem nuper produxi, quadratis verbis declarare, *caritatis* nomine in nostris de gratia, & de virtutibus dissertationibus, intelligi cupiditatem boni, non *caritatem Theologicam*, quæ peculiaris virtus est, & speciali titulo *caritas* nuncupatur, adeo ut una a nobis solitaria declaratio lynceos censorum oculos subterfugerit; non, inquam, id lector in animum inducat suum. Enimvero sufficere cupiditatem boni, *absque actu caritatis*, ad fidem, trado lib. 21. cap. 4. tom. 4. *pag.* 208. Sufficere ad timorem, trado eodem capite *pag.* 210. & libro 23. cap. 12. *pag.* 502. necnon de pœnit. lib. 34. cap. 1. tom. 7. *pag.* 473. Sufficere ad spem, trado

trado lib. 23. cap. 11. tom. 4. *pag.* 495. & lib. 21. cap. 4. *pag.* 209. atque lib. 34. cap. 5. tomo 7. *pag.* 554. De his rursus proximo articulo. Quum itaque in libris, ubi de virtutibus pertracto, declaraverim expresse, dilucide, evidentissime, necessariam non esse sententia nostra ad cujuslibet virtutis actum *caritatem Theologicam*; imploro hominum omnium mortalium, omniumque superum fidem, potuit sine mendacio, potuit sine calumnia, potuit sine maxima iniquitate ab homine christiano, a viro Theologo, ab Episcopali charactere insignito affirmari omnino contrarium, nimirum, nullum a me agnosci actum alicujus virtutis *absque caritate Theologica?* Sed repetam, quod dictum est alibi, Optimus Archiepiscopus collecta ab aliquo conviciatore, e suis locis divulsa, & mutilata testimonia perlegit, hæc ponderavit tantummodo, ex his bona fide judicium suum pronuntiavit. Alioqui nemo illum poterit a mendacio, & iniquitate purgare. Ipsi inimici nostri sint judices.

ARCHIEPISCOPUS.

II. F. *Berti consentit cum F. Bellelli; ait enim* (1): Practice loquendo affirmo numquam hominem lapsum agere, convertendo se ad illam intimam legem, absque cupiditate, & philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri ex speciali gratia. *Et* (2). Potest *liberum arbitrium* exercere officia virtutum, & præcepta aliqua implere quoad substantiam, operatione secundum se laudabili, & honesta, etsi extrinsece, & ex fine operantis non bona undequaque.

F. J. LAURENTIUS.

Quid hæc ad demonstrandum, non posse in mea sententia exerceri officia virtutum *sine caritate Theologica*, *& proprie dicta?* Affirmavi quodlibet opus bonum fieri ex gratia: non affirmavi quodlibet opus bonum fieri non posse *absque caritate Theologica*. Oppositum a me doceri, constat ex numero proxime antecedenti. Requiri utique vel actualem, vel virtualem *caritatem*, per quam opus deliberatum referatur in Deum, ut sit bonum undequaque, nempe, tam quoad *officium*, quam quoad *finem*, omnium Augustinensium sententia est; nec ulla posse perstringi censura declararunt in suis *Censuris* doctissimi Galliarum Antistites, Archiepiscopus Burgensis de Leny de Vantadour anno 1659. die 6. Februarii; Joannes Baptista de Contes, & Alexander de Hodencq Vicarii Generales Archiepiscopi Parisiensis anno 1658. die 23. Augusti; Ludovicus Henricus de Gondrin eodem anno 1658. die 3. Septembris; Nicolaus Comes de Beauvais Vidame Episcopus Bellovacensis eodem anno, die 12. Novembris; Gilius Episcopus Ebroicensis anno 1659. die 15. Januarii, & centum Galliarum Episcopi in sua Bullæ *Unigenitus* explicatione anno 1720. Vide in Vind. dissert. 3. cap. 1. §. 5. num. 8. Hi omnes temeritatis illos redarguunt, qui erroneam audent appellare prælaudatam sententiam. Quorum si nullam habendam esse rationem censet Archiepiscopus Senonensis; revereatur saltem præclarum, honestissimumque nomen prædecessoris sui, Domini de Gondrin, neque ei memoria excidat, censuram hujus sapientissimi Archiepiscopi fuisse in synodo Provinciali anno 1660. ab omnibus illius provinciæ Episcopis adoptatam, & confirmatam. Quantum ergo spectat ad opera deliberata in Deum actuali, aut virtuali *caritate* referenda, præter munimenta alia quamplura, ab omni nos animadversione protegit sacer Episcoporum Galliarum conventus, ipsaque nobilissima Cathedra Senonensis.

Requiri itaque ad opus bonum, ne oriatur a noxia cupiditate, *caritatem Theologicam*, nullibi a me scriptum est: sed hoc a me propugnari fateor, actus quoslibet, fidei, spei, timoris, ceterarumque virtutum, quamvis spectato officio, substantia sua, & intrinsece sine *caritate* boni sint, carere tamen recto ordine finis, si ab iis, qui Deum noverunt, in ipsum, tamquam in ultimum finem, non referantur.

ARCHIEPISCOPUS.

III. *Quod autem, ut diximus, nomine caritatis licet inchoatæ tantum intelligant caritatem Theologicam, patet ex illorum dictis. F. Berti* (3) *caritatem, quam opponit cupiditati, definit illam, qua Deus in se, & propter se diligitur* gratis, *&* amore benevolo.

F. J. LAURENTIUS.

Imo si attente paginam ipsam 416. quam citat criminator, tranquillo animo, menteque pacata inspexisset; proculdubio agnovisset, ibidem, non tantum supernaturales actus timoris, spei, aliarumque virtutum, *sine caritate Theologica*, commendari, sed etiam amorem naturalem Dei appellari in se bonum, non a cupiditate corruptum. *Licet* (prima illius paginæ linea hæc habentur) *licet aliquando non habeat rectitudinem finis, si Deus non diligatur propter se, gratis, & amore benevolo.* Quamobrem hunc benevolum amorem Augustiniana schola requirit, ut opera deliberata referantur saltem virtualiter in Deum, ac ita sint bona undequaque, tum officio, tum fine; non autem eumdem amorem existimat necessarium, ut non sint mala intrinsece, & secundum substantiam, neque corrumpantur a vitiosa cupiditate.

Jam vero, quoniam adversarius repetit, & etiam circa hujus articuli finem regerit definitionem illam gratiæ, de qua supra numero 1., & jactat se demonstrasse a me *caritatis* vocabulo ubique significari solam *caritatem Theologicam*, sive amorem Dei propter se: rursus omnium legentium, & mihi quoque adversantium, imploro fidem & æquitatem. Nonne lucidissimis clarissimisque verbis ostendi, nos dum generaliter de gratia, aut de bonis operibus, vel virtutum actibus instituimus orationem, *caritatis* nomine intelligere bonam voluntatem, cupiditatem boni, & inspirationem amoris, sive sit amor justitiæ, sive beatitudinis, sive boni alterius, neque adstruere necessitatem *caritatis* proprie dictæ, ne opus a cupiditate vitietur, & corrumpatur? Quid est ergo falsæ accusationis pertinacia, si hæc non est? quid est ulterius ineptire, & ludum ludere, si ineptire ludumque ludere non est, affirmare sententia nostra admittendam esse *caritatem Theologicam* saltem inchoatam in iis, qui ne quidem prima fidei lumina acceperunt, eamdemque sententiam risui exponere; quando nos diximus, & iterum diximus, & tertio dicimus, in definitione gratiæ, quæ fidem prævenit, accipi nomen *caritatis* pro bona voluntate, nec requiri ad actum substantia sua bonum, *Explicitum illum amorem* (repetantur, ad confusionem calumniantium, verba mea) *qui tendit in Deum, ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem, ceterisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur* CARITAS?

ARCHIEPISCOPUS.

IV. *Hæc ergo utriusque opinio est, quod absque caritate Theologica, saltem inchoata, omnia aut fidelis, aut infidelis opera, quamvis ex officio bona, peccata sunt, etiamsi in his actionibus a lumine naturali dirigantur; suntque semper philautiæ, seu cupiditatis veneno infecta, & ab ea procedunt. Quæ doctrina a Summis Pontificibus Pio V. & Clemente XI. proscripta jacet sequentium propositionum damnatione:* Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet (4). Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia (5). Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris (6). Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: capax est omnis mali, & incapax ad omne bonum (7). Sine gratia non possumus aliquid amare, nisi ad nostram condemnationem (8). Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, in philosophis Paganis non potest venire nisi a Deo: sine gratia non producit, nisi superbiam, vanitatem, & oppositionem ad Deum, loco adorationis, gratitudinis, & amoris. (9)

Ex his, quæ diximus, sequitur necessario, & manifeste, eos, qui inter cupiditatem dominantem, & caritatem justificantem nihil medium agnoscunt, præter cupiditatem inchoatam, & caritatem inchoatam, sive inchoationem caritatis, errores ab Ecclesia proscriptos tenere, censuramque contra illorum defensores latam certo incurrere; siquidem damnatione illarum propositionum judicatum est, voluntatem posse aliquando non peccare, etiamsi careat illa gratia, quæ est inspiratio caritatis.

F. J. LAURENTIUS.

Nullam esse adversarii illationem, quæ affirmat, omnia opera infidelium in nostra sententia esse infecta veneno cupiditatis, & ab eadem cupiditate proficisci, quoniam nil boni fiat *sine caritate Theologica saltem inchoata*, ideoque nos impingere in damnatas a Summis Pontificibus S. Pio V. & Clem. XI. propositiones: nullam, inquam, esse hanc illationem, ex eo apparet, quod falso innitatur principio; neque a nobis in definitione gratiæ actualis, qua præmovente fideles, & infideles bona plura operantur, *caritatis* nomine intelligatur *caritas Theologica*. Quamquam & Pius V. & Clemens XI. Baji, & Quesnelli articulos proscripserunt, quoniam in his affirmatur primam gratiam esse *inhabitantis Spiritus Sancti*, & principium bonarum actionum esse *caritatem habitualem*. Atque id in primo *Vindiciarum* volumine, ubi de omnibus Baji, & Quesnelli propositionibus, quæ nobis objiciuntur, prolixe disserui, puto fuisse evidentissime

(1) T. 3. p. 402. (2) P. 421. (3) T. 3. l. 18. c. 4. p. 416. (4) Bajus prop. 27. (5) Prop. 25. (6) Quesnel. prop. 28. (7) Prop. 39. (8) Prop. 40. (9) Prop. 41.

tissime comprobatum. Ne singula repetantur, sententiam nostram in prospectu ponunt quæ scripsimus libro 21. cap. 4. tom. 4. pag. 211. *Multa opera deliberata sunt absque caritate habituali, & sine gratia Spiritus Sancti inhabitantis; multa etiam spectato officio, & secundum operis substantiam recta sunt, neque a noxia cupiditate proficiscuntur, etsi virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum est præcedenti volumine pag.* 390. & 415. *ex quo nempe recto ordine sint destituta.*

Amphibologiam exsufflemus omnem. Absque *caritate Theologica* multa fiunt opera deliberata recte, intrinsece, & secundum substantiam suam bona, nec vitiantur pravæ cupiditatis fermento; sed quatenus destituta sunt recto ordine finis, nec *caritate* referuntur in Deum, sunt bona *officio*, non *fine*; sunt bona, non *bene facta*. Nec repugnat omnia infidelium opera eatenus appellare *peccata*, illorumque virtutes *vitia*, quatenus carent rectitudine finis, eodemque pacto censere virtutes morales fidelium in Deum non ordinatas; dummodo illorum operum commendentur officia, nec profecta dicantur, & labefactata a noxia cupiditate. Notissima quippe sunt verba S. P. Augustini lib. 4. contra Julianum cap. 3. num. 21. *Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes: officium est autem quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti*: & num. 30. *Si Gentilis, inquis, nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Eamdem sententiam tradi a Prospero in carmine de ingratis, & in epist. ad Rufinum; a Leone Magno serm. 2. de jejunio Pentecostes; a Juliano Pomerio lib. 3. de vita contemplativa cap. 1.; a S. Remigio, & ab Ecclesia Lugdunensi in libro de tribus epistolis cap. 22. & ab aliis compluribus; ut post Norisium demonstravi *diss.* 3. *Vind. cap.* 1. §. 4. 5. & 6.

Hac itaque distinctione præmissa operum bonorum, & moralium virtutum, cujusmodi sunt, operire nudum, honorare parentes, conjugem proximumque diligere, in quantum officia bona sunt, & in quantum non referuntur in Deum; consistit optime, esse bona intrinsece, & non labefieri a cupiditate perversa, in se, spectato opere, & actu operiendi nudum, honorandi parentes, diligendi proximum; & tamen dici peccata extrinsece, respectu finis, idest, defectu ordinationis in Deum. Hanc enim sententiam Augustinianam & catholicam esse declaravit Summus Pontifex Paulus III. Brevi dato Perusiæ anno 1534. quod in archivo Vaticano asservatum, superiori anno inventum est, atque ad notitiam pervenit aliquorum Purpuratorum Patrum, eruditorumque Virorum Romæ degentium. (*a*) Attamen nos nullibi omnia infidelium opera esse peccata affirmavimus: sed diximus opera & exercitamenta virtutum in Deum minime ordinata esse officia laude digna, eaque patrando, e. g. honorem exhibendo parentibus, fieri quod naturali lege præcipitur, neque in hoc facientem delinquere, sed transgredi primum ejusdem legis præceptum, quod postulat ut omnia, quæ fiunt, referantur in Dei gloriam. Hæc, ni fallor, est sententia S. Thomæ, cujus 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. hæc sunt verba: *Præceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est*, Honora parentes; *sed ex vi hujus*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. „

CA-

(*a*) Prælaudatum Breve Pauli III. ad Augustinum Mainardi instituti FF. Eremitarum S. P. Augustini professorem est hujusmodi.

PAULUS Pp. III.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Alias cum fel. recordationis Clementi Pp. VII. Prædecessori nostro significatum fuisset, quod tu quasdam erroneas, minusque catholicas conclusiones in Civitate Astensi in tuis prædicationibus, & aliis privatis colloquiis, & disputationibus pro veris proposueras, idem prædecessor Venerabili Fratri Nostro tunc Episcopo Astensi, per quasdam in forma Brevis litteras commisit, ut faceret te dictas conclusiones, sive articulos revocare, vel corrigere, vel imposterum te prædicare non permitteret, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem tu ad purgandam malam contra te propterea ortam famam ad Romanam Curiam personaliter (ut asseris) te contuleris, nobisque humiliter supplicare feceris, ut hujusmodi conclusiones, quas catholicas, & non erroneas prætendebas, per aliquem peritum examinari facere vellemus, ad hoc ut si tales quales tu prætendebas reperirentur, dictam malam famam contra te, ut præfertur, ortam purgare valeres, & nos conclusiones ipsas dilecto filio Thomæ Badia Sacri Nostri Palatii Magistro examinandas dederimus, dictusque Thomas Magister asserens hujusmodi conclusiones vidisse, eas prout per te declaratæ fuerunt, catholicas, & non erroneas esse retulerit, & propterea tu nobis humiliter supplicare feceris, ut tibi adversus molestias, quæ ex his tibi inferri possent, succurrere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos nolentes te præmissorum occasione aliquid indebite pati, hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod tu dictarum conclusionum quarum tenor inferius inseretur, ut infra apparebit, declaratarum occasione quomodolibet molestari, impediri, vel perturbari non possis, mandantes tam eidem Episcopo, quam quibusvis Superioribus, & aliis, ad quos spectat, ne te occasione hujusmodi molestare, impedire, vel perturbare audeant, vel præsumant, præmissis ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Tenor autem prædictarum conclusionum sequitur, & est talis. Prima Conclusio: Si non esset æterna prædestinatio, nullus hominum posset recte agere. *Secunda Conclusio*, Divina prædestinatio est causa omnium bonorum operum. *Tertia*: Dicentes de Divina prædestinatione non esse prædicandum populo, ignorant verbi Dei virtutem, & adversantur Gratiæ Dei. *Quarta*. Non possumus sine Gratia Dei per nostrum liberum arbitrium aliquod bonum facere, sed tantum peccare. *Quinta*. Dogma Aristotelis dicentis, hominem esse dominum suarum operationum, est erroneum. *Sexta*. Quæcumque agunt homines sine fide, vel gratia, vel caritate, peccata sunt, quia sine fide impossibile est placere Deo. *Septima*. Justi homines semper sunt in peccato. *Octava*. Pueri decedentes cum solo originali peccato, damnantur ad æternos cruciatus ignis inferni. *Nona*. Præceptum de dilectione Dei, ut lex jubet, nemo potest implere, nisi qui pervenerit ad summum caritatis gradum, qui erit in Patria. *Decima*. Peccant in eo mandato viri sanctissimi, quia in caritate deficiunt. *Tenor vero dictarum Conclusionum, tuæ declarationi similiter sequitur, & est talis. Prima & secunda Conclusiones, intelliguntur, non de æterna prædestinatione, quæ electorum tantum est, sed de æterna prædestinatione communiter, sive generaliter accepta, prout operatur omnia Deus secundum propositum voluntatis suæ, ad Ephesios I. Tertia de Divina prædestinatione intelligitur prout in sacris litteris continetur, pie, ac sobrie, & ad gratiæ Dei commendationem. Quarta sic declaratur: ex peccato Adæ nostri liberi arbitrii tam infirmata, tamque debilitata est natura, ut ex se quidem peccare possit, non autem opus Deo gratum efficere. Quintæ declaratio: Liberum arbitrium in nobis etsi catholice fateamur, esse nihilominus hominem dominum suarum operationum, ut mens fuit Aristotelis, & gratiam Dei excludere est erroneum. Sextæ declaratio: Eadem ratione probatur hæc conclusio, quæ & quarta, & est Augustini contra Julianum Pelagianum: Item tertio de spiritu & littera. Septima declaratio est hæc: Quia dum in hac mortalitate vivunt, numquam carent concupiscentia. Augustinus de sententia Jacobi ad Hieronymum: Item de perfectione justitiæ contra* (1) *Cælestinum. Octavæ declaratio ex Augustino 14. serm. de verbis Apostoli 4. 6.* (2) *Hypognosticon. Item de fide ad Petrum, & multis aliis locis. Nonam sic intelligo, ut Augustinus ultimo de spiritu, & littera. Item de perfectione justitiæ contra Cælestinum. Item de sententia Jacobi ad Hieron. Decimæ declaratio: Peccatum in eo mandato voco eum caritatis defectum, sive imperfectionem, quæ etiam in viris est sanctissimis. Datum in Civitate nostra Perusiæ sub annulo Piscatoris die* XXVIII. *Septembris, millesimo quingentesimo trigesimo quinto. Pontificatus nostri anno primo.*

Fabius Vigil.

Extra

Dilecto Filio Augustino Mainardo Ordinis Erem. S. Augustini Professori.

(1) Cælestius Pelagii discipulus apud Gennadium in libro de script. Eccl. cap. 44. dicitur *Cælestinus*, quamvis ut observat Garnerius dissert. 16 de H. P. cap. 5. vitio librariorum.

(2) Librum *Hypognosticon*, quod sonat idem, ac *subnotationum*, non esse geminum Opus S. P. Augustini, norunt hac ætate eruditi omnes: sed illi communiter olim attribuebatur, & vindicare quoque studuit, licet irrito conatu, Hincmarus Rhemensis. Locum item habuit in veteribus editionibus inter Augustini scripta. Nil ergo mirum, si eumdem librum sub nomine Augustini Mainardus laudavit. Haud secus asserendum est de Opere inscripto, *De fide ad Petrum*, quod Fulgentio, non Augustino, debet adscribi.

CAPUT VI.

De actibus timoris, fidei, & spei.

ARCHIEPISCOPUS.

I. *Ex iis FF. Bellelli & Berti principiis fluit error a Concilio Tridentino, & Clemente XI. damnatus, qui spectat gehennæ timorem.*

Docet Concilium Tridentinum timorem gehennæ esse bonum, & utilem, & Spiritus Sancti inspirationem (1)

Clemens XI. Pontifex Maximus plures Quesnelli propositiones proscripsit, quæ asserunt timorem gehennæ esse malum.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc magis violenta est, eo magis ducit ad desperationem. (2)

Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur. (3)

Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. (4)

Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. (5)

Ante Clementem XI. Summus Pontifex Alexander VIII. inter varias propositiones has duas condemnavit, quarum censura omnem effugii viam FF. Theologis præcludit.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides. (6)

Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis. (7)

Ex iis damnationibus, immo & ex Concilio Tridentino sequitur actus timoris gehennæ æternæ, & etiam actus fidei, & spei esse a Spiritu Sancto inspirante, absque eo quod a caritate saltem inchoata inspirentur, falsumque esse omnino quod Quesnellius adhuc asseruit, & condemnatum est in ejus propositione 51., *scilicet* fidem non operari, nisi per caritatem. *Fides enim actum suum proprium habet, absque eo quod caritas Theologica illum inspiret: qui actus ipsa caritatis initia in conversione peccatoris secundum Concilii Tridentini doctrinam præcedit; cum peccator* incipiat diligere Deum, *postquam per fidem, & timorem ad conversionem excitatur.*

F. J. LAURENTIUS.

Confictis suo marte principiis Theologiæ nostræ, ac præmissis animadversionibus suis, quibus contendit nullam a nobis gratiam admitti præter *caritatem Theologicam*, & nullum medium inter caritatem justificantem, & cupiditatem dominantem, præter *cupiditatem inchoatam*, & *caritatem inchoatam*; progreditur Archiepiscopus ad teterrimam alteram illationem ex iisdem principiis fluentem, denegari a nobis bonos esse, si a *caritate Theologica* sint divulsi, actus timoris, fidei, & spei, & Tridentinum canonem octavum sess. 6. & Clementis XI. definitiones, quibus attritio, timor gehennæ, atque spes, & contra Quesnelliana asserta, laudantur, ausu temerario conculcari. Sed prænotatis illis, principiisque rejectis, corruunt sponte sua, & illiduntur funesta hæc consectaria.

Revincendi nihilominus adversarium, quamquam abunde id præstiti in Vindiciis, consilium inivi. Ac primum, quantum attinet ad timorem, lib. 21. cap. 4. tom. 4. pag. 210. scripsi: *Timor, qui virtus est, oritur ex consideratione incorruptæ justitiæ, ac supremi imperii illius Dei, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam; quæ consideratio non est absque implicito amore justitiæ, & reverentia divinæ Majestatis, licet non sit cum actu explicito caritatis.* Qualis ergo sententia nostra requiritur amor ad salutarem actum timoris? *Amor justitiæ, & reverentia divinæ Majestatis, non amor caritatis Theologicæ.*

Scripsi rursus libro 23. cap. 12. seu tom. 4. pag. 501. *Alius est timor naturalis incussus a malo, quod unusquisque naturaliter refugit, nec imperatus a voluntate; alius rationalis & liber, elicitus ex aliqua cognitione, & amore. Naturalis timor passio animi potius dicendus est, quam liber ipsius animi motus: unde nulla ratione potest inter peccata connumerari, scribente Augustino q. 77. inter* 83. Omnis autem passio, in quantum ipsa passione patimur, non est peccatum; sic & si patimur timorem, non est peccatum. *Timor autem voluntarius & rationalis est, qui ex libero amore proficiscitur; vel ex amore, quo animus inhæret bonis fluxis ac mutabilibus, tamquam ultimo fini; vel ex amore sui ipsius; vel ex amore simul sui ipsius, & Dei; vel ex amore Dei tantummodo. Primus dicitur timor* mundanus: *de quo ait S. Pater in Psalm.* 127. *n.* 7. Tantum timent ne aliquid mali in terris patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne alicujus amissio cari, ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio. *Alter est timor* servilis, *de quo ibidem Augustinus:* Alius timet unde terruit & Dominus. Audistis cum Evangelium legeretur, Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura sunt impiis, timent & continent se a peccato: timent quidem, sed non amant justitiam. *Tertius est timor* initialis, *medius inter servilem & castum, quo abstinens se a malo ob timorem pœnæ concipit aliquem Deo amorem, de quo sequitur Augustinus:* Cum autem pe. timorem continet se a peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit, quod durum erat, amare. *Postremus est timor* filialis *& castus, non alia ratione timens, nisi quatenus filii timent offensam patris, & casta sponsa timet, ne illam sponsus deserat; de quo S. Pater ibidem:* Tam incipit propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor a caritate, sed successit amor castus. „ Unde ergo sententia mea proficiscitur amor servilis, & initialis? Ab amore sui, ab amore justitiæ; non a caritate, a qua excluditur, non a *caritate Theologica*.

Scripsi eadem pagina 501. in fine: *Potest timor esse ordinatus & rectus, quia potest formidare gehennam ob sui amorem, qui non sit vitiosa cupiditas, nec summum bonum sibi ipsi postponat.* Hic autem timor servilis, quo formidatur gehenna, & non est vitiosa cupiditas, unde exoritur? ab amore sui, non a *caritate Theologica*.

Scripsi eodem cap. 12. pag. 503. *Timor servilis est bonus, utilis, supernaturalis, & donum Dei.* Quam propositionem demonstro divinis Scripturis, definitionibus Ecclesiæ, auctoritate Sanctorum, argumentis Theologicis, & provenientibus ex ipso timore fructibus saluberrimis. Est ne id timorem rejicere inter actus a cupiditate corruptos?

Scripsi libro 34. cap. 1. sive tomo 7. pag. 473. *Quid vero dicendum de pœnitentia, quam in nobis excitat timor gehennæ, ac turpitudo peccati? Illam proculdubio inter veras virtutes connumerare debemus. Quamquam enim volumine* 4. *pag.* 205. *a nobis tradita est definitio illa virtutis,* virtus est ordo amoris, *quæ utique definitio Augustiniana est, Augustini verbis contexta, & Augustinianæ doctrinæ munimentis firmata; non tamen inde inferre quis potest, denegari a nobis veras propriasque virtutes a caritate distinctas. In eodem quippe volumine* 4. *eodemque capite testati sumus* dari plures virtutum supernaturalium habitus absque caritate, *quod iterum asseruimus lib.* 23. *cap.* 10. *commonstrantes veram ac supernaturalem fidem remanere in homine impio; ac rursus cap.* 12. *ubi adversus Novatores ostendimus timorem servilem esse bonum ac supernaturalem, atque inter dona Dei adnumerandum, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod eidem timori sit adscribendum. Affirmavimus itaque, iterumque profitemur, & cuique forte hæc legenti declaramus, eo sensu a nobis virtutem locari in ordine amoris, quoniam etsi* absque caritate *virtutes sunt plurimæ, eæque actus suos bonos exerunt; debet nihilominus caritas iisdem virtutibus dare formam, ac perfectionem.* Atque id est ne gehennæ formidinem, timoremque servilem rejicere inter actus a noxia cupiditate corruptos?

Scripsi eodem libro 34. cap. 6. pag. 575. propositiones Quesnellianas nobis ab Archiepiscopo insulse objectas, merito fuisse proscriptas: *Nam timor præter cohibitionem manuum, sive operis exterioris, cohibet effluentem animum, frangit vetustam consuetudinem, & præparat locum caritati: ac tantum abest, ut addicat peccato, quinimo vere ab eo retrahit; & licet seipso ad justificationem non sufficiat, facit tamen, ut pœnitens studeat adhibere ea, quæ sufficiunt, inter quæ locum obtinet, sententia nostra, motus contritionis & amor.* Id, rursus quæro, est ne timorem rejicere inter actus a noxia cupiditate corruptos? Itaque perspicua, & manifestissima res est, non constitui a nobis principium timoris in *caritate Theologica*, neque ipsum timorem existimari a cupiditate corruptum; eos autem, qui id scriptitant, esse iniquissimos, mendacissimosque impostores.

Age paullulum: loquamur de fide. De qua disputans lib. 23. cap. 10. tom. 4. *pag.* 488. ac demonstrans remanere ipsam fidem in homine impio, dummodo crimine infidelitatis non se commaculet, ad verba Apostoli 1. ad Corinth. cap. 13. 2., & ad canonem 28. sessionis 6. Tridentini Concilii, addo propositionem 12. ab Alexandro VIII. damnatam, *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana*; necnon 52. Quesnelli a Clemente XI. confixam, *Fides non est absque amore, & fiducia.* Objiciens autem proxima *pag.* 489. mihimetipsi, Quomodo id, si nulla absque caritate datur virtus? respondeo: *Principio ad virtutem non requirit schola Augustiniana caritatem habitualem, sed ordinem dilectionis, qua virtus non sit inflata, dum ad seipsam refertur, nec vitio labefactetur, dum marcescit cupiditate: de quibus plura libro* 18. *cap.* 3. *deinde profitetur habitus virtutum etiam supernaturalium a caritate distinctos; tametsi caritas actibus ceterarum virtutum tribuat formam ac perfectionem, ut explicavi supra pag.* 208. *Denique contendit humanam voluntatem quolibet in exercitio virtutis duci vario ipsius amoris affectu, sive boni cupiditate, quæ nec deest in fide informi, auctore D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. *ad* 2. *sed non requirit ad cujuslibet virtutis actum* explicitum *illum amorem, qui tendit in Deum* ut sum-

(1) Sess. 6. cap. 8. (2) Prop. 60. (3) Prop. 61. (4) Prop. 62. (5) Prop. 63. (6) Prop. 12. (7) Prop. 15

ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem, cetérisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur CARITAS. In his autem verbis quis non videt, a me propugnari *habitus* fidei, ceterarumque virtutum, medios inter habitualem caritatem, & habitualem cupiditatem, neque *habitus* tantum, sed etiam actus, qui licet oriantur ab aliquo amore, non tamen proficiscuntur ab amore, qui tendit in Deum tamquam summum bonum, & peculiari titulo *caritas* appellatur.

Quid vero de spe? Eodem libro 23. cap. 11. *pag.* 495. ita loquor: *Spes a fide, & a caritate distinguitur, etiamsi ad actum spei requiratur amor aliquis inchoatus, quo diligitur Deus, ut inquit Estius in 3. dist.* 26. §. 2. *quatenus ab intellectu proponitur, ut summum ac beatificum nostrum bonum, licet semper non adsit amor caritatis, quo voluntas affecta ceteva omnia summo Bono postponat.* Vides ne in libris meis laudari & habitum, & actum spei, etiamsi non adsit *caritas Theologica?* Fatearis itaque oportet, eos qui autumant a me neque timoris, neque fidei, neque spei actus censeri bonos, & a cupiditate non exortos, ubi non adest *caritas* proprie dicta, omnium aliorum conviciatorum superare malitiam, perfricatam gerere frontem, & undique scatere mendaciis: nec tantum reos esse quod me erroris insimulaverint, sed etiam quod exhibitis nonnullis verbis meis mutilatis, & in pravum sensum detortis Archiepiscopo Senonensi, præclarum hunc Præsulem deceperint, & fraudulenta delatione adversum me concitaverint, ejus famam, ut meam pessundarent, in discrimen temere, & inconsiderate trahentes.

ARCHIEPISCOPUS.

II. *Idem docet F. Berti* (1): Timor, & caritas idem principium habent, &c. huic timori inspiratio bonæ voluntatis, & sanctæ dilectionis præcessit: .... Nec aliud est pondus, quo fertur animus, nisi amor: timor sanctus non sine aliquo amore (*caritatis*) excitatur.

F. J. LAURENTIUS.

In loco, quem adversarius opponit ex lib. 14. cap. 8. *tom.* 3. *pag.* 157. affirmo quidem timorem, & caritatem idem principium habere: sed quale principium? *caritatem Theologicam*, & amorem Dei super omnia, ut interpretatur tergiversator? Minime. Idem principium dico, *sive consideretur voluntas, quæ timet & amat; sive Spiritus Sanctus, qui timorem & amorem inspirat; sive gratia, a qua timoris & amoris est actus.* Tum hujus gratiæ munera explanans, dico ea primum fieri, *ut voluntas contemnat quod antea illicite delectabat, inspiratque bonæ voluntatis fervorem. Voluntas sic excitata deprehendit in bono, quo antea delectabatur, mala plurima, præsertim vero meritum gehennæ: concutitur hoc pacto timore, & huic, ut liquet, inspiratio bonæ voluntatis, & sanctæ dilectionis præcessit. Quisquis enim bene timet, bonam voluntatem habeat necesse est. Et quoniam timor supernaturalis refertur in Deum, eumque respicit ut judicem justum, & rectum, nec aliud est pondus, quo fertur animus, nisi amor; timor sanctus non sine aliquo amore excitatur. Ipse tamen non est amor, quoniam sistit in rigore justitiæ, & nondum adscendit ad summi boni jucunditatem.*

Cum his aperte asseram, dilectionem, amoremque, unde procedit timor, esse *bonam voluntatem*, quæ inspirata a Deo incipit odio habere voluptatem, qua primum delectabatur, & ad aspectum malorum inde provenientium horrescit, & terrore concutitur: cum asseram, tum bonam illam voluntatem respicere *Deum ut judicem justum ac rectum*, sistere in contemplatione justitiæ, & nondum adscendere *ad summi boni jucunditatem:* quis, rogo, potest affirmare, sententia mea timorem gigni ac produci ab ea dilectione, quæ est *caritas* proprie dicta, & quæ respicit Deum, non ut *judicem justum*, sed *ut summum bonum*, neque sistit *in rigore justitiæ*, sed fertur *in summi boni* suavitatem? Quod si homini in lectione librorum S. P. Augustini parum versato, *amoris, & sanctæ dilectionis* nomina aliquam ingerebant suspicionem; debebat proculdubio ea loca consulere, ubi de timore pertracto; in quibus disertissime trado ipsum timorem procedere *ab amore justitiæ, & a reverentia divinæ Majestatis*, non autem ab illo amore, *qui tendit in Deum summum bonum*, & peculiari ratione *caritas* nuncupatur. Hæc loca indicata fuere paullo superius.

Saltem in eum, in quo nunc versamur, offendisset; verba enim nuper producta hæc proxime consequuntur: *Ita gratia timorem, timor caritatem præcedit: & illa est bonorum omnium principium, timor remota ad justificationem dispositio, caritas vero proximior.* Profecto si timor *caritatem & benevolum Dei amorem* præcedit; *caritas & amor benevolus non est* principium timoris, nisi timoris illius *filialis*, qui, ut phrasi loquamur divinarum Scripturarum, *permanet in sæculum sæculi*. Propter verba nuperrime laudata Auctor *Bajanismi Redivivi* arguebat me antilogiæ, scribens pag. 279. *Quo pacto Fratrem Berti cum seipso conciliabimus? Secum sane certare videtur. Modo vult, ut timor caritatem præcedat; modo e contra declarat quod caritas timorem præcedat.* Verum nullam esse excogitatam ab adversariis antilogiam istam, ex dictis apertum est: quippe *caritas* præcedit timorem, si cum Augustino nomine *caritatis* intelligas bonam voluntatem, sive cupiditatem boni, ut *caritas* idem sit, quod gratia præveniens motus omnes & affectus bonæ voluntatis, non autem dilectio Dei propter se: & timor præcedit *caritatem*, si nomine *caritatis* intelligas dilectionem illam, & amorem qui tendit in Deum ut summum bonum, & *caritas* peculiari titulo nuncupatur. Ex dictis id clarescit. Quare evanuit objecta nobis antilogia, & futilis Senonensis Archiepiscopi objectatio.

Is tamen non solum inepte nos insectatur, sed etiam verba mea corrumpit, & adulterat. Etenim quod scribo, *Timor sanctus non sine aliquo amore excitatur*, ad hunc profert modum, parenthesi interjecta, *Timor sanctus non sine aliquo amore* (caritatis) *excitatur*. Illa vox *caritatis* in textu meo non occurrit. Extant verba mea *tom.* 3. *pag.* 157. *linea* 31. ac potest unusquisque illa inspicere propriis oculis. Quamquam accepto *caritatis* vocabulo, in Augustini sensu, pro qualibet bona voluntate, timorem a *caritate* excitari certissima fide credendum est. At quia adversarius ostendere nititur, principium timoris sententia mea esse dilectionem Dei propter se, *& caritatem Theologicam* (quod constat esse falsissimum) mea verba, vel iniqua interpretatione, vel fraude, additamento illius vocabuli *caritatis*, adulterata fuere. Vide duplicem *caritatis* sensum, a me non semel distinctum, in *instructione Pastorali* Episcoporum Galliarum anni 1714. art. 4. pag. 36. De qua in Vind. dissert. 1. cap. 1. §. 4. *tom.* 1. *pag.* 38.

ARCHIEPISCOPUS.

III. *Addemus quædam ex utroque*. Cum in praxi, *inquit F. Bellelli de modo reparationis* (2), & individuo voluntas deliberate agens, indifferens, & media esse non possit; proinde fit, ut carens omni adjutorio gratiæ ad Deum amandum, in amorem mundi pravum, inordinatumque, seu in philautiam suis viribus incidat, ac peccet, &c.

Frater autem Berti sodali suo concordat: Practice loquendo, *inquit* (3), affirmo numquam hominem lapsum, &c. Quoniam fine hujus delectationis dono prævalebit rationi concupiscentia. *Notandum, quod his sub nomine delectationis veram uterque caritatem intelligunt, & caritatem proprie dictam, ut supra ostendimus, & sine hac caritate omnia a cupiditate infecta esse judicant.*

Hæc autem utriusque dogmata explicari, & sustineri non possunt, nisi aut admittendo caritatem Theologicam saltem inchoatam in iis, qui ne quidem prima fidei lumina acceperunt, quod ridiculum est, & ab omni ratione Theologicæ alienum; aut cupiditati noxiæ attribuendo quidquid infideles lumine naturali inducti operantur juxta leges æquitatis, probitatis, humanitatis, & misericordiæ. Quod ipsissimus est error in Bajo, & in Quesnellio damnatus.

F. J. LAURENTIUS.

Bene habet. Quamvis sententia illorum Theologorum, qui docent posse fieri bona opera moralia absque gratia (de qua sententia pertracto tom. 3. pag. 402. id. *libro* 18. *cap.* 3.) speculative vera foret, *practice* tamen est falsa; atque homo gratia destitutus bona virtutum officia exercendo, non bene ea exercebit, sed mundi, & suipsius delectatione marcescet. Hæc est sententia Cardinalis Norisii in Vindiciis Augustinianis tom. 1. *pag.* 936. cap. 3. §. 4. & Francisci Macedo tom. 2. collat. in 2. sent. collat. 10. sect. 3. quorum ego verba usurpavi. Immo de ea quæstione in utramque partem disputavi; ut ostendi 1. p. Vindic. mearum *pag.* 119. sive dissert. 1. cap. 2. §. 6. Fac tamen, me in ea sententia persistere, quod sine gratia Salvatoris nequeat exerceri opus ullum morale, & infidelium opera citra omnem fidem, omnemque gratiam patrata, in quantum carent recto fine, nec referuntur in Deum, philautia, & cupiditate polluantur, ob id ne me reprehendes? Reprehende Hieronymum Seripandum Cardinalem amplissimum, & in Concilio Tridentino Apostolicæ Sedis Legatum: Franciscum Senault in libro Gallice edito *l'homme criminel* tract. 3. Vincentium Contensonum dissert. 2. de gratia cap. 1. specul. 2. & innumeros alios Theologos, qui propugnant fieri non posse absque ullo fidei lumine, & absque gratiæ igniculo actum aliquem moraliter bonum. De his vide dissert. 3. Vindic. cap. 1. §. 2. & 4. Reprehende Joannem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Bonam idem, quod nos scripsimus, luculenter docentem in libro, quem inscripsit, *Principia vitæ christianæ* 1. p. §. 29. Quorum, aliorumque testimonia a me producta sunt dissert. 3. nuper laudata.

Accurate de virtutibus agit S. P. Augustinus pluribus in locis, sed præsertim lib. 5. de Civit. Dei cap. 12. & lib. 4. contra Julianum cap. 3. Priori in loco docet, Romanos

(1) T. 3. p. 153. 157. (2) T. 1. p. 402. (3) T. 3. p. 402.

manos a Christi fide, & vera religione alienos, ceteras cupiditates, *laudis & gloriæ cupiditate* pressisse. Ob hanc gloriæ cupidinem, cum regalem dominationem non ferrent, institutos Consules, & expulsum Tarquinium, ut inquit Sallustius. Virtutis, & honoris fuisse apud Romanos conjunctissimas ædes; quoniam ad honorem virtutes omnes ab iisdem Romanis referebantur. Catonem etiam, cujus virtus veritati videtur propinquior fuisse, quam Cæsaris, honores, Plutarcho teste, quæsiisse. Amorem laudis *vitium* censeri ab Horatio, cujus versus ex libro 1. epist. & ex carmine lyrico ibidem Augustinus producit. Hanc vero, cur omnes virtutes Romanorum judicet esse vitiis simillimas, profert rationem, *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.*

In 4. autem libro contra Julianum, infidelium virtutes sine fide, & sine gratia Christi comparatas deprædicantem, S. P. Augustinus cap. 3. num. 12. laudat illam Ciceronis definitionem, *Virtus est animi habitus, naturæ modo, & rationi consentaneus*: sed inquit extorres a fide ignorasse, *quid sit consentaneum liberandæ, & beatificandæ naturæ mortalium*. Ait num. 20. illas, quæ apud Gentiles censentur virtutes, esse vitia, *quæ finitima videntur, & propinqua virtutibus*. Num. 21. docet, *Non officiis, sed finibus discernendas esse virtutes*, in eamque erumpit sententiam: *Cum itaque facit homo aliquid, propter quod peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*. Scribit paullo post, illum, qui manus abstinet ab alieno, ne plus pecuniæ litibus pereat, non exercere veram justitiam, *cum serviat avaritiæ*. Demonstrat, neque veras virtutes esse, quas Epicurus induxit *voluptatis ancillas*; idemque existimandum de illis, *quæ carnalibus delectationibus, vel quibusve commodis, & emolumentis temporalibus serviunt*. Virtutes etiam, *quæ nulli serviunt rei*, nec ipsas veras esse declarat; nam, ait, *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est*. Inquit autem S. Pater, *ipso non recto fine*, idest, non propter hoc, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit: & non inquit, ut quidam interpretantur, *perverso fine*; quoniam hic loquitur de virtutibus, *quæ nulli rei serviunt*. Demonstrat num. 22. eum, qui aliquid facit amando gloriam hominum magis, quam Dei, *non bene bonum facere*, quia non bona voluntate facit: *Absit enim, ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur*. Hæc Augustinus de virtutibus eorum, qui fide, & gratia sunt destituti. De virtutibus etiam, quæ appetuntur, vel exercentur propter ipsarum decorem, docet S. Pater lib. 19. de Civit. Dei, cap. 25. & serm. 156. vel 13. de verbis Apostoli, num. 7. eas quoque, *Cum ad seipsas referuntur, inflatas & superbas* esse; & ideo *non virtutes* judicandas esse, *sed vitia*.

Practice itaque loquendo, homo, sine gratia Salvatoris, opus morale non peragit absque cupiditate, & philautia. Quo enim fine operatur? ob voluptatem cum Epicuro? *Cupiditas* est, ait Augustinus. Ob decorem & honestatem virtutis cum Stoicis? *Cupiditas* est, ait Augustinus. Ob commoda & emolumenta temporalia? *Cupiditas* est, ait Augustinus. Ob nullam omnino rem? *Ipso non recto fine* peccatum est, ait Augustinus. Ob gloriam magis hominum, quam Dei? *Non est voluntas bona*, ait Augustinus. *Practice* itaque loquendo, ubi non est gratia, & relatio saltem virtualis in Dei gloriam, bonum opus morale, quod undique sit inculpatum, non exercetur.

Hæc Augustinus docuit adversus hæreticos Pelagianos. Contra Semipelagianos autem asserentes, *Inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta*, ita Augustini discipulus S. Prosper in libro contra Collat. num. 38. & seq. *Virtutum itaque semina, quæ beneficio Creatoris inserta sunt, prævaricatione primi parentis eversa sunt; nec haberi queunt, nisi eo restituente qui dederat. Reformabilis enim est natura humana Formatori suo, & eorum bonorum, quæ habuit, capax est; ut per mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, in eo ipso quod ei remansit, possit recuperare quod perdidit. Remansit autem ei rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis habitaculum est. Ex participatione enim sapientiæ, & justitiæ & misericordiæ, non sapientia & justitia, & misericordia, sed, sapientes & justi & misericordes sumus. Quæ bona, quamvis rationale nostrum vitiis occupatum sit, & prævaricantibus nobis Dei templum spiritus immundus invaserit, possunt tamen rursus in ipsum rationale confluere, per eum qui mundi principem foras mittit, & ligans fortem vasa ejus rapit, fugatoque mundi hujus spiritu, dat spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Puto autem istum veri similitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis æstimat reperiri; ideo scilicet, quia multi eorum sint justitiæ, temperantiæ, continentiæ, & benevolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem, neque inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris, & gloriæ consequuntur: sed quia in iis studiis non Deo, sed Diabolo serviunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissime patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem: sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem sed animalem, non cœlestem sed terrenam, non christianam sed diabolicam, non a Patre luminum, sed a principe tenebrarum; dum & ipsa quæ non haberent nisi dante Deo, subdunt ei qui primus recessit a Deo. Hactenus Prosper, docens nulla virtutum semina post Adæ prævaricationem in nobis reperiri ante gratiam, sine qua omnia impiorum opera *immunda sunt*, atque *polluta*.

Ex hac nostra, immo SS. Augustini & Prosperi doctrina, non sequitur, ut calumniantur nonnulli, omnia opera infidelium esse peccata, eorumque virtutes esse vitia, sive germina cupiditatis; quoniam etsi carent recto fine, neque referuntur in Deum, & in hoc sensu convincuntur esse peccata; tamen officia bona sunt, neque infideles peccant, quia ea exercent, sed quia de ipsis operibus non in Domino gloriantur, quod *solus impius negat esse peccatum*, ut ait S. Pater. Atque pariter qui nudum operit, qui continentiam servat, qui honorat parentes, non peccat, sed bona opera facit: peccat tamen, & bonum non bene facit, quia non diligit Dominum ex toto corde, & in se vel in aliis, non in domino gloriatur. Vide præced. artic. num. 4. Si autem recto fine ab infidelibus opera aliqua fiant, ea fiunt ex gratia; nec sunt opera duntaxat infidelium, *sed ipsius, qui bene utitur malis*, ut inquit S. Pater cit. libro 4. contra Julianum cap. 3. num. 32. Auxiliante enim Dei gratia multa bona opera ab infidelibus patrari, docet S. Pater epistola 130. nunc 144. num. 2. de gratia Christi cap. 24. num. 25. libro 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 20. num. 33. & de prædest. Sanctorum cap. 7. num. 12. Videantur quæ scripsi in *Vindiciis* differt. 6. cap. 1. §. 6. *tom.* 1. *pag.* 358.

CAPUT VII.

De Censuris in sensum exoticum detortis.

ARCHIEPISCOPUS.

I. *Aliter F. Berti censuras eludere conatur, illas ad sensum exoticum detorquendo, scilicet ad errores, quos Bajo, & Quesnellio tribuit, de quibus nequidem cogitaverunt, ut hac arte errores, quos adoptat, a censura eximere possit. Utrique enim imputat* 1. *Quod dicendo non esse nisi* duos amores, *caritatem, & cupiditatem, intendebant negare amorem naturalem, quo omnes in suam beatitudinem feruntur, quemque licet animis omnium insitum, per peccatum originale periisse supponebant.* 2. *Quod contendebant illum amorem esse liberum ea libertate, quæ sufficiat ad demeritum*. Datur, *inquit* (1), amor naturalis, quo animus fertur in beatitudinem . . . hic amor non est a gratia, nec liber ea libertate, quæ sufficit ad meritum, ut Bajus, & Quesnellius, & Jansenius commenti sunt.

Novatoribus illis imponit. Nusquam eo deliramenti pervenerunt, ut negarent esse in homine innatum amorem suæ beatitudinis, qui in eo non est liber: Multo minus dixerunt illum amorem esse liberum.

Porro qui ita infideliter censuram erroribus chimericis applicat, eo ipso erroribus veris patrocinium vel conciliare se probat.

F. J. LAURENTIUS.

Peregrinum, extraneum, & *exoticum* sensum a me adtribui Baji, & Quesnelli propositionibus, ut Ecclesiasticas eludam censuras, inquit art. 7. Archiepiscopus Senonensium. Ad quod demonstrandum producit quæ habentur *lib.* 18. *cap.* 4., ubi trado non posse Deum diligi super omnia, etiam ut auctorem naturæ, sine auxilio supernæ gratiæ. Ibi autem ad 34. & 36. Baji propositionem tom. 3. pag. 415. hæc scripsi: *Respondetur hujusmodi propositiones rectissime fuisse proscriptas. Primo quia datur amor naturalis quo animus fertur in beatitudinem, cujus desiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere, atque hic amor non est a gratia, quemadmodum nec liber ea libertate, quæ sufficiat ad meritum, ut Bajus, Quesnellus, & Jansenius commenti sunt, sed est amor inditus a natura, indeliberatus, & necessarius.* 2. *Datur amor naturalis etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus, ut est auctor naturæ, neque amor iste secundum* substantiam *malus est, sed bonus, & rectæ rationi consentaneus, licet aliquando non habeat rectitudinem finis, si Deus non diligatur propter se, gratis, & amore benevolo.* 3. *Etiam datur amor Dei auctoris naturæ bonus undequaque*

(1) T. 3. l. 18. c. 4. p. 415.

quaque sine gratia Spiritus Sancti inhabitantis, quam dumtaxat admisit Bajus, ut constat ex articulo 62. in quo rejicit tamquam commentitiam & odiosissimam distinctionem duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, & alterius, quæ fit per inspirationem Spiritus Sancti nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis. *Ex qua prava doctrina sequerentur quæcumque fiunt ab homine nondum justificato, vere esse peccata: quod & Bajus asseruit art. 35. ut cap. 2. dictum est. Promeruit ergo etiam articulus 34. & 36. hanc perniciosam, hæreticamque doctrinam comprehendens, censoriam Ecclesiæ animadversionem.*

Criminator, ut imperitis suadeat, me damnatas propositiones in sensum ab auctoribus alienum detorquere, ubique sui similis, mutilat hanc meam responsionem. Priorem partem, qua sibi videtur rem conficere, arripit, ac stylo configit. Duas alias, quæ aperte cavillationes ejus elidunt, & ora calumniantium obtundunt, reticet, altissimoque premit silentio. Atqui illas non omisisset, si libros meos maturo ponderavisset examine, & veritatis fuisset diligens inquisitor. Breviter ergo & priorem partem, quam carpit, & ceteras, quas præterit, expendamus.

In illa prima parte ait censor, me Bajo, & Quesnello imputare 1. quod asserentes non dari nisi duos amores, caritatem & cupiditatem, intendebant negare amorem *naturalem, quo animus fertur in beatitudinem*, secundo quod contendebant amorem illum esse liberum *ea libertate, quæ sufficiat ad meritum, vel demeritum*.

Non id ergo Bajo & Quesnello præcitatis verbis imputo. Mentitur tergiversator. Dico, damnatarum propositionum, quarum una est 38. Baji, *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis caritas*, & 44. Quesnelli, *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones nostræ nascuntur, &c.* ex quibus fluunt reliquæ, quibus enuntiatur opera, quæ a caritate prædominante non fiunt, procedere a cupiditate, a qua corrumpuntur, adeo ut omnia infidelium, & impiorum opera, quoniam in illis non regnat caritas, sint peccata; damnatarum, inquam, propositionum illarum falsitatem primo deprehendi, quod inter caritatem & cupiditatem medius sit *amor naturalis beatitudinis, cujus desiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere*. Hoc ego asfero, verbaque mea sunt perspicua. Non dico, a Bajo, & Quesnello denegatum fuisse innatum beatitudinis suæ amorem. Nequaquam. Puto & ego non eo deliramenti eos pervenisse; sed ex quo certum sit hujusmodi amorem singulorum animis inditum esse, demonstro omnem amorem creaturæ rationalis non esse vitiosam *cupiditatem*, aut laudabilem *caritatem*, quia in creatura rationali est naturalis amor beatitudinis, qui non est vitiosa *cupiditas*, neque *caritas* laudabilis. Hæc prior meæ responsionis pars. Est ne adeo profunda, ut ad eam hauriendam opus sit natatoribus & urinatoribus istis?

Ut vero criticorum, censorumque hujus ævi, qui gloriantur se adversus Jansenistas pugnasse ampliori annorum intervallo, quam duce Augustino acies catholicæ Ecclesiæ dimicavit adversus hæreticos Pelagianos, idest supra annos triginta, eruditionem maximam admireris; vide, quæso, an responsio illa sit a me excogitata. Illam ante me tradidit Cardinalis Norisius, qui in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 4. ubi pertractat de virtutibus infidelium tom. 1. pag. 984. *Scio*, inquit de adversariis Augustinianæ doctrinæ, *opponere damnatam hanc Caji propositionem*, Omnia opera infidelium sunt peccata. *Sed hac censura S. Patris sententia neutiquam percellitur. Etenim hic palam concedit in infidelibus aliqua opera bona in prima saltem sui productione, ex gratia tamen donata. Præterea etiam sine gratia homo appetitu innato ex Augustini sententia amat summum bonum; nullus enim est, qui non velit esse beatus*. Similia P. Macedo in *cortina*, in *ferinio*, & in *collationibus*, ubique repetens propositiones Baji ex hoc etiam capite fuisse jure proscriptas, quod sine gratia plura opera fiant *indeliberata, & sine advertentia*, quæ neque ex *cupiditate*, neque ex *caritate* proveniunt. Recitata a me fuere testimonia Macedi tom. 1. Vindic. dissert. 3. cap. I. §. 2. num. 4. *pag.* 323. *& seq.*

Forte dixeris: Norisius item Bajanismi suspicione non caruit. Ita est: sed purgavit quoque seipsum, ac tanto nominis sui incremento, ut quemadmodum olim Risbrochius, Bruno Neusser, & qui sub isto, vel alio corio, contra illum latrarunt, ita Philalethes Hispanus, ceterique, quorum occultat nomen pudor, & calumniæ dedecus, prudentum judicio sint ranæ quaxantes contra solem, aut corvi nigerrimi perperam crocitantes.

Quid autem, si non solum Norisius & Macedo, sed etiam præcipuus Baji impugnator, ad quem me sæpe provocabat auctor *Bajanismi Redivivi*, eadem naturalis amoris beatitudinis mentione facta, tricesimum octavum ejusdem Baji articulum refutavit? Est ille Joannes Lensæus, qui in sua *Expositione* inserta secundæ parti Operum Baji *pag.* 168. inquit: *Omnino hoc a vero abhorrere censemus, omnem creaturæ rationalis amorem aut vitiosam cupiditatem esse, quæ mundus diligitur, quæque a Divo Joanne prohibetur, aut laudabilem illam, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur, caritatem. Est indubie medius, quem naturæ auctor inseruit, quo non modo beatitudinem omnes expetimus, sed & parentes, & amicos, liberos, & conjuges, & quacumque alia ratione propinquos irreprehensibiliter, ipsaque natura impellente diligimus.*

Vides, quod etiam Lensæus docet articulum Baji 38. a vero abhorrere, propterea quod inter vitiosam *cupiditatem*, & laudabilem *caritatem*, sit medius amor, *quem nobis naturæ auctor inseruit, & quo beatitudinem omnes expetimus?* Id ne vides? Si dicas, Lensæum asserere, non modo amorem beatitudinis, sed & amores alios natura impellente a nobis concipi medios inter *caritatem*, atque *cupiditatem*, respondeo a me etiam istiusmodi amores admitti, cum *libro* 21. *cap.* 4. tum secunda hujus responsionis parte, quam ab adversariis diximus prætermitti.

In quolibet autem actu, etiam *indeliberato*, qualis est amor innatus beatitudinis, dari juxta Bajum libertatem, quam putat sufficere ad meritum ac demeritum, solus Languetius ignorat; ideoque nil mirum, si scribat a me errorem istum eidem Cajo imputari. Illam, quam is ait esse falsam imputationem meam, esse revera doctrinam Baji, demonstrat Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 190. cap. 81. ubi ait: *Adde prædictum Michaelem ita putasse hominem peccare in omnibus affectibus & motibus suis, qui non essent virtutis, ut etiam in his, quæ sine libertate fiunt, peccatum esse diceret. Nam proposit. 62. dicit*, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali: *& propos. 63. inquit*: Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit: *in quo nec Augustinus, nec ejus discipuli peccatum agnoscunt*. Similia Suarez lib. 1. de grat. cap. 24. num. 22. ubi observat in sententia Baji *primos* quoque *motus concupiscentiæ esse peccata*. Et quidem manifestum id est ex propositionibus Baji 48. 49. 71. 72. 73. Quod ergo nos de Bajo affirmavimus, statui ab illo in quovis actu, *etiam indeliberato*, libertatem naturalem, quam putat sufficere ad meritum, vel demeritum, non est imputatio mea: est doctrina, quæ comprehenditur in damnatis articulis; quod ante me demonstrarunt duo percelebres Societatis Jesu Theologi, Gabriel Vasquez, & Franciscus Suarez.

Jansenius, & Quesnellus doctrinam Baji de actibus quoque *indeliberatis* videntur rejicere, neque illos adnumerant inter peccata. Non tamen falsum iis imputatur. Nam Jansenius *prop.* 3. dogmatizat, ad merendum, vel demerendum sufficere *libertatem a coactione*. Hæc vero libertas in amore quoque innato beatitudinis, & in quolibet actu, etiam *indeliberato*, modo coactus non sit, invenitur. Quesnellus *prop.* 45. affirmat, necessum esse, ut ubi non regnat caritas, actiones omnes corrumpantur *a carnali cupiditate*: si omnes; indeliberatæ etiam, & quilibet motus animi. Bajo itaque sententiam adscribo, quam ab eo tradi exploratissimum est. De Jansenio, & de Quesnello idem ratiocinando ex illorum principiis existimo esse inferendum: & quamvis in hoc a veritate aberrarem, puto non talem futuram fore imposturam ac fraudem, qualem in criminatione mihi illata patefactam a me fuisse confido.

Dispunctam, refutatam ac penitus elisam arbitror animadversionem Archiepiscopi Languetii, qua ajebat detorqueri a me *in exoticum sensum* damnatos Baji articulos, propterea quod inter *cupiditatem* carnalem & laudabilem *caritatem* medium dixerim *innatum amorem beatitudinis*. Sed queror, & omni æquitate queror, eumdem Archiepiscopum hanc solam responsionis meæ partem, ut suaderet eludi a me Apostolicæ Sedis Censuras, duabus aliis neglectis, exscripsisse.

Præter *naturalem beatitudinis amorem*, & *indeliberatos* animi motus, inter *cupiditatem & caritatem* affirmo medium esse *amorem naturalem*, non tantum, quo diliguntur parentes & propinqui, ut ait Lensæus, verum etiam amorem *deliberatum*, quo diligitur Deus, ut Auctor naturæ, (non tamen super omnia, ad hoc enim necessariam esse Dei gratiam celeberrimi plurimique tradunt Theologi) & dico hunc *deliberatum amorem* esse *secundum substantiam suam bonum*, & consentaneum rationi. *Secundo* (mea repeto verba) *datur amor naturalis, etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus, ut est Auctor naturæ, neque amor iste* secundum substantiam *malus est, sed bonus, & rectæ rationi consentaneus*. Quare cavillator hæc a me scripta dissimulat? Est ne sensus iste *exoticus*, & aliunde adscitus?

Queror insuper, silentio prætermissum ab adversario tertium illum sensum, quo articulos Baji proscriptos affirmo, eo quod nempe admiserit solam gratiam *inhabitantis Spiritus Sancti*, id, quod de Bajo cuncti, quos laudabo proximo numero, tradiderunt, & consequenter docuerit, omnia opera esse inquinamenta, sive noxiæ *cupiditatis effectus*, si fiant *absque gratia sanctificante*, vel sine *caritate*, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur. *Tertio* (ita prosequor in eodem, qui mihi objicitur, loco) *datur amor Dei Auctoris naturæ, & bonus undequaque sine gratia Spiritus Sancti inhabitantis*, *quam dumtaxat admisit Bajus, ut constat ex articulo 62. in quo rejicit tamquam commentitiam & odiosissimam distinctionem duplicis justitiæ*, alterius quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, & alterius quæ fit per inspirationem Spiritus

tus Sancti nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis: *Ex qua prava doctrina sequeretur quæcumque fiunt ab homine nondum justificato vere esse peccata: quod & Bajus asseruit art. 35. ut cap. 2. dictum est.* Qui demonstrandum susceperat detorqueri a me damnatos articulos in sensum *exoticum*, nonne debebat hunc sensus a me traditum recensere? Peto itaque, quam ob caussam sensum hunc prætermisit? Est ne verum a Bajo fuisse admissam solam gratiam *sanctificantem?* Est ne hujusmodi sensus *exoticus?* Spectatis itaque libratisque verbis a Senonensi Præsule adductis, iisque additis, quæ adduci oportebat; vel alios versute decipit, vel ipse incaute decipitur.

ARCHIEPISCOPUS.

II. *Eodem modo respondet objicienti condemnationem hujus propositionis Baji*, Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet; *& hujus Quesnelli*, Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris; *& ibid. cap. 5. pag. 420. imputat utrique, sensisse liberum arbitrium nequidem posse beatitudinem suam naturali instinctu appetere.* Liberum arbitrium, *inquit*, sine gratia potest beatitudinem suam appetere naturali instinctu; potest actus plures indeliberatos agere, quos culpabiles Bajus, & Quesnellus impie dixerunt. *Si ab eo exigeretur, ut ostenderet, ubi & quando hæc docuit Quesnellius, deficeret sane. Aliud ibidem æquale deliramentum Quesnellio tribuit, quasi negasset hominem sine gratia posse exercere bona opera, & implere præcepta* quoad substantiam, & ex officio. *Quæ quidem calumniæ eo tendunt, ut verum objectum censurarum oculis lectorum subtrahatur, & ut iisdem censuris chimericos errores percelli suadeatur.*

F. J. LAURENTIUS.

Utique ego eodem sensu, quo proscriptæ fuere propositiones Baji 34. & 36. scripsi lib. 18. cap. 5. seu *tom. 3. pag.* 421. damnatas fuisse propositionem ejusdem Baji vicesimam septimam, *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, & tricesimam octavam Quesnelli, *Peccator non est liber nisi ad malum, sive gratia Liberatoris.* Sed Antistes Senonum in eumdem impingit lapidem, aberratque eadem chorda: quoniam illam responsionis partem exscribit, quæ a Norisio, a Macedo, & a Lensæo tradita, & ex principiis Baji transgressionem legis & peccatum existimantis motum concupiscentiæ, cui homo non assentitur, fluens sponte sua, videtur illi a me confecta, idoneaque ad incendendum in me ignem, injiciendamque in me tragulam; duas autem alias ipsius responsionis partes omittit. Expendat Lector verba mea, ut cit. pag. 421. jacent, & diligentiam, æquitatemque præclarissimi viri dijudicet.

Liberum arbitrium (hæc est mea non mutilata responsio) *sine gratia potest suam beatitudinem appetere naturali instinctu, quem non potuit amittere depravata natura: cui proinde post lapsum non solum tenebræ & malitia manent, sed etiam imago Dei non omnino detrita, idea honestatis & lumen rationis, & in bonum universale congenita, & antiqua propensio. Potest actus plures indeliberatos peragere, quos culpabiles Bajus, & Quesnellus impie dixerunt. Potest exercere officia virtutum, & præcepta aliqua implere* quoad substantiam, *operatione secundum se laudabili, & honesta, etsi extrinsece, & ex fine operantis non bona undequaque. Potest & rectissimo fine vitare peccatum cum sola gratia actuali sine habitu fidei, & remissione peccatorum, qualem gratiam a justificatione sejunctam Bajus & Quesnellus apertissime oppugnarunt. Omni ergo jure istorum assertiones anathemate confixæ sunt; & quamquam aliquæ sensum catholicum habere queant, & videantur speciem veritatis præferre, sunt in sensu ab auctoribus intento respective falsæ, scandalosæ, & hæreticæ. Quæ cum ita sint, miramur justissima harum propositionum damnatione nonnullos abuti ad criminationem Augustinianæ doctrinæ: quasi nullam tentationem etiam minima sine gratia superari non posse, non propugnent etiam Bellarminus, Franciscus Toletus, & Vasquez; quem vide p. 2. disp. 190. cap. 107. aut quasi in condemnatione Baji & Quesnelli proscripserit Ecclesia, quæ olim definivit adversus hæreticos Pelagianos.* Ad hunc modum se habet responsio nostra. Definitiones autem Ecclesiæ definientis contra Pelagianos, non posse nos, *sine gratia*, terrenæ labis, & mundani corporis vincere errores: pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere auxilium: necesse esse, ut privatus gratia diaboli laqueis irretitus occumbat: divini esse muneris, cum pedes nostros a falsitate, & injustitia continemus: neminem habere de suo, nisi mendacium, & peccatum; has, inquam, definitiones eo loci, *pag.* 420. præmittimus ipsis verbis S. Innocentii I. epist. ad Patres Concilii Carthaginensis, & Milevitani, & 9. ac 22. can. secundæ synodi Arausicanæ.

Cernere puto cunctos, qui oculi omnino non carent, a me præter innatum beatitudinis amorem, ac præter actus indeliberatos in culpam nulla ratione imputandos, agnosci in libero humanæ voluntatis arbitrio sine gratia actuali, & non sanctificante, officia, exercitamenta, & actus moralium virtutum, sive opera intrinsece, secundum se, & quoad substantiam suam laudabilia & honesta, ideoque non erumpentia a vitiosa cupiditate. Sensus autem iste censendus ne est ecclesiasticis censuris oppositus, exoticus, & peregrinus, sive non alienus a mente dogmatizantium, actiones omnes humanas fluere vel ab amore mundi, & a noxia cupiditate, vel ab amore Dei, & a caritate in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusa? Cernere item puto omnes, præter actiones istas laudabiles & honestas secundum se, suaque substantia, a me propugnari actus virtutum rectissimo etiam fine, & cum relatione in Deum perpetratos cum sola gratia actuali disjuncta a remissione peccatorum. Atque sensus iste debet ne existimari exoticus, aliunde advectus, neque cohærens censuræ latæ in articulos dogmatizantium primam gratiam esse remissionem peccatorum, atque omnia opera, quæ facit peccator, vel servus peccati, peccatum esse? Nemo sane dicturus est hujusmodi sensus esse damnatis propositionibus affines, ipsarumque propositionum censuræ extraneos, & exoticos.

Vis autem ostendam, unde sensus illos, quibus damnatorum articulorum pravitatem, erroremque declaro, deprompserim? Primus, quo inter caritatem & cupiditatem dixi medios esse naturalem beatitudinis amorem, & actus indeliberatos complures, traditur a Norisio, a Macedo, a Lensæo, fluitque, quantum ad actus indeliberatos attinet, a Baji propositionibus illis, in quibus enuntiat motus concupiscentiæ indeliberatos esse peccata, ut bene sapienterque observarunt Vasquez & Suaresius. Atque id præcedenti num. 1. demonstratum est.

Sensus alter, quo inter cupiditatem & caritatem, nullum actum honestum, substantia sua bonum, neque a concupiscentia mundi corruptum, sine ulla gratia dogmatistæ constituunt, manat, fatentibus adversariis nostris, ex 38. Baji, & 44. Quesnelli propositionibus, immo est error iisdem ptopositionibus expressus; ideoque dum ego affirmo dari sine gratia officia, & opera *secundum se bona, laudabilia, honesta*, non polluta, non exorta ex vitiosa cupiditate, directe proscriptum sensum objicio, & execror, neque a Vaticano fulmine meipsum protego interpretatione *exotica*, & aliena.

Dum autem prædicta opera secundum se bona, neque a cupiditate fluentia, dico non esse bona *undequaque*, & ex fine operantis, illa non dirigentis in Deum; sequor sententiam catholicorum Doctorum, docentium opera deliberata in Deum tamquam in finem ultimum referri oportere: de qua sententia pertractavi in *Vindiciis* dissert. 3. cap. 1. *a pagina* 333. *usque ad paginam* 370. ac breviter superioribus articulis 5. & 6. Audet ne Senonensis Antistes hanc quoque sententiam a prædecessore suo *De Gondrin*, & a synodo suæmet diœceseos comprobatam, declaratamque SS. Patrum, S. Thomæ, & clarissimorum sacræ Theologiæ Doctorum assertionibus, censoria nota expungere? Audetne Galliarum Præsul redarguere una cum Augustinensibus Theologis Centum Gallicanos Episcopos, qui in explicationibus celeberrimæ constitutionis *Unigenitus* eidem sententiæ adhæsere? *L'obligation* (inquiunt laudati Centum Episcopi, Explications sur la Bulle *Unigenitus*, anno 1720. art. 4.) *de rapporter à Dieu toutes ses actions, renfermée dans le premier precepte, fait partie du culte, que nous devons au souverain Estre, & de la gloire, que nous sommes obligez de lui rendre. La doctrine que enseigne cette obligation a de trop grands fondements dans l'écriture, & la tradition, pour souffrir que des Auteurs temeraires osent la combattre.*

Quod tertio loco diximus, Bajum & Quesnellum solam gratiam sanctificantem agnovisse, & consequenter ab illis recedere Theologos, qui docent liberum arbitrium cum gratia actuali, & sine gratia Spiritus Sancti inhabitantis & sanctificantis actu animam, posse rectissimo fine vitare peccata, superare tentationes, & opera bona exercere, id vero unde didicimus?

Si loquamur de Bajo; hoc sequitur ex ejus propositione 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* In sensu itaque Baji nullus actus, qui non sit corruptus a vitiosa cupiditate, fieri potest ab homine peccatore, & nondum justificato, & consequenter sine gratia sanctificante.

Ex propositione 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Hæc enim idem significat, ac propositio præcedens.

Ex propositione 60. *Distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, ut odiosissima, & pertinacissima rejicitur.*

Ex propositione 61. *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia judicatur, & scripturis minime congruens.* Sublata namque distin-

distinctione duplicis justitiæ, & duplicis vivificationis, consequitur unam juxta Bajum esse vivificationem, & unam justitiam, qua divinæ legis justificatio adimpletur, & qua vivificatur qui vere justificatur, & in vite Christo vivus palmes efficitur.

Ex ipsa propositione 38. quæ basis est ceterarum, *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Caritatis enim nomine per Spiritum Sanctum in corde diffusa communiter intelligitur illa caritas, quæ justificationi conjungitur, præsertim apud Bajum, qui contendit omnia bona opera justificare, & habere meritum vitæ æternæ; ut constat ex ejus propositione 44.

Si autem loquamur de Quesnello, dogmatizatum ab ipso, corrupta pravaque esse quæcumque fiunt *sine gratia sanctificante*, & a peccatore, in quo caritas & Dei amor non regnat, colligitur ex propositione 44. in qua ait ab amore mundi originem habere volitiones, & actiones omnes, quæ non nascuntur ex amore Dei, *qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, scilicet, ex caritate, quam Deus *coronat*, ac *remunerat*, ut inquit prop. 55. & 56. quæ alia caritas esse nequit, nisi justificans.

Ex propositione, *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

Ex propositione 51. *Fides justificat quando operatur; sed non operatur nisi per caritatem*.

Ex propositione 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Ex his, aliisque propositionibus demonstrari, nullam a Quesnello gratiam, & caritatem admitti præter gratiam sanctificantem, & caritatem habitualem, deprehendi facile potest ex confutatione harum propositionum, elucubrata ab illustri Propugnatore Constitutionis *Unigenitus* mox laudando.

Non autem ego omnium primus affirmavi a Bajo & Quesnello solam sanctificantem gratiam, sine qua opera omnia oriantur a cupiditate regnante, fuisse traditam. De Bajo idem ante me affirmarunt Gabriel Vasquez 1.2. *disp.* 190. *num.* 184.

Franciscus Suarez *lib.* 1. *de gratia cap.*4. *num.* 5.

Aloysius Turrianus in *tractatu* conscripto adversus errores ejusdem Baji *cap.* 5. *&* 6.

Ludovicus Bail in opere inscripto, *De beneficio Crucis* pag. 184.

Joannes Lensæus in *expositione* articulorum ipsius Baji *ad art.* 38. *pag.* 168.

Guilelmus Estius in 2. *sent. dist.* 25. §. 6.

Joannes Baptista Gonet *disp.* 1. *de statu naturæ puræ art.* 3.

Vincentius Contensonus *lib.* 8. *Theologiæ mentis & cordis diss.* 2. *cap.* 1.

Franciscus Macedo *in scrinio pag.* 250. & *in cortina pag.* 247.

Henricus S. R. E. Cardinalis Norisius in *Vindiciis Augustinianis cap.* 4. §. 5. & in *Parallelo* propositionum damnatarum, prope finem tomi 1. *edit. Veron.*

Fridericus Nicolaus Gavardi tom. 4. Scholæ Ægidianæ *q.* 5. *de virtutibus art.* 7.

De Paschasio Quesnello idem affirmavere in sua *Instructione Pastorali an.* 1714. Episcopi 42. Galliarum §. *Les Propositions condamnées*.

Centum Episcopi in *explications* sur la Bulle *Unigenitus* §. *La foy & l'esperance*. §. *Ce sont donc autant d'erreurs*. §. *C'est encore un' erreur dejà condamnée*; & §. *Les Peres de l'Eglise*.

Auctor opusculi inscripti, *Veritas & æquitas Constitutionis* Unigenitus *theologice demonstrata*, ad prop. Quesnelli 44. *pag.* 56.

Jacobus Le Fontaine in Opere anno 1719. Romanis typis procuso, cui titulus: *SS. D. N. Domini Clementis P. XI. Constitutio* Unigenitus *theologice propugnata*, tom. 2. *ad proposit.* 44. *cap.* 1. *&* 4. *pag.* 266. *columna* 1. & rursus *pag.* 502. & in *Appendice cap.* 1. 2. 3. *&* 4. necnon in *synopsi* prop. 44. Horum omnium testimonia producta a me fuerunt in *Vindiciis* dissert. 1. cap. 1. *a pag.* 13. usque ad *pag.* 50. Hæc tantum repetam, quæ postremo loco citato scribit prælaudatus Jacobus Le Fontaine: *Testantissima igitur Quesnelli doctrina est, in omnibus volitionibus, actionibusque peccari, nisi profluant ex amore Dei perfecto, justificante, dominante, & habituali*.

Ad illos modo mea revertitur oratio, qui ajebant tradi a me damnatarum propositionum *exoticum* extraneumque sensum, ut eludam Apostolicæ Sedis censuras. Dixi, in Baji & Quesnelli sententia nullum dari medium inter *cupiditatem* & *caritatem*, quoniam putarunt omnia, quæ a *caritate habituali*, *& a gratia sanctificante* non fiunt, oriri a cupiditate a Joanne prohibita. Peto, est ne sensus iste a me confictus? Si ex meo prodiit cerebro, quomodo ipsum tradidere qui ante me floruerunt? qui fieri potuit, ut longo antea temporis intervallo ingenioli mei prævideren figmenta? Si fuerunt divini, ac prænoverunt; cur illa adoptarunt, cur dogmatistis imposuerunt quæ nec somniarunt quidem, cur eadem damnatas propositiones pensarunt trutina? Peto rursus, iste ne sensus est *exoticus*? Si *exoticus* est, eccur de Bajo scripsit Vasquesius solam ab eo adstrui gratiam sanctificantem, & Spiritus Sancti animam inhabitantis? cur idem ait Suaresius? cur Turrianus? cur Theologi alii bene multi? Quare eadem libra Centum Galliarum Episcopi proscriptas Quesnelli propositiones pensitaverunt? Quare, dum ipse Quesnellus sibi imputari quereretur quod nullum bonorum operum admitteret principium *præter caritatem habitualem*, in vindicando Centum illorum Episcoporum, qui id affirmaverant, judicio Jacobus *Le Fontaine* tantam impendit operam? Tradidi autem egomet prorsus idem, quod prælaudati Centum Episcopi, sive affirmans a Novatoribus æstimari a cupiditate vitiatum quidquid non emanat *a caritate habituali*, vel *a gratia sanctificante*, sive docens actiones omnes *deliberatas* in Deum tamquam in ultimum finem referendas esse; & quamquam *secundum se* officia virtutum honesta, bona, & laudabilia sint, neque oriantur a cupiditate vitiosa, si tamen careant ea relatione, non esse bona *undequaque*, & spectata circumstantia ultimi finis. Si hoc a me traditum est, quod a Centum Episcopis Galliarum; in istos insurgere debebat Archiepiscopus Senonensis, & istos redarguere, quod *in sensum exoticum* proscripta dogmata detorsissent.

CAPUT VIII.

De Baji erroribus renovatis circa statum naturæ puræ.

ARCHIEPISCOPUS.

I. *Eadem methodo F. Bellelli, & F. Berti, Censuras eludere conantur datas in Baji doctrinam circa statum, quem Theologi nominant* naturæ puræ statum. *In hac materia peccaverat Bajus, quod gratiam sanctificantem, immortalitatem, & destinationem ad visionem beatificam naturæ innocenti ita debitas sustineret, ut illas dotes Deus Adam non impertiri non potuisset, illæsis attributis bonitatis, justitiæ, providentiæ, quæ in Deo sunt. In hoc derogabat Omnipotentiæ divinæ; & Adamum quodammodo dispensabat a gratitudine, quam Deo debebat pro donis illis, quæ a benevolentia pura Dei acceperat. In hoc peccasse visus est Bajus a Summis Pontificibus, qui ejus in hac materia propositiones damnaverunt, plaudente Ecclesia.*

Ut ergo hanc damnationem a Bajo averteret, huic errorem imputare tentavit, cujus Bajus innocens videtur cuilibet ejus opera pervolventi. Illi ergo imputat, quod gratia, & cetera dona contenderit ad Adamum pertinuisse quasi naturæ dotes, sicut ceteræ proprietates naturæ rationalis; non vero ut dotes, quæ ordinem naturalem superarent, & essent sua natura supernaturales. Hoc autem omnino alienum erat a mente Baji, qui unum docebat, indignum sibi videri providentiæ, & justitiæ Dei creaturam rationalem innocentem absque illis dotibus creari, & illam morti obnoxiam.

Eodem dolo utuntur FF. Theologi, ut Baji doctrinæ damnationem eludant. Censuras Pontificias ad errorem chimericum detorquent, & spretis Censuris solemnibus sustinere pergunt creaturam rationalem a Deo creari non potuisse sine gratia sanctificante, aut saltem sine auxiliis ad eam obtinendam requisitis; morti quoque obnoxiam, & sine destinatione ad adoptionem, & visionem Dei cælestem.

F. J. LAURENTIUS.

Nullum ex libris Theologicæ disciplinæ a me conscriptis protulit, nec proferre potuit Languetius Archiepiscopus testimonium, quo status naturæ, quam vocant *puram*, a me absolute propugnatam impossibilitatem evinceret. In *Appendice* enim libri 12. ubi de illo statu pertracto, cap. 1. & 2. propono partis utriusque argumenta. Tertio autem capite affirmo, nullo titulo in prima conditione debuisse Deum impertiri rationali creaturæ *caritatem habitualem, sive gratiam sanctificantem, & supernaturalium virtutum habitus, & consequenter integritatem & originalem justitiam hæc omnia complectentem primo homini debitam nequaquam fuisse, atque Deum posse creaturam rationalem condere absque talibus ornamentis. Quod manifestum puto ex damnatione articulorum Baji, & ex communi Doctorum Scholasticorum sensu: inter quos opinantur plures, quod habitualis gratia nec Adæ fuerit a principio collata; omnes vero liberalissimum Dei beneficium illam esse fatentur*. Hæc verba mea tom 2. pag. 563. Dum ergo ait censor, sententia mea non potuisse a Deo primum hominem condi *sine gratia sanctificante*, id asserit bullato, splendidissimoque mendacio.

Addit quidem, *Aut saltem sine auxiliis ad eam obtinendam requisitis:* verum, si Theologos accuratius consuluisset, non ignorasset propositiones Baji de integritate primi hominis enuntiatas, eatenus fuisse damnatas, quatenus comprehen-

hendunt *gratiam habitualem absolute justificantem*, ut inquiunt Gonet de *statu puræ naturæ art.* 1. *sect.* 3. Estius *in* 2. *sentent. dist.* 25. §. 6. Facult. Theologica Lovaniensis ibidem ab Estio laudata, aliique; quorum testimonia produxi *dissert.* 2. *cap.* 1. §. 1. *num.* 12. *& seqq.* An ergo creaturæ rationali, cum primum condita fuit, conferri debuisset supernaturalis gratia actualis, qua auxiliante posset Deum conditorem suum super omnia diligere, & pervenire ad illam beatitudinem, in quam naturali fertur instinctu, adiaphora quæstio est; & pars affirmans nullatenus connexionem aliquam habet, fatentibus Theologis orthodoxis, (iis etiam, qui pugnant pro *status naturæ puræ possibilitate*, ut Joannes Baptista Gonet) cum damnatis Baji propositionibus.

Immo sententia, quæ affirmat indiguisse primum hominem actualis supernæ gratiæ adjutorio, ut sibi meritum compararet, & ad beatitudinem, quam naturaliter appetit, supernaturali suffultus auxilio posset pertingere, est opposita e diametro articulis Baji, dogmatizantis Deum non esse finem *supernaturalem* rationalis creaturæ, & hominem integrum potuisse ad illum pervenire *propria virtute*, *& sine gratia*, *sive viribus solius naturæ*; quemadmodum tradunt doctissimi Societatis Jesu Theologi, Vasquez 1. 2. *disp.* 195. *cap.* 4. *num.* 30. Suarez *prolegomeno* 6. *de gratia cap.* 2. *num.* 5. Turrianus in *tractatu* contra errores Baji *cap.* 1. §. 1. & Martinez de Ripalda *disp.* 3. *sect.* 1. necnon Ludovicus Bail *de beneficio Crucis*, *pag.* 59. qui ait non immerito Bajum posse appellari *Pelagium Paradisi terrestris*. Si id verum est; quis dixerit impingere in Baji articulos circa integritatem primi hominis Theologos illos Augustinenses, qui putantes beatitudinem, quæ in visione Dei sita est, esse *finem hominis naturalem quoad appetitum*, supernaturalem vero *quoad consecutionem*, (ut ait Ven. Bellarminus *de gratia primi hominis cap.* 7. & fatente Ludovico Molina 1. *p. q.* 12. *art.* 1. disp. 2. *communior est sententia Scholasticorum*) propugnant primum hominem, ut finem illum consequeretur, quem naturaliter appetebat, adjuvandum fuisse actuali gratia supernaturali, cum pervenire ad ipsum finem minime posset *propria virtute*, *sine gratia*, *sive viribus solius naturæ*?

Illud etiam, quod carpit vitilitigator, & tanquam *chimericum*, & a Baji mente alienum esse clamitat, quod contenderit gratiam, & dona reliqua pertinuisse ad Adamum *quasi naturæ dotes*, *sicut ceteræ proprietates naturæ rationalis*, non vero, *ut dotes quæ ordinem naturalem superarent*, *& essent sua natura supernaturales*: imperite admodum in nostratibus redarguitur. Nam in censura sacræ facultatis Theologicæ Complutensis, & Salmanticensis, ad quam præsertim in damnatione articulorum Baji attendit Apostolica Sedes, declaratur articulum 27. proscribendum fuisse, quatenus in illo *negatur dona primo homini in sui conditione collata debere dici supernaturalia*, adeo ut supernaturalis non fuerit humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, *Nec primus homo fuerit sublimatus*, *& in Dei filium adoptatus per dona naturæ superaddita*. Ven. etiam Bellarminus lib. 5. *de justificat.* cap. 12. & 14. docet, Baji articulos fuisse damnatos, quoniam is ajebat in *statu naturæ integræ necessarium non fuisse ad meritum, ut homo per justificationis gratiam*, *& Spiritum inhabitantem adoptaretur in filium* Dei, *& in statum quemdam supernaturalem eveheretur*. Similia habent alii Theologi, quos laudavi in *Vindiciis dissert.* 2. *cap.* 1. §. 1. 2. & 3. Neque enim magni Bellarmini commemoratione facta, necessarium est ceteros recensere Theologos; maxime cum paullo superius commemoraverim, Vasquesium, Suaresium, Turrianum, & Ripaldam, nempe, quatuor alios sanctissimæ, doctissimæque Societatis Jesu Theologos, affirmantes Bajum in ea perstitisse sententia, quod ante lapsum Angelus & homo potuissent perficere omnia opera meritoria, & perseverare in accepta justitia *per solas vires naturales arbitrii*, *& sine gratia*. Peto nunc. Qui justitiam originalem haberet absque gratia *Spiritus Sancti inhabitantis*, & per vires arbitrii *sine gratia* actuali perseveraret, nonne foret justus, ac mereretur per naturalem, non per supernaturalem virtutem? nonne solius naturæ præditus foret proprietatibus, & donis supernaturalibus exspoliatus? Si ergo Bajus asseruit potuisse hominem integrum perficere opera meritoria, ac perseverare *per solas liberi arbitrii vires*, ejusque integritatem atque exaltationem in consortium divinæ naturæ, non *supernaturalem*, non comprehendentem dona *Spiritus Sancti inhabitantis*, sed *naturalem* dicendam esse affirmavit, ut Ven. Bellarminus, Suarez, Vasquez, Turrianus, Ripalda, aliique plurimi tradiderunt: necessaria, obvia, apertissimaque illatione consequitur, juxta Bajum justitiam, sanctitatem, ac potestatem perseverandi ac merendi fuisse naturæ dotes, non *supernaturalia* Dei conditoris beneficia. Quare hoc asserentes non spernunt *solemnes censuras*; sed verissimum sensum, quo damnatæ sunt Baji propositiones, assequuntur, ac tradunt: & qui jactant, eumdem sensum a nobis Bajo imputari, numquam Venerabilis Bellarmini, aliorumque Theologorum scripta hac in parte legerunt, *solemnibusque censuris* ad insectandam Augustinensium, horumque Institutoris sententiam supina ignorantia, & incredibili temeritate abutuntur. Enimvero Augustinenses Theologi, dum propugnant hominem conditum ad imaginem Dei non potuisse creari, absque gratia, spectata ipsius Dei providentia, ad quam pertinet largiri creaturæ rationali media supernaturalia, sine quibus pertingere nequit ad finem illum supremum, ad quem naturali fertur instinctu, neque sub justo Deo affici pœnis, quibus modo subjicitur, nullo præcedente peccato, non recedunt a doctrina beatissimi Patris; prout evidenter demonstravi citata *dissert.* 2. ac fatetur Garnerius paullo post laudandus.

ARCHIEPISCOPUS.

II. *Hoc est*, *quod damnavit Ecclesia*, *ut patet legenti propositiones a S. Pio Quinto damnatas*.

Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. (1)

Integritas primæ creationis non fuit indebita, &c. (2)

Deus non potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur. (3)

Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. (4)

Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job, & martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. (5)

Bajum exscripserat Quesnellus docendo (6): Gratiam Adami fuisse sequelam creationis, &c. & (7): Numquam Deus affligit innocentes, &c.

F. J. LAURENTIUS.

Propositio Baji 21. *Humanæ naturæ sublimatio*, *& exaltatio in consortium divinæ naturæ*, *debita fuit integritati primæ conditionis*, *& proinde naturalis dicenda est*, *& non supernaturalis*, proscripta fuit, quoniam Bajus credidit primum hominem non fuisse adoptatum in Dei filium, neque ad statum quemdam supernaturalem evectum *per justificationis gratiam*, *& Spiritum inhabitantem*, inquit Ven. Bellarminus. Revera gratia, per quam adoptamur in Dei filios, & efficimur divinæ naturæ consortes, est gratia sanctificans, & donum Spiritus Sancti inhabitantis. Quis gratiæ non sanctificanti eximiam hanc dotem adscripserit, ut per illam humana natura exaltetur, & sublimetur in consortium divinæ? Qui ergo affirmant primum hominem in prima sui conditione, præter naturales proprietates, accepisse a Deo gratiam sanctificantem, per quam in Dei filium adscitus fuit, & hanc fuisse illi indebitam, atque supernaturalem, non autem naturalem dicendam esse, ab errore illius articuli vigesimiprimi quamlongissime distant, totoque cælo recedunt.

Altera propositio, idest, 26. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio*, *sed naturalis ejus conditio*, jure confixa proscriptaque fuit, quoniam eadem propositione enuntiatur, ut inquit sæpe laudatus Bellarminus lib. 1. de gratia primi hominis cap. 5. *rectitudinem illam*, *in qua creatus est Adam*, *fuisse illi naturalem*, *nimirum quod fuerit*, *veluti quædam sanitas debita naturæ*, *aptaque nasci ex ipsa natura bene constituta*, *idest*, *non corrupta*, sive, ut loquitur Joannes Martinez de Ripalda *disp.* 3. *sect.* 1. non alia ratione Bajus dona primæ integritatis voluit esse gratiam appellanda, nisi *quia ipsa creatio est gratiosa*, *& adjutorium non est debitum ante voluntatem creandi*, *sed post illum*; *quemadmodum est gratia homini vivere*, *sentire*, *& intelligere*. Et quidem Bajus in libro *de primi hominis justitia pag.* 55. nititur ostendere integritatem primi hominis fuisse *naturalem*, quoniam ad naturam illam pertinebat adhærere Deo, *sicut ad naturam oculorum pertinet visus*, & *ad naturam aurium pertinet auditus*; nunc autem illius integritatis privationem esse vitium naturæ, *sicut vitium oculorum dicitur cæcitas*, & *vitium aurium dicitur surditas*. Pagina insuper 55. ait pœnas, quas modo patimur pro peccato primæ transgressionis, non consistere *in ablatione doni supernaturalis*, *sed in privatione bonorum naturalium*: & profert exemplum serpentis, qui supra pectus suum graditur, ac terræ, quæ surculos degeneres parit, fructusque producit acerbos. Immo ait eos ineptire, qui sentiunt primum hominem fuisse exaltatum dono aliquo supernaturali, ut Deum coleret fide, spe, & caritate, quemadmodum absurde sentiret, quisquis arbitraretur etiam serpentem *supernaturali dono* indiguisse, ut graderetur erectus, & terram pariter dono supernaturali indiguisse, ut fructus produceret sine laboris molestia. *Nisi quis forte*, inquit, *tam absurde sentiat*, *ut putet statim initio creationis rerum*, *non tantum hominem dono quodam supernaturali & gratui-*

(1) Propositio 21. (2) Prop. 26. (3) Prop. 55. 53. (4) Prop. 78. 75. (5) Prop. 69. (6) Prop. 35. (7) Prop. 70.

gratuito, supra naturæ suæ conditionem fuisse exaltatum (*a*), *ut fide, spe, & caritate Deum supernaturaliter coleret; sed etiam serpentem, ut sublime erectus pedibus insistens graderetur* (*ut ait S. Basilius in homilia de Paradiso tom.* 1.) *& terram, ut sine laboris molestia sua fecunditate fruges humano victui necessarias ultro produceret*. Vide præcitatam diss. 2. *cap.* 1. §. 3. Cum ergo Bajus dogmatizaverit, ita pertinuisse ad naturam integram adhærere Deo, & illum colere, ut ad naturam oculorum pertinet visus, & ad naturam aurium auditus, si nulla oculis auribusque insit ægritudo; fuisse autem dixerit *naturalem* primi hominis proprietatem, fide, spe & caritate Deum colere, absque dono aliquo *supernaturali*, quemadmodum ante maledictionem serpens naturali virtute gradiebatur erectus, ac terra naturali item virtute sine spinis, tribulisque germinabat herbam virentem, & fruges proferebat victui necessarias humano: recte sapienterque docuit Eminentissimus Bellarminus, putasse Bajum rectitudinem Adæ fuisse ei *naturalem, ut naturalis est sanitas debita naturæ, & apta nasci ex ipsa natura bene constituta*; recte sapienterque docuit Ripalda, non alia ratione Bajum inter gratiarum dona computasse integritatem illam, ac rectitudinem, nisi ratione illa, qua gratia dicitur *ipsa creatio*, & gratiæ beneficium est, non redditum præcedentibus meritis, *vivere, sentire, atque intelligere*. Quomodo ergo negantibus status *naturæ puræ* possibilitatem objicitur propositio illa Baji 26. quando ipsi negant esse possibile quod Bajus *terrestris Paradisi Pelagius* nullum supernaturale donum in prima integritate cognoscens, propugnabat de facto, & creaturam rationalem supernaturalibus donis exaltatam, in puris naturalibus constitutam fuisse asserebat? quando juxta Bajum *naturalis* erat integritas primi hominis, ut oculorum naturalis est visus, ut aurium naturalis est auditus, ut serpentis, antequam deciperet Adam, naturale erat gradi erectis pedibus, ut terræ erat naturale fruges producere absque molestia laboris? Quomodo insuper Augustinenses Theologi hæc reponentes objicientibus sibi articulos Baji, huic errores ab ejus mente alienos imponunt? quomodo illi *chimericum* sensum affingunt? quomodo ipsi ad eludendas solemnes Ecclesiæ censuras fucum faciunt, verbisque ludunt? quomodo impingunt in damnatos articulos? quomodo id potuit tam confidenter asserere Archiepiscopus?

Propositionem 53. *Deus non potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, dixi supra cum Estio, & Gonet, fuisse damnatam, quatenus comprehendit *gratiam sanctificantem*. Cardinalis Norisius in *Vindiciis cap.* 3. §. 2., docet putasse Bajum subjectionem concupiscentiæ non fuisse *ex dono Creatoris, sed ex exigentia naturali humanæ substantiæ, tamquam hujus proprietatem*: quod utique constat ex nuper dictis. Addit alias responsiones, quas vide eodem §. 2. vel tom. 1. *Vindiciarum mearum pag.* 174. Certissimum est autem illam Baji propositionem non esse in omni sui amplitudine condemnatam: nam nunc homo nascitur cum originali peccato, cum quo potuisse Adamum creari a Deo, aures cunctorum fidelium horrent audire. Neque cum illa perduelli concupiscentia, cum qua modo nascimur, potuit creari a Deo primus homo, sententia saltem complurium Theologorum, quos recensuit *cit. dissert.* 2. *cap.* 1. §. 7. Enimvero eandem concupiscentiam esse malam, decem invictissimis argumentis ostendit *lib.* 6. *de amissione gratiæ cap.* 14. Venerabilis Bellarminus. *Malam* vero dicit Eminentissimus Scriptor, non indifferentem, & ad instar ensis, quo uti bene ac male possimus; quis enim bene utitur vitiosa qualitate, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat? quis indifferentem dixerit legem membrorum repugnantem legi, quæ in mente est? Sed hæc alibi. Sufficit enim modo adnotasse, articulum Baji quinquagesimum tertium fuisse proscriptum, quoniam revera Deus potuisset creare primum hominem *sine gratia sanctificante*, neque hæc fuit primæ conditionis, & naturæ integræ passio, aut proprietas, ex ipsa natura bene constituta promanans.

Eadem de immortalitate, ac de integritate, in qua conditus fuit primus homo, tradidit Bajus, affirmans immortalitatem illam fuisse *naturalem conditionem*, non beneficium gratiæ. Etenim immortalitas in illa integritate comprehenditur; & mors, & aliæ, quibus nunc subjicimur, calamitates, nihil sunt, juxta Bajum, *nisi naturalium privatio bonorum*, ut cæcitas, surditas, & ægritudines reliquæ; cum visus, auditus, sanitas, immortalitas nihil sint aliud, *quam primarum proportio qualitatum*. Ita enim Bajus libro *de primi hominis justitia cap.* 6. *pag.* 58. & in sua *Apologia pag.* 92. Perperam ergo S. P. Augustini discipulis objicitur propositio Baji 75. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*. Illi enim affirmant non potuisse hominem innocentem creari obnoxium morti; non quod immortalitas esset ejusdem primi hominis *naturalis conditio*, atque ex principiis naturæ integræ sine gratiæ beneficio promanaret; sed quia Conditor aptans materiæ, quæ natura sua dissolubilis est, & corpori ex contrariis elementis comparato conjungens immortalem atque incorruptibilem animam, eidem corpori, licet animali, licet conditione naturæ suæ corruptibili, impertiri debebat incorruptionem & immortalitatem, ne ipsa anima ideo producta, ut corporis natura sua corruptibilis sit *forma*, eodem corpore macie soluto, a sua divelleretur materia; atque in statu violento, & repugnante ei substantiali hominis parti, quam Philosophi *formam* vocitant, sola, & absque subjecto, vel absque comparte sua permaneret. *Justum enim erat, ut imago Dei nullo fuscata & obsoleta peccato, tali insereretur corpori, quamvis de terrena materia creato, atque formato, ut ei de ligno vitæ subministrata vivendi stabilitas permaneret; ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo necessitas separaret; atque inde propter obedientiam custoditam ad vivificantem spiritum perveniret; ita ut non ei subtraheretur hæc vita minor, ubi & mori, & non mori posset, sed illa amplior adderetur, ubi viveret sine ullius ligni beneficio, morique non posset*. Hæc verba non sunt F. Berti fucum facientis, ut solemnes eludat censuras; sed sunt Augustini *lib.* 6. *operis imperf.* contra Julianum *num.* 39. At legenda est nostra *de immunitate a morte* dissertatio in *Vindiciis* Augustiniani systematis *tom.* 1. *pag.* 314.

Propositio Baji 69. perperam ad status puræ naturæ possibilitatem adstruendam profertur. Ea ita sonat: *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt*. Hæc de justis hujus status, in quo Job, ac martyres extiterunt, evidentissime pronunciatur. In hoc autem statu, providentia illius Dei, qui etiam de malis potest bona facere, remanet mors inflicta peccato primi parentis, quam Deus prædestinatione sua præordinat ad gloriam martyrum, & ad electorum salutem, atque liberationem a terreno carcere, & a corpore mortis hujus: remanet lacertosa concupiscentia ad agonem, ut in infirmitatibus nostris magis elucescat gratia Christi, quæ tribuit nobis pugnandi vincendique virtutem; ac remanent mortalis vitæ incommoda & afflictiones, quibus justorum exercetur patientia, augetur meritum, & momentaneum hoc, & leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur. Ex his quomodo infertur, posse condi rationalem creaturam morti addictam, lacessitam concupiscentiæ pugna, atque sine culpa miserrimam? Ex quo Deus misericors converterit in electorum suorum emolumentum damna illata humano generi propter prævaricationem Adæ, quomodo infertur potuisse Deum justum hæc ipsa damna inferre creaturæ rationali ad imaginem suam conditæ, nulla præeunte prævaricatione parentis? Plura de hac 69. Baji, & de 70. propositione Quesnelli dicta a me sunt dissert. 2. Vindic. cap. 1. §. 9. pag. 229. & seq. quæ fortassis perlegere non erit ingenuo lectori injucundum.

Restat itaque adversariis nostris unicum duntaxat, infirmumque præsidium in propositione 34. Quesnelli, *Gratia Adami non producebat nisi merita humana*, & in propositione 35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ*. Sed præcit. dissert. 2. §. 4. *pag.* 190. *& seqq.* demonstratum est, ideo istas Quesnelli propositiones fuisse proscriptas, quoniam gratiam collatam Adamo, *gratiam* vocant *improprio & Pelagiano sensu*, non gratiam *naturæ ordinem excedentem*: quoniam, *ut natura gratis condita est, ita quidquid eam sequitur*, licet fluat *a principio naturæ*, Quesnellus *gratiam* appellari non prohibet: quoniam idem Quesnellus inquit, *Gratia Adami erat sequela creationis, idest naturalis, non superaddita naturæ ac superans naturæ ordinem*: quoniam ajebat, tam *naturale* fuisse in Adamo credere Deo, & diligere Deum, quam *naturale est, quod oculi lumen recipiunt*: quoniam asserebat in homine primo nullam fuisse gratiam, *nisi naturalem, a conditione naturæ inseparabilem, naturæ proportionatam, ac meritorum duntaxat naturalem effectricem*: quoniam nolebat fuisse *auxilium supernaturale* adjutorium illud, *sine quo Adam perseverare non poterat*, ut ait Augustinus *de corrept. & gratia cap.* 11. Sunt ne hæ Augustinensium Fratrum chimeræ? Sunt ne artificia, fraudesque ad censuras evitandas confictæ? Minime gentium. Sunt enim verba *instructionis Pastoralis* Episcoporum Galliæ *pag.* 41. sunt verba Jacobi Fontanæ in *Constitutione* Unigenitus *propugnata* tomo 1. *pag.* 747. *& seqq.* sunt verba aliorum, qui de sensu propositionum Quesnelli pertractaverunt, & de quibus plura in præcitato §. 4.

ARCHIEPISCOPUS.

III. *Ecclesiæ visum est, illum contra gratitudinem peccare, qui agnoscere renuit immortalitatem, gratiam sanctificantem, destinationem ad beatitudinem æternam fuisse in Adamo munera Dei gratuita, quæ naturæ humanæ pro suo in creaturas dominio denegare potuisset. Ideo illæ propositiones labe ingratitudinis infectæ, & quæ Omnipotentiæ divinæ metas ponunt, damnatæ fuerunt. Unde Catholici Doctores*

(*a*) Constat hinc fuisse depromptum articulum 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Caritate Deum supernaturaliter coleret.*

ctores concluſerunt; Naturæ puræ, *ut ajunt*, poſſibilitatem.

F. J. LAURENTIUS.

Numquam Eccleſia damnavit ſententiam illorum Theologorum, qui ita propugnant ſtatus naturæ puræ impoſſibilitatem, ut fateantur integritatem primi hominis, & dona gratiarum Angelis, & Adamo collata, immunitatem a morte, atque ſubjectionem concupiſcentiæ, non derivaſſe ex principiis naturæ, ſed ex beneficentiſſima Conditoris liberalitate; neque ad naturalem ordinem, ſed ad ſupernaturalem credunt eadem dona ſpectaſſe: tametſi arbitrantur juſtum fuiſſe, ut Imagini Dei nullo obſcuſcatæ peccato ſubminiſtraretur in corpore de terrena materia formato vivendi ſtabilitas; & animæ naturali inſtinctu tendenti in illam beatitudinem, ad quam ſolius naturæ viribus pervenire non poterat, conferenda forent media neceſſaria ad ipſam beatitudinem conſequendam, ne Imago Dei innocens, & ſine culpa, defraudata deſiderio ſuo puniretur. Si hæc ſententia fuiſſet damnata ab Eccleſia; proculdubio damnata fuiſſet in propoſitionibus Baji: ſed iiſdem propoſitionibus e diametro oppoſitam eſſe, demonſtratum eſt nuper. Et quidem doctiſſimus Thomiſta Gonet, quamvis impoſſibilitati ſtatus puræ naturæ acerrime adverſatur, affirmat tamen in Bulla Pii V. non fuiſſe proſcriptam: ac idem aſſerit, quantum ad concupiſcentiam, Guilelmus Eſtius. Ubi vero id Gonet, & Eſtius doceant, indicavi ſuperius; conſulantque, ſi lubet, loca adverſarii. Franciſcus item Macedo tom. 2. collationum in 2. ſent. collat. 8. diff. 1. ſect. 1., quamquam prædictæ Auguſtinianæ ſententiæ non adhæret, docet nihilominus falſo illi notam inuri ductam a Bulla Pii V. & Gregorii XIII. ut proſcripta exiſtimetur in Michaele *Bajo*: iisdemque productis rationibus, quæ a noſtratibus afferuntur, *Itaque*, ait, *inoffenſo pede licebit huic opinioni deinceps in Theologico pulvere currere, nec turpari*.

Sententiam ſuperius expoſitam propugnantes nequaquam laborant ingrati erga Creatorem ſuum animi vitio, neque illius aut omnipotentiæ, aut ſapientiæ, aut providentiæ fines præfigunt; neque demum extenuant gratiam, neque juſtitiam evertunt. Docent enim Deum univerſorum conditorem præter res corporeas, ac ſpirituales, creaſſe hominem ex utraque ſubſtantia, corporea, & ſpirituali compoſitum: huic ingeneraſſe imaginem ipſius; in eo facultates, quæ in terrenis animantibus, & in cæleſtibus ſpiritibus diſtribuerat, mirabili nexu conjunxiſſe; dediſſe operam, ut in illo utriuſque naturæ proprietates, ſimulque dona ſpiritualia eluceſcerent: quod eſt ſummi opificii, & omnipotentiæ Creatoris præclariſſimum argumentum. Quiſquis id recogitat, quomodo Creatoris ſui poterit obliviſci? Abſit vero, ut omnipotentiæ ſupremi Artificis cenſeatur metas præſcribere, qui & noſcit, & profitetur potuiſſe Deum Optimum Maximum non condere creaturam illam rationalem, quam condidit: ei immortalem animum non inſerere, quem inſeruit: imaginem ſui non imprimere, quam impreſſit; atque non inſpirare Auctoris ſui cognitionem, quam inſpiravit.

Poſteaquam vero talem creaturam ad imaginem ſuam Deus creare decreverat; juſtum ne erat, ut illa ex his, quæ facta ſunt, ad inviſibilia animum non erigeret, erigendo ad perfectiorem cognitionem non adſpiraret, adſpirando videndi Conditorem ſuum deſiderio non arderet, ardendo illum ſuper omnia non diligeret? diligendo aſſequi nequaquam poſſet? Quoniam ergo ad tantam felicitatem ſolius naturæ viribus pervenire non valebat inditum creaturæ rationali deſiderium, adjuvandum erat auxilio divinæ gratiæ, quod dici nequit naturalis conditio, cum ſupra naturæ ordinem ipſam creaturam eveheret, eamque capacem redderet conſequendi beatitudinem illam, quæ tam amabilis eſt, ut creaturæ gerentis imaginem Dei attrahat naturalem inclinationem; tam ſublimis ut nullo ſolius creaturæ conatu poſſit attingi. Prævaricante autem Adam, mors corporis, & gratiæ privatio factæ ſunt pœna peccati; & ideo apparet in creatione hominis virtus omnipotentiæ, in ejus integritate amplitudo gratiarum, in prævaricatione æquitas juſtitiæ, in Chriſti demum redemptione potentior gratia, & futuræ vitæ perennitas. Atque hæc eſt noſtratium doctrina: in qua vides, opinor, Dei poteſtatem, vides creaturæ rationalis admirabilem conditionem, vides magnitudinem divinorum beneficiorum, vides juſtitiam punientis, vides redimentis miſericordiam maximam, & incomprehenſibilem caritatem.

Permultos eſſe Theologos Orthodoxos, qui arbitrantur ex damnatione articulorum Baji conſequi naturæ, ut inquiunt, puræ poſſibilitatem, nemo noſtrum ignorat: ſed omnes Catholicos idem ſentire, falſum eſt penitus, nimiaque confidentia pronuntiat Archiepiſcopus proſcriptam in Bajo ſententiam, quæ in utramque partem, ſalva fide, controvertitur. Principio enim quod nos defendimus, non cohærere damnatis articulis, docent, ut ſupra vidimus, Gonet, Eſtius, & Macedo. Deinde Bajus ſtatum naturæ puræ, non impoſſibilem eſſe, ſed actu in homine integro exiſtentem aſſeruit; quoniam putavit eumdem hominem nullo dono ſupernaturali in conſortium divinæ naturæ fuiſſe exaltatum, & potuiſſe viribus ſolius naturæ ad ſupernam beatitudinem pervenire, quam & finem ipſius hominis integri naturalem, non ſupernaturalem eſſe autumabat. Quod & Vaſquez tradit 1. 2. diſp. 195. cap. 4. num. 30. qui de Baji doctrina a Franciſco S. R. E. Cardinali Toleto pleniſſime fuit inſtructus, & confirmant alii Societatis Jeſu Theologi ſuperius laudati. Conſentire autem dogmatizanti hominem primum fuiſſe in puris naturalibus conditum, noſtrates qui docent neque ita fuiſſe conditum, neque ita condi potuiſſe, quis ſanæ mentis aſſeverabit? Præterea Summus Pontifex Clemens XI., ille idem Pontifex, qui adverſus propoſitiones Queſnelli anno 1713. edidit celeberrimam Conſtitutionem *Unigenitus*, in altera, quæ incipit, *Paſtoralis*, anno 1718. declaravit non eſſe priori Conſtitutione proſcriptas ſententias illas, ac doctrinas, quas nonnulli cum erroribus damnatis confundunt, & quæ palam & libere in Catholicis Scholis defenduntur; cujus generis eſſe ſententiam noſtram exploratiſſimum eſt univerſis; nam illam ſemper, & ubique tradiderunt Majores noſtri, ii etiam qui de Ægidii nomine nuncupantur, ut conſtat ex volumine 4. Scholæ Ægidianæ pag. 364. Præterea oblatis Alexandro VIII. theſibus quamplurimis, quæ collectoribus videbantur configendæ, in libello inſcripto, *Specimen doctrinæ per Belgium manantis*, decreto ejusdem Pontificis anno 1690. quæ poſt maturum examen judicatæ fuerunt erroneæ, Apoſtolica cenſura diſpunctæ ſunt; nulla tamen inuſta fuit cenſoria nota, vel anathemate hæc propoſitio, *Status puræ naturæ eſt impoſſibilis*; quæ tamen delata fuit tamquam conſona Bajanis articulis, 1. p. ejusdem *ſpecimenis* cap. 7. §. 3. Inſuper eadem propoſitio non reperitur inter Janſenianas ab Eccleſia damnatas, quamvis Janſenius adverſus ſtatum puræ naturæ integrum librum conſcripſerit: unde Macedo præcitata collat. 8. inquit: *Hæc eadem ſententia fuit Janſenii*, qui *eam toto tertio libro confirmavit*; nec, tametſi ejus doctrina ſerio, ac ſevere examinaretur, ea proſcripta fuit cum aliis quinque propoſitionibus damnatis per Conſtitutionem Innocentii X. quod idoneum argumentum eſt ejus *indemnitatis*. Adde; Romæ in ſtatera appenſis, poſt accuſationes quas innovat Præſul Senonenſis, meis, & Fulgentii Bellelli libris, Theologi in Urbe clariſſimi, quique inter purpuratos Patres ob ſapientiam plurimum commendantur, non ſolum accuſationes illas declararunt injuſtas; ſed etiam in mei defenſionem, pro qua re gratias eis ago immortales, ſtrinxerunt calamum, & apologetica ſcripta Beatiſſimo Pontifici Benedicto XIV. obtulerunt. Ulterius ſententiæ, quæ ſtatum puræ naturæ impoſſibilem cenſet, defenſores acerrimi ſunt complures Theologi præſtantiſſimi, quos commemoravi in Vindiciis diſſert. 2. cap. 1. pag. 207. & 234. Denique traditur eadem ſententia a Seraphico Doctore S. Bonaventura; cujus in Breviloq. 3. p. cap. 10. hæc ſunt verba: *Cum enim primum principium ſimul ſit optimum, & juſtiſſimum; quia optimum, non debuit facere hominem, niſi bonum, ac per hoc innocentem & rectum; quod vero juſtiſſimum, non debuit infligere pœnam ei, qui nullum omnino habebat peccatum, ac per hoc illi animæ rationali tale corpus conſtituit, quod ſibi eſſet ita obtemperans, ut nulla eſſet in eo pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis*. Quam doctrinam Doctor Seraphicus didicit ab Auguſtino *lib. 6. Op. imperf.* contra Julianum num. 39. ut vidimus paullo ſuperius num. 2. §. *Eadem de immortalitate, &c.*

ARCHIEPISCOPUS.

IV. *Damnatam doctrinam inſtaurare non verentur ambo illi Theologi. Ac primo immortalitatem, & immunitatem a pœnis hujus vitæ debitam Adamo innocenti docet aperte F. Bellelli*: Nunquam, *inquit* (1), ſub Deo juſto creatura rationalis miſera eſse poteſt, ſi non peccet, & culpa ſua miſeriam, tamquam pœnam, mereatur. *F. Beati theſim eamdem pro probabili dare tentat* (2): Suppoſita Divina providentia, & ſuperiore hominis parte, in qua divina relucet imago, magna ſaltem probabilitate concluditur, non potuiſse creaturam rationalem ſine culpa ſubjici morti, ceteriſque animi, corporiſque miſeriis. *Quaſi probabilitas inesse poſſit propoſitioni adeo clare damnatæ in 69. Baji, & in 70. Queſnelli*.

F. J. LAURENTIUS.

Articuli hujus initio ſcripſi nullum ex libris meis de Theologicis diſciplinis teſtimonium potuiſse Languetium producere, quo evinceret propugnatam a me fuiſse impoſſibilitatem ſtatus puræ naturæ. Et revera verbis meis, quæ tandem exſcripſit, fatetur me tentare, ut hanc theſim,

(1) De St. Cr. rat. ante pec. l. 3. cap. 8. (2) T. 2. p. 565.

sim, *Numquam sub Deo justo creatura rationalis misera esse potest, si non peccet, & culpa sua miseriam, tamquam pœnam mereatur*, a me tamquam probabilem dari, ideoque posse juxta opinionem meam inesse probabilitatem propositioni adeo clare damnatæ in 69. Baji, & 70. Quesnellii. Atqui nullam inter istas, ac præcedentem propositionem intercedere affinitatem ostendi hoc eodem articulo num. 2. Affirmasset saltem Languetius me eodem in loco tradidisse, quod primus homo condi poterat *absque caritate habituali, sive gratia sanctificante, & sine supernaturalium virtutum habitibus:* quod gratia actualis non fuit Adæ debita, neque hanc primus homo exigebat, *ut in se absolute, & in genere speciei suæ præditus esset naturali qualibet perfectione;* sed oportuisse nihilominus, ut supernaturali divinorum auxiliorum fulcimento ornaretur, si consideretur *ut est imago Dei*, debebatque *ultimo fini inhærere*: quod adhibui eademmet verba S. P. Augustini *lib. 4. contra Julianum cap. 3. num.* 15. & S. Thomæ *in 2. dist. 3. q. 2. artic.* 1. necnon in 4. *contra Gentiles cap.* 5. aliaque plura, quibus inter oppositas sententias medius incedens nihil protuli vel ab Augustino, vel ab Angelico Doctore, vel a Theologis orthodoxis non traditum, non probatum.

Magnopere autem mirandum est, Præsulem supra speculam positum, ut venientem gladium a longe prospiceret, non vidisse illam ipsam propositionem, *Sub Deo justo creatura rationalis nunquam misera esse potest, nisi mereatur*, esse S. P. Augustini, eaque impugnari Pelagianos negantes mortem, ceterasque miserias, quibus subjicimur, esse pœnam originalis peccati. Ita est: S. Augustinus non solum contra Pelagianos pugnavit sacris litteris, & Patrum auctoritate, verum etiam argumentationibus inde petitis, quod sub justo Deo creatura rationalis, non præcedente peccato, subjici non debuit morti, & lacertosæ concupiscentiæ; quod Languetius affirmans fuisse proscriptum in prop. 69. Baji, & in 70. Quesnelli, pace sua dictum sit, incredibili temeritate asserit, proscriptam esse S. Augustini doctrinam, ejusque adversus Pelagianos argumenta esse damnata dogmata Bajanistarum. In hunc scopulum impellit adversarios nostros zelus immoderatus, imprudens censura, fluctuumque præjudiciorum suorum procella. Et quidem etsi propositionem illam, quam in Bajo, & in Quesnellio damnatam affirmat Senonum Præsul, conceptis verbis esse Augustini, itidemque Augustini esse argumenta, quibus status naturæ puræ a nostratibus impugnatur, demonstraverim in Vindiciis diss. 2., ostendam modo ex Joanne Garnerio, Jesuita clarissimo, & de Pelagianorum Historia optime merito: cujus nunc, quoniam & supra hujus viri mentionem feci, exscribens verba fidem meam liberabo.

„ Alterum invenit Augustinus (ita Garnerius dissert. 7. de ortu, & incremento hæresis Pelagianæ cap. 4. §. 3. in Appendice Augustiniana pag. 295.) „ Alterum invenit Augustinus, quod opinor, Mercatorem, *Hypognosten*, & „ auctorem librorum de vocatione gentium docuit; quod- „ que hausit ex capite 40. Ecclesiastici dicentis impositum „ esse *jugum grave super filios Adam a die exitus de ven- „ tre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem o- „ mnium*, in parvulis exponens: *languescunt*, ait epist. „ 28. *ægritudinibus, torquentur doloribus, fame, & siti „ cruciantur, debilitantur membris, privantur sensibus, in- „ festantur a Dæmonibus, &c. quomodo ista sine ulla sua „ mala caussa juste patiuntur?* Et alio in loc. oper. im- „ perf. lib. 1. *Si tibi placet innocentia parvulorum, remove „ ab eis, si potes, grave jugum quod est super filios Adam „ a die exitus de ventre matris eorum; sed puto quod Scri- „ ptura, quæ hoc dixit, melius te noverat quid esset inno- „ centia creaturæ, & quid justitia Creatoris: quis autem „ non videat, si habent parvuli qualem prædicas innocen- „ tiam, in gravi jugo eorum Dei non esse justitiam? Porro „ quia in jugo gravi eorum divina justitia est, non est in „ eis talis, qualem prædicas, innocentia, nisi forte tibi in „ hac quæstione laboranti Deus justus quidem, sed infirmus, „ quodammodo subvenire poterit, qui suis imaginibus, ne in- „ nocentes gravi jugo miseriæ premerentur, subvenire non po- „ tuit, ut eum dicas voluisse quidem, quia justus est, sed „ non potuisse, quia omnipotens non est: atque ita de iis „ angustiis exeas, ut fidei caput perdas, qua fide primi- „ tus in symbolo confitemur credere nos in Deum Patrem „ Omnipotentem. Deus igitur tuus, in tot, & tantis „ malis, quæ parvuli patiuntur, aut justitiam, aut „ omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum „ perditurus est; quodlibet autem istorum dixeris, vide quid „ egeris.*

„ Tota vis argumenti in hoc uno principio vertitur, „ quod injustum sit, parvulos ejusmodi miseriis conflictari, „ sin minus aliquid est in ipsis, quod Deo displiceat, at- „ que vindicetur: ætas enim ista, cum per se sit innocens „ opus Dei, aliunde vitium habere non potest, quam unde „ aliud contrarium Deo existit, ex malæ nimirum volun- „ tatis peccato, quod unum, cum a Deo non sit, contra- „ rium Deo est; id vero quia per ætatem in parvulis re- „ periri non potest, oportet a parente totius generis in parvu- „ los transivisse. „ Hæc Garnerius demonstrans Augustinum probare contra Julianum, ceterosque Pelagianos transfundi in Adæ posteros originale peccatum, quoniam Deus foret injustus, si parvulos nullo peccato obstrictos premi sineret ægritudinibus, aliisque hujus vitæ miseriis. Qua ergo arrogantia id in Bajo, & in Quesnellio damnatum, pronuntiare potuit Languetius? De miseriis autem adultorum, ita eadem pagina 295. Jesuita Garnerius:

„ Huic argumento affine est alterum, quod ex parte „ majorum sumitur. Suas enim ipsi patiuntur miserias, non „ communes tantum cum infantibus, sed proprias longe „ plures, quas graphice Augustinus depingit libro 22. de „ Civitate Dei. *Omnium*, inquit cap. 22., *mortalium pro- „ geniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda „ est, tot, & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud „ indicat profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exi- „ stit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu fusci- „ pit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore „ non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum, atque „ noxiarum, &c.* Paullo post: *Verum hæc hominum sunt ma- „ lorum, ab illa tamen erroris, & perversis amori radice „ venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur, &c.* Tum „ capite consequente: *Præter hæc mala hujus vitæ bo- „ nis, malisque communia, habent in ea justi etiam pro- „ prios quosdam labores suos, quibus adversus vitia mili- „ tant, & in talium prælioruin tentationibus, periculisque ver- „ santur. Aliquando enim concitatius, aliquando remissius, „ non tamen desinit caro concupiscere adversus spiritum, & „ spiritus adversus carnem, &c.*

„ Manifestum inde est miserias majorum proprias ad „ duo capita revocari: aliæ siquidem animum, ut concu- „ piscentia, ignorantia recti, & difficultas boni; aliæ „ corpus, ut mortalitas, morbi, laboriosa terræ cultio, diffi- „ cilis parturitio feminarum, &c. spectant: *Oportet vero „* (August. lib. 4. contra Julian. cap. 16., & lib. 1. oper. „ imperf. c. 40.) *ut horum malorum caussa sit aut iniquitas, „ vel impotentia Dei, aut pœna primi, veterisque peccati.* (a) „ NEQUE ENIM SUB DEO JUSTO MISER ESSE QUISQUAM, „ NISI MEREATUR, POTEST.

„ Ex priore parte, mali scilicet animæ, primus omnium, „ quod sciam, Augustinus argumentum duxit; nam ex „ altera duxerant jam inde a primis temporibus veteres „ fidei defensores, quibus tacite respondens Rufinus: *Di- „ cimus*, inquit in libello fidei cap. 6. n. 35., *quod in bo- „ num Deus præstitit primo homini Adam sudores pariter, „ ac labores, quos de terra pateretur; quippe cum non ali- „ ter invisibiles inimicos, contra quos habemus continuam „ luctationem, veneranda fide superare possimus, nisi cor- „ poris laboribus fatigati, &c.* Id vero pluribus disputat, „ allatis utriusque testamenti locis, & eo quidem pro- „ babilius in speciem, quod antiqui Genesis Interpre- „ tes, ut Chrysostomus, Ambrosius, &c. de laboribus „ proinde ac de morte scripserint, collatis nempe „ hominibus a Deo beneficii potius, quam supplicii „ loco.

„ Augustinus hoc in loco magnum caussæ suæ præsi- „ dium posuit, quasi vitiatam hominum naturam aperte „ monstret id omne, quod contrarium felici primorum pa- „ rentum statui patimur: ita vero ratiocinatus videtur. „ Informatur primum animo ideam perfectæ cujusdam vitæ, „ quam ageret in jucundissima sede innocens homo, cu- „ jus suprema pars animæ Deo, inferior superiori, utrique „ corpus subesset, cui natura quælibet rationis expers do- „ minanti, atque ipsa etiam tellus colenti, ad nutum pa- „ reret. Deinde hominem ita institui debuisse, confecit par- „ tim ex eo, quod opus infiniti Artificis deceat esse dignum „ auctore, atque ita omni ex parte absolutum: Partim, quod „ imago Dei debeat exemplari suo respondere, idest, pul- „ cherrima creatura optimo Creatori, suique, & inferioris „ naturæ domina omnium Domino. Cum tamen cerneret, „ longe diversam esse nunc hominum, quam olim Adami „ conditionem, pro felicitate miseriam, pro subjectione re- „ bellionem, pro vita perenni mortalitatem, pro perfectione „ vitium irrepsisse; conclusit aliquo totam hominum gentem „ peccato teneri: certum enim credebat, in opus Dei vi- „ tium irrepere non potuisse, nisi humanæ voluntatis pec- „ cato aperiente viam, idest, spontanea hominis a Deo „ aversione. Nam qui, ajebat, aliunde posset Omnipo- „ tens cogi, opus suum deserere, ut alter potentior invidens- „ que noceret, aut quomodo, si non cogeretur, vel bonus „ repeteret collata beneficia, nisi ab indigno; vel justus „ privaret bonis jam concessis hominem, (quod profecto „ punire est) nisi demeritum; vel amantissimus hominum „ imponeret *grave jugum super filios Adam a die exitus „ de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturæ in matrem „ omnium*, nisi communis culpæ reos? Aliquam igitur o- „ portet esse culpam, eamque communem omnium, quam „ voluntate commiserit totius generis auctor, tunc cum „ omnes essent unus ille homo; quamque posteri contra- „ hant, cum ex carne peccatrice, idest, propter peccatum

(a) Nota propositionem, quam Archiepiscopus Senonensis ait in Bajo, & Quesnellio fuisse damnatam, esse Augustini.

„ tum spoliata donis, procreantur; luantque in loco „ miseriæ, exclusi a loco innocentis felicitatis.

„ Suum istud ratiocinium tanti fecit Augustinus, ut „ Pelagianos, cum ea quæ patimur jactarent esse primor- „ dia naturæ, minus refellat, quam rideat, velut absurdi- „ tatis fatuitate majoris, convictos; atque Paradisum, ubi „ creatus Adam est, pingendum a Pelagianis dicat, lib. 3. „ op. imperf. cap. 163. & 109. *Tamquam magnæ beatitu-* „ *dinis locum, in quo habitatores ita beata pace fruerentur,* „ *ut in seipsis intestino bello, ne in consensum illiciti, vel* „ *inhonesti concubitus laberentur, contra motus concupiscen-* „ *tiæ dimicarent. Ubi, etsi ipsa concupiscentia occultis moti-* „ *bus corda casta solicitans, non posset ulla exprimi arte pi-* „ *ctoris; pingi tamen possent gravidæ feminæ, cibos utiles* „ *fastidio repellentes, fœda delectatione noxios appetentes;* „ *nauseantes, vomentes, pallentes, immaturos fœtus abortu-* „ *aliquando fundentes, in ipso etiam partu, pœna, quam* „ *mater Eva suscepit, miseriam suam protestantes, etsi non* „ *sonante pictura, tamen facies tristium, gementium, plo-* „ *rantium, sicut poterat, imitante, &c.* Pergit vero: *Hanc* „ *picturam nesciens quisquis aspiceret, & titulum legeret,* „ *caussasque requireret, hæc ei videlicet, sed a vobis, egre-* „ *gia ratio redderetur, qua diceretis:* Talis esset omnino „ etiam ibi conditio generis humani, quia talis est hic, ubi „ scilicet a fœtibus hominum nulla trahitur origo peccati. „ *Si acquiesceret, fieret Pelagianus: si vero irrite huic in-* „ *sipientiæ acquiescere nollet, argueretur a vobis ut Mani-* „ *chæus, &c.* Hactenus Jo. Garnerius asserens, ac demonstrans argumenta, quibus Augustinus evicit peccati transfusionem originalis ex animi corporisque miseriis, quas nunc patimur, inniti huic principio, quod eædem miseriæ sub Deo omnipotente ac justo, nequeant aliunde provenire, quam a prævaricatione primi parentis. *Ridendi* sunt ergo potius, *quam refellendi*, qui ajunt potuisse fieri, ut in creatura rationali condita ad imaginem Dei essent *primordia naturæ;* magisque his adlaborandum, ut ostendant hæc non esse deliramenta Pelagianorum, quam nobis insudandum, ut S. Patris nostramque sententiam demonstremus oppositam damnatis Baji, & Quesnellii propositionibus.

ARCHIEPISCOPUS.

V. *Hic supersedere animus est, non quod deficiant alia in utroque Theologo juste carpenda, & improbanda, sed brevitati studere cogimur, cum ea, quæ protulimus, abunde sufficiant, ut sanæ doctrinæ amatores intelligant illam sub ementito zelo pro Apostolicis constitutionibus sæpius ab utroque Theologo pessundari; falsas doctrinas Baji, Jansenii, & Quesnelli renovari ab iis ipsis, qui illas infectari ardenter se simulant; denique doctrinam, quam dicunt Catholicam, ab illis ita exponi, ut quilibet horum trium Novatorum discipulus illam ultro amplecti possit absque eo, quod errores in illorum libris damnatos ejuret, & deferat.*

F. J. LAURENTIUS.

Senonensis igitur Præsul, ubi existimavit nos damnatorum dogmatum evidenter esse convictos, ab aliis nostris assertionibus exagitandis abstinendum sibi esse, ac supersedendum putavit, ac manum e tabula amovit. Innuit tamen alia non deesse in libris nostris carpenda, & jure meritoque improbanda; sed necessum non esse, ut productis nulla ratione excusandis reliqua adjiciantur. Certum est autem nil prorsus vel ab ipso, vel ab Archiepiscopo Viennensi contra nos fuisse vulgatum, quod in MS. quodam anonymo, cui titulus, *Remarques sur la Theologie du Pere Berthi de Rome imprimé a Rome sous le dernier Pontificat*, & in altero MS. ejusdem tituli adversus libros P. Bellelli non comprehendatur: quæ utique MSS. antequam accusationes Domini de Saleon suppresso auctoris nomine transmitterentur ad Urbem, oblata Benedicto XIV. Pontifici Maximo, eumdem impulerunt, ut opera a nobis edita rigidissimo rursus subjicerentur examini, commissa præ aliis Censura D. Joachimo Besutio tunc Abbati Monasterii S. Crucis in Jerusalem, & D. Fortunato Tamburini Abbati Monasterii S. Pauli extra muros; quos ob doctrinæ præstantiam idem Summus Pontifex creavit S. R. E. Cardinales. Priusquam ergo istiusmodi criminationes renovarentur, præmissis laudatorum, aliorumque suffragiis, jam caussa finita erat, nobisque insciis, licet Romæ commorantibus, vigilantissimus Pontifex scripta nostra in Sanctuarii trutina pensitaverat, ita ut supervenientium earumdem accusationum nullam noverit habendam esse rationem, & singulari, qua pollet, prudentia, cum nostro, & adversantium honore silendum esse censuerit.

Nimius tamen accusantium zelus, obscurum meum abjectumque nomen, humilis conditio, & nullius unquam patrocinii captatio, vel ut probe sentio, voluntas Numinis, ut melius veritas inquireretur, & doctrina olim de Pelagianis triumphans, nunc a nonnullis, qui præteritorum obliviscuntur discriminum, tamquam Jansenianam contra Apostolicas inhibitiones traducta, ad pristinum revocaretur honorem; hæc omnia fecerunt, ut iisdem Criminatoribus buccinas inflantibus, nil aliud mihi comparaverit diuturnus labor præter calumnias; ii vero, qui mihi calumnias intulere, styli præter indolem ingeniumque meum concitati experti fuerint acumen, & acrimoniam. Sibi ergo, sibimet monitis sapientissimi Pontificis minime adquiescentibus adscribant Insectatores Augustinianæ doctrinæ telorum, quæ ipsi jaculati sunt, reflexiones; me interim gratulante, quod solus, & imperterritus pro eadem doctrina pugnaverim per bonam famam, & per infamiam. Interea in eum, qui primitus memoratas animadversiones (*remarques*) consarcinavit, quidquid a me paullo asperius dictum videtur, intortum fuit. Docti enim Archiepiscopi illinc doctrinam meam hauserunt, scilicet, non ex fonte, sed ex rivulo cœnoso & lutulento. Ipse turbulentus compilator eximios fefellit Antistites: ipsius hi adnotationes pervolutarunt, & maturo, id enim testantur, ponderaverunt examine; neque observarunt catholicum in libris nostris habere sensum, quæ in pravum detorta notantur in conviciatoris indiculo.

At viderit suismet oculis, scriptaque nostra lustraverit optimus Senonensium Archiepiscopus. In iis, quæ vellicavit, humani aliquid passus est, eumque traxit in præceps præposterumque judicium præconcepta de scriptis nostris fallax suspicio. Cetera, quæ prætermittit objecta, si ejusdem sunt generis, eadem quoque ratione labefactantur. Quod nos simulationis inculpitet, parum commovet nosmetipsos, propterea quod solus Deus est cordium nostrorum inspector. Ante Christi tribunal jam viderit, an sibi jure arrogaverit hanc nulli mortalium concessam auctoritatem.

Profecto si Novatorum discipuli jactant se doctrinam amplecti nostram; Præsuli ipsi Senonensium, & alteri, qui acuerunt in me stylum, id, quod illorum pace dictum sit, videtur esse imputandum. Enimvero carpentes in libris nostris tamquam cohærens damnatis propositionibus, atque ab Apostolica Sede proscriptum, systema duarum delectationum, quod a nobis propugnari fatemur, hinc novis dogmatistis occasionem præbuerunt reponendi: en aperte in iis accusamur, quæ palam Theologi Augustiniani propugnant. Pari modo de assertionibus aliis in controversia positis, ut monui in Præfatione, ratiocinantur. Oportebat itaque principia vera, aut probabilia ab erroneis falsisque consecutionibus segregare: atque a Jansenianis (si tales sunt revera cum quibus Senonum Præsul peregit tam diuturnum certamen) petere, Num Augustinenses dogmatizent sub delectatione superiori humanum arbitrium necessitate succumbere? Num doceant ea, quæ non fiunt laudabili caritate, proficisci & corrumpi a cupiditate vitiosa? Num removeant dona supernaturalia a priori creaturæ rationalis integritate? Num constituentes actualem Salvatoris gratiam in sanctæ dilectionis inspiratione, *dilectionis* nomine intelligant solam caritatem proprie dictam, sive amorem Dei propter se? Numquam hæc, & his similia in scriptis nostris reperientur, sed plura occurrent e diametro opposita. Numquam item affirmavimus aut quinque propositiones non haberi in libro Jansenii, aut defendi posse in sensu auctoris, aut subreptitias esse Bullas adversus Bajum, aut subscribendum non esse celebri *Formulario*, aut judicium Romanorum Pontificum de Factis dogmaticis errori esse obnoxium, aut a Constitutione *Unigenitus* esse appellandum. Libro enim 17. Theolog. discipl. hæc omnia Jansenistarum asserta impugnavimus. Sane qui nobiscum in his sentiunt, a nullo mortalium reputari possunt Jansenii asseclæ: qui autem nobiscum minime sentiunt, perperam gloriantur se doctrinam nostram complecti.

ARCHIEPISCOPUS.

VI. *His omnibus consideratis, & mature perpensis, Dei nomine prius invocato, & vocatis in consilium plurimis doctissimis Viris, & in sacra Theologia peritissimis, prædictos libros sic inscriptos*, Mens Augustini de statu naturæ ante peccatum, &c. Mens Augustini de modo reparationis, &c. Joannis Laurentii Berti de Theologicis disciplinis, &c. *tamquam continentes propositiones falsas, captiosas, subdole confictas, male sonantes, perniciosas, Constitutionibus Apostolicis derogantes, & iis injuriosas, Jansenianis, & Quesnellianis faventes, hæresim sapientes, pluries damnatas, erroneas, hæresi proximas, hæreses in libro Jansenii contentas, & in eo proscriptas in ipso sensu, quo damnatæ sunt, innovantes judicamus, & ut tales respective damnamus. Mandantes, &c.*

Datum Senonis sub signo nostro, Cameræ nostræ sigillo, & Secretarii nostri chyrographo anno Domini 1750. *in die Annunciationi B. M. V. dicata.* 25. *Aprilis.*

Signatum ✠ *J. Joseph Archiepiscopus Senonensis.*

De Mandato D. D. Archiepiscopi Senonensis

MAUCLER.

F. J.

F. J. LAURENTIUS.

Forte qui legerint meum hoc opusculum, opinabuntur me in ejus exitu indignatione, & perturbatione maxima commotum iri. Nil minus. Inquirendum non arbitror, quinam sint plurimi illi, doctissimique viri, quos in consilium vocavit; nec utrum collecta ex libris meis testimonia, vel ipsos meos libros lectione singuli exploraverint accurata; tametsi ex illius confessione cuncti noverint, aliquando adversus Episcopum Antisiodorensem protulisse attestationem Canonicorum Cathedralis ejusdem Urbis, ac de falsitate convictum, semetipsum ludicra illa responsione purgasse, quod eadem attestatio fuerat Rectoris Collegii Jesuitarum, qui Canonici Antisiodorenses dici possunt, quoniam eorum Collegium canonicali gaudet præbenda (*a*). Quid autem, si tot viri in sacra Theologia peritissimi pariter fuerint unus, aut alter Medista? Verum hæc, ut dixi, non quæro.

Propositiones, quæ tamquam in libris nostris propugnatæ, expressisque verbis contentæ perstringuntur in hoc Languetii judicio, sunt istæ:

1. *Deus non vult omnes homines salvos fieri.*
2. *Christus pro solis prædestinatis mortuus est.*
3. *Liberum arbitrium sub delectatione victrici necessitate constringitur.*
4. *In hoc statu periit indifferentiæ libertas, ad meritum, vel demeritum requisita.*
5. *Non datur gratia sufficiens distincta a gratia per se efficaci.*
6. *Justi sub robustiori concupiscentia non possunt Dei adimplere mandata.*
7. *Nulla præter caritatem Theologicam datur gratia.*
8. *Quod ex ipsa caritate non oritur, fluit ac vitiatur a noxia cupiditate.*
9. *Absque eadem caritate liberum arbitrium non valet, nisi ad peccandum.*
10. *Actus timoris, fidei, spei, aliarumque virtutum ab ipsa caritate sejuncti inficiuntur vitiosæ cupiditatis veneno.*
11. *Inde quoque omnia infidelium opera commaculantur.*
12. *Non alia ratione proscripsit Ecclesia articulum* 38. *Baji, & propositionem* 44. *Quesnellii, nisi quia negabant inter caritatem, atque cupiditatem, medium esse naturalem amorem beatitudinis.*
13. *Ideo status puræ naturæ est impossibilis, quoniam exaltatio humanæ naturæ in consortium divinæ, ejusque integritas non fuit in creatione primi hominis supernaturale, & indebitum beneficium, sed naturalis conditio.*

Has propositiones, & si quæ sunt aliæ his propinquæ, in scriptis nostris adinveniri, & a nobis defendi, conatus est Senonensium Antistes in superioribus articulis demonstrare. At ex hactenus dictis apertæ falsitatis revincitur. Audiant ergo cuncti Galliarum, Italiæ, ac totius Orbis Christiani Episcopi, & Theologi universi: præbeant aures Apostolici Senatus Purpurati Patres, & Ecclesiæ Romanæ Cardines, Tuque, Benedicte XIV. singulorum Christifidelium Pater, Magister, & Judex, ad Sanctitatis Tuæ pedes provoluti filioli tui, quem olim de Theologicis controversiis differentem pro singulari tua humanitate minime adspernabaris, per viscera Jesu Christi, cujus vices geris in terra, & propter Augustini in Ecclesiam Tuam merita, meumque, si id commemorare fas est, erga Te studium, devotionem, & obsequentis animi demissionem omnimodam, excipe paterna caritate hanc meam explicitam, ac fortassis postremam protestationem.

„ Ego F. Joannes Laurentius Berti Ord. FF. Eremitarum S. P. Augustini, invocato nomine Sanctissimæ Trinitatis, & consueta fidei professione præmissa, quam edidi consecuturus Lauream doctoratus, & sæpenumero confirmavi, ac modo etiam sacramento, & jurejurando confirmo, declaro, ac profiteor, me semper probasse, ac probare omnia S. Romanæ Ecclesiæ decreta, ac semper recepisse & recipere Romanorum Pontificum Constitutiones latas adversus asserta Michaelis Baji, Cornelii Jansenii, Paschasii Quesnellii, cunctorumque omnium, cum veterum, tum recentiorum falsa dogmatizantium, animoque sincero & demisso me semper promisisse, ac promittere Summo Pontifici BENEDICTO XIV. hujusque Decessoribus, & Successoribus, cum in his, tum in ceteris omnibus definitionibus Sanctæ, Apostolicæ & universalis Ecclesiæ, reverentiam atque obedientiam; & prædictas tredecim propositiones, iisdem, aut æquivalentibus verbis enuntiatas, necnon affines illis, vel idem dogma edocentes, cum Reverendissimo Joanne Josepho Languet Archiepiscopo Senonensi, damno, anathematizo, & proscribo, *Tamquam propositiones falsas, captiosas, subdole confictas, male sonantes, Constitutionibus Apostolicis derogantes, & iis injuriosas, Jansenianis & Quesnellianis faventes, hæresim sapientes, pluries damnatas, hæresi proximas, hæreses in libro Jansenii contentas, & in eo proscriptas, in ipso sensu, in quo damnatæ sunt, innovantes.* Verum nego easdem propositiones contineri in Operibus confratris mei Fulgentii Bellelli, quorum titulus, *Mens Augustini*, ac præsertim in libris *de Theologicis disciplinis* a me conscriptis, vel a me in iisdem libris defendi, aut dolo, seu fraude fuisse ambiguis verbis insertas, sive etiam pectore, & intimo corde, cujus Omnipotentem Deum testem voco, fuisse aliquando probatas; numquam vero percepisse me fateor, ut nec modo percipio, quomodo prænarratæ, eisque similes propositiones habeant connexionem & affinitatem cum principiis Augustinianæ Scholæ a me receptis ac traditis, præmonstrantibus Theologis aliis catholicis, & orthodoxis: quæ tamen principia una cum omnibus aliis thesibus, adnotationibus, doctrinisque meis, judicio Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, Summorumque Pontificum, sponte ultroque submitto, probaturus si probent, damnaturus si damnent, Sic me Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

„ Dabam Florentiæ in Ædibus S. Spiritus, ante Sanctissimi Crucifixi imaginem, anno 1756. die vigesima secunda Junii.

F. Joannes Laurentius Ordinis FF. Eremitarum S. P. Augustini.

AP-

(*a*) Ne id a me aliquis opinetur esse confictum, legenda epistola Episcopi Antisiodorensis scripta ad Archiepiscopum Senonensem anno 1750. num. LXII. pag. 120. ubi hæc habentur: „ Vous publiâtes en 1733. un long écrit sous le nom de *Lettre de plusieurs Chanoines, Curés, & autres Ecclésiastiques du Diocese d' Auxerre, &c.* vous en faisiez l'eloge, & vous l'adoptiez comme renfermant tout ce que vous étiez disposé à me dire vous-même. „ Vos Diocésains, ajoutiez-vous, avoient formé le projet de joindre leur souscriptions à leur memoire; il m' offroient de le signer, & m' assûroient que le nombre des souscripteurs seroit grand . . . mais j'ai refusé, j'ai defendu même les signatures offertes. „ Qui auroit osé contredire un fait si bien circonstancié, & ne pas tenir pour certain qu' au moins quelques Ecclésiastiques de mon Diocése avoient eu connoissance de l' écrit qu' il parût sous leur nom? Moi-même, quoique je connusse assez les dispositions de mon Clergé, pour être surpris de cette démarche, qui annonçoit une espéce de ligue contre moi, je me faisois un scrupule de révoquer en doute ce que vous avanciez avec tant de sécurité. Aussi je ne pensai d' abord qu' à connoître *ces pieux & savants Ecclesiastiques*, que vous m' opposiez comme des Antagonistes invincibles. Mais quel fut mon étonnement & majoje, lorsque tous les Chanoines, Curés & Ecclesiastiques de mon Diocése, sans exception, eurent certifié, qu'ils n'avoient pris aucune part ni directement, ni indirectement à cette lettre, dont ils n' avoient eu connoissance que depuis que vous l' aviez rendue publique par l' impression! Il n'y en eut pas un seul qui ne la désavouat: j' ai encore par devers moi les signatures qui en démontrent la fausseté & la supposition. J' en rendis compte à mon Diocése par une petite Lettre Pastorale, que beaucoup de personnes indignées de votre procédé trouverent trop douce & trop modérée. Mais lorsque au lieu d'avouer une faute dont je vous avois convaincu, ou de demeurer de cette humble silence, vous voulûtes vous justifier, en faisant de cette Lettre une *Parabole*, c'est-à dire, une *fiction innocente*: lorsque vous m'apprîtes que le P. Duchesne Recteur du Collége d'Auxerre étoit l'Auteur de cette Lettre, & que vous voulûtes lui faire remplir à lui seul le titre de plusieurs Chanoines, Curés & autres Ecclésiastiques, parce que les Jésuites du Collége reçoivent le revenu d'une Prébende de l'Eglise Cathédrale; pouvois-je alors me plaindre mollement & d'un style doucereux, d'une si indigne manœuvre, & épargner la force des expressions à de si misérables subterfuges? Et néanmoins je ne crois pas avoir passé, dans les plaintes que j' en fis, les bornes d' une juste & necessaire défense, ni m'être servi d'un style qui mérite d'être appellé *aigre & amer*. „

APPENDIX.

CAPUT I.

Ex doctrina ipsius Adversarii demonstratur Augustiniani systematis indemnitas, & rectitudo.

On solum Senonensium Archiepiscopus Languet falso nobis errores, quos numquam adoptavimus, imputavit; sed etiam erebus ab eo gestis plura nobis suppetunt munimenta, quibus omnes ejus machinationes subvertuntur, & corruunt. Principio ipse, Episcopus tunc Suessionensis, anno 1720. interfuit concilio Cleri Gallicani; ac fuit unus Centum Episcoporum, qui *Explicationibus* errorum Constitutione *Unigenitus* proscriptorum, editis, ut fertur, Romano non ignaro Pontifice, absque ulla hæsitatione subcripserunt. In hisce *Explicationibus* pag. 63. declaratur, in *Instructione Pastorali* XLII. Episcoporum, qui anno 1714. Parisiis congregati prædictam Constitutionem receperant, Ecclesiæ doctrinam *simplici & naturali* expositione contineri. Ipsa vero *Pastoralis instructio* docet, damnatas Quesnellii propositiones intrudere rursus doctrinam hæreticam, & a Tridentino concilio damnatam, idest, actus omnes, qui justificationem præcedunt, esse inquinamenta & peccata; ideoque a noxia cupiditate corrumpi quidquid non derivat a caritate *habituali*, in cordibus justorum regnante, „ Les propositions „ condamnées (illic habetur) renferment une doctrine „ toute contraire. Nous y voïons *qu'il n'y a que deux* „ *amours*, *la charité*, *& la cupidité*: toutes les actions „ ont leur source dans l'un, ou dans l'autre de ces „ amours. Tandis, qu'on est sous le regne de la cu- „ pidité, c'est à dire avant la justification & la reconci- „ liation, toutes les actions sont corrompues: il n'y a „ ni *foi*, *ni esperance en Dieu*, *ni religion*, *où il n'a point* „ *de charité*: il n'y a nulle bonne œuvre, tout, jusqu'à „ *la priere*, est peché & *hypocrisie*. „ Hæc *Instructionis Pastoralis* verba producta a me fuerunt *Vol.* 1. *Vindic. pag.* 35. Accepere itaque cum XLII. Galliarum Episcopi, tum alii, qui illorum *Instructionem Pastoralem* comprobarunt, damnatos Quesnellii articulos, quasi plano, obvio, simplici, ac naturali sensu enuntiantes omnia opera, quæ justificationem præcedunt, neque in operante supponunt justificationem, & caritatem *habitualem* ac dominantem, esse peccata, & intrinsece veneno cupiditatis corrupta.

Quo ergo jure Senonensis Archiepiscopus, qui cum aliis Episcopis Galliarum confirmavit prælaudatam *Instructionem*, ait me sæpenumero utentem eadem explicatione XLII. Præsulum *ad sensus exoticos* Censuram proscriptarum propositionum detorquere, & lectoribus *fucum facere*? Sed progrediamur ad Centum Episcoporum *Explicationes*.

In his *Explicationibus* art. 4. pag. 36. hæc leguntur. Le „ terme de charité peut être pris en deux sens differents: „ 1. pour tout amour de Dieu, actuel, ou habituel; nais- „ sant, ou dominant; amour qui justifie, amour qui ne „ suffit pas pour justifier; amour propre aux justes, ou „ tel, qu'il peut se trouver dans les pecheurs: en un „ mot pour tout amour du vray bien, pour toute bonne „ volonté. La charité est prise en ces sens en divers en- „ droits des écrites des Saints Peres, & de quelques Theo- „ logiens. Le terme de charité est pris ordinairement par „ S. Thomas mesme dans une signification plus restrain- „ te, pour la troisieme vertu Theologale, pour l'amour „ habituel de Dieu, pour l'amour qui est propre aux ju- „ stes, qui nous unit à Dieu, & qui nous rend les mem- „ bres vivans de Jesus-Christ; & c'est ainsi que l'enten- „ dent communement les Theologiens & les fideles.

„ La foy & l'esperance renferment toûjours quelque a- „ mour de Dieu, pris dans la premiere signification, mais „ la foy & l'esperance peuvent estre separées de la cha- „ rité prise dans la seconde signification, & peuvent agir „ sans elle; & quoy qu'alors elles ne nous rendent ni „ justes, ni dignes du ciel, elles ne demeurent pas pour „ cela sans quelque fruit, elles ont des actes qui leur „ sont propres, & qui disposent à la charité.

„ Ce sont donc autant d'erreurs contre la foy, & ju- „ stement condamnées par la Bulle, de dire que le pe- „ cheur perde la charité habituelle, perde en même temps „ la foy; qu'il n'y ait plus sentiment de craint, ni a- „ ctes d'esperance, ni bonnes œuvres, ni culte, ni prie- „ re, ni religion pour le pecheur, qui a perdu la chari- „ té; que lorsqu'il a perdu cette vertu, la cupidité qui „ regne dans son cœur, corrompe toutes ses actions, qu' „ il n'est plus que tenebres, erreur & peché, & qu'il „ se trouve dans un'impuissance generale de faire aucun „ bien, qui soit agreable a Dieu.

„ C'est encore un erreur déja condamnée par le Saint „ Siege (in Bulla S. Pii V. quæ citatur in margine) „ d'avancer qu'il n'y a point d'autres principes de nos „ actions, que la charité habituelle, & la cupidité habi- „ tuelle.

„ Les Peres de l'Eglise einsegnent qu'il y a deux a- „ mours, l'amour de Dieu, & l'amour de la creature, „ qui sont les principes des mouvemens de la volonté; „ mais ils entendent par l'amour de Dieu non seulement „ la charité habituelle, & l'amour dominant, mais tout „ amour actuel de Dieu, toute bonne volonté, tout a- „ mour de vray bien, en quelque degré qu'il puisse estre; „ & ils entendent par l'amour de la creature non seule- „ ment la cupidité habituelle, mais tout amour des crea- „ tures, foible, ou dominant; & il n'ont jamais pre- „ tendu que tous les mouvemens de la volonté, qui ne „ partent pas de la charité habituelle, fussent produicts „ par la cupidité, & qu'ils fussent par consequent des „ pechez. Ils enseignent expressement au contraire qu'il „ y a de bonnes œuvres, & de bons mouvemens en ceux „ qui sont encore sous le regne du peché, comme il y a „ des pechez veniels dans les justes, qui possedent la cha- „ rité habituelle. „ Hactenus Centum Galliarum Episco- „ pi: quorum pariter verba produximus citato Volum. 1. *Vindic.* pag. 38. & seq.

Constat autem ipsos Centum Episcopos his verbis declarasse, primo *Caritatis* vocabulum apud Patres, & nonnullos Scholasticos significare non tantum *caritatem habitualem*, dominantem, & in cordibus justorum diffusam, sed etiam omnem veri boni amorem, omnemque bonam voluntatem; etsi pro virtute Theologica, & pro *caritate habituali*, & justificante, idem vocabulum frequentissime accipiatur. Secundo, etiam in fide, & spe *aliquem Dei amorem* reperiri, quamvis separari possit a *caritate* quæ est virtus Theologica, atque a *caritate habituali*, & in cordibus justorum regnante, ad quam disponunt, & viam sternunt; ideoque licet absque *caritate* non reddant hominem justum, bonos tamen in eo fructus proferunt. Tertio damnari Constitutione *Unigenitus* eos, qui asserunt, amissa *caritate habituali*, deperdi simul fidem, spem, timorem, nullum dari opus bonum, necnon peccatorem omni prorsus religione, Deique cultu destitui. Quarto quidquid agit peccator eadem *caritate habituali* & dominante exspoliatus, esse peccatum, atque a noxia cupiditate, quæ regnat in ejus corde, vitiari, & infici. Quinto contineri in propositionibus Quesnelli errorem antea in Bajo proscriptum, nempe cujuslibet humanæ actionis principia esse tantum duo, *caritatem habitualem*, & *cupiditatem habitualem*. Sexto docere revera Ecclesiæ Patres omnem voluntatis motum vel *ab amore Dei*, vel *ab amore creaturarum* procedere: sed non omnem amorem Dei esse *caritatem habitualem* & dominantem, neque omnem amorem creaturarum esse *habitualem*, seu dominantem *cupiditatem*; quoniam amor Dei est quælibet bona voluntas; & amor creaturarum non semper est prædominans, atque regnans. Septimo numquam Patres asserere, omnes voluntatis motus, ubi non regnat *habitualis caritas*, oriri a prava cupiditate, & esse peccata; quoniam etiam in peccatoribus, in quibus *caritas habitualis* non reperitur, sunt boni motus timoris, fidei, spei, aliarumque virtutum: atque a justis, in quibus ipsa *habitualis caritas* adinvenitur & regnat, sæpenumero venialia peccata patrantur.

Clarius meridiana luce apparet hanc Centum Episcoporum doctrinam a me in cunctis suis partibus propugnari, prout præcedentibus articulis demonstravi. Atque ut compendio rem agamus; primum doctrinæ Centum Episcoporum caput a me traditur ac defenditur lib. 23. cap. 10. tom. 4. *pag.* 489. Secundum libro 21. cap. 4. eodem tomo *pag.* 208. Tertium lib. 23. cap. 10. *tom.* 4. *pag.* 488. & libro 34. cap. 6. *tom.* 7. *pag.* 584. Quartum lib. 18. cap. 3. *tom.* 3. *pag.* 398. Quintum eodem libro cap. 5. pag. 421. Sextum libro 21. cap. 4. *tom.* 4. *pag.* 209. & libro 18. cap. 4. *tom.* 3. *pag.* 416. Septimum ipsomet libro cap. 3. *pag.* 390.

Nunc ergo mihi ad hunc loqui modum fas sit: Senonarum Archiepiscopus Centum aliorum Episcoporum doctrinam & explicationem subscriptione propria firmavit. Illorum vestigia ego ubique calcavi, ac sancte juro, me in hisce capitibus nec latum unguem ab illis discedere. Qua ergo ratione potuit evenire, ut una, eademque sententia in ore Centum Episcoporum sit orthodoxa, atque in ore Theologorum Augustinensium sit hæretica? Cur modo Archiepiscopus eam approbat, modo damnat? Amplectemur ne ejus judicium suffragio aliorum Centum Episcoporum corroboratum, an judicium postremum ei præmonstratum ab uno Rutheno Antistite, vel potius obscuro, nobisque ignoto Moliniano Theologo, cujus insimulationes & nos refutavimus, & summi in Urbe Censores, ac Purpurati Patres omnino falsas esse putarunt? Si præterea Centum Episcopi, idemque Languetius, ob-

vium, planum, ac ſimplicem ſenſum damnatarum propoſitionum ſunt aſſecuti: quomodo a nobis propoſitiones ipſæ ad exoticum, extortumque ſenſum detorquentur? Recte itaque Antiſſiodorenſis Epiſcopus Carolus de Thubieres iiſdem accuſationibus ab ipſo Archiepiſcopo Senonenſi impetitus, reſponſione ſua, aut Epiſtola ad illum data die 4. Novembris anno 1750. reſpondet *pag.* 17. „ Vous avez donc oublié ce que portent les explications „ de 1720. que vous avez ſouſcrites, ou vous les deſa- „ vouez maintenant. Car voici ce qui y eſt dit, après „ ce que j'en ai rapporté. „ Les Peres de l'Egliſe n' „ ont jamais prétendu que tous les mouvemens de la vo- „ lonté, qui ne partent pas de la charité habituelle, fuſ- „ ſent produits par la cupidité, & qu'ils fuſſent par con- „ ſequent des pechés. „ Remarquez qu'on ne dit pas „ comme vous, de la charité *au moins commencée*, mais „ de la charité *habituelle*. Les cent Evêque, vous étiez „ du nombre, qui ont ſignè ces Explications, croyoient „ donc alors qu'il ſuffit pour ne pas tomber dans la con- „ damnation, d'admettre dans les pécheurs qui ont per- „ du la charité habituelle, des mouvemens de la volonté, „ qui ne ſoient pas produit par la cupidité, mais par une „ charité commencée, ou comme parle Berti, par la gra- „ ce actuelle non juſtifiante; & de reconnoître que ces „ mouvemens & ces actions ne ſont point des péchés, „ mais qu'elles ſont bonnes à tous égards, même par „ rapport à la fin derniére, quoiqu'elles ne ſoient pas „ meritoires de la vie éternelle. „

Tria tamen hoc in loco breviter animadverto, ſcilicet Epiſcopum iſtum Antiſſiodorenſem fuiſſe unum ex *Appellantibus*; me autem Conſtitutionem *Unigenitus* ea, qua decet, reverentia recipere, eamdemque probare. Alterum, eumdem Epiſcopum in ceteris capitibus ad Janſenianam, aut Queſnellianam doctrinam pertinentibus, erroris inſimulatum ab ipſo Antiſtite Senonenſi, ſeſe naviter ſapienterque purgaſſe; atque adverſarium ſuum ad incitas redegiſſe, eidem errores objeciſſe viciſſim plurimos, atque Epiſtolis Archiepiſcopi Turonenſis evidenter demonſtraſſe a ſe doctrinam illam defendi, quæ traditur in *Inſtructione Paſtorali de Juſtitia chriſtiana* hujus Archiepiſcopi; de qua *Inſtructione* dicam paullo inferius. Tertium, nullibi me aſſerere actus fidei, ſpei, timoris, & moralium quoque virtutum produci a cupiditate, ſi non proveniant a *Caritate inchoata*; ſed hanc duntaxat requirere ad hoc, ut actus, qui boni ſunt quoad officium, neque a cupiditate oriuntur, neque ab ea inficiuntur & maculantur, ſint boni ſpectata etiam circumſtantia ultimi finis: quamquam ſi *caritatis* inchoatæ nomen accipiatur, ut Centum Epiſcopi explicarunt, *pro qualibet bona voluntate*, quemlibet bonum actum a caritate proficiſci perſpicua res ſit, ac per ſe manifeſta.

Quoniam vero nuper commemoravi bonorum operum rectitudinem ex circumſtantia ultimi finis repetendam; dictum ſuperius, ac demonſtratum eſt tom. 1. Vind. *pag.* 350. prælaudatos Centum Galliarum Epiſcopos doctrinam noſtram de referendis actionibus deliberatis in Deum in prælaudatis *Explicationibus* tradidiſſe: „ L'obligation (in- „ quiunt) de rapporter à Dieu toutes ſes actions, renfer- „ mée dans le premier precept, fait partie du culte, que „ nous devons au ſouvrain Eſtre, & de la gloire, que „ nous ſommes obligez de lui rendre. La doctrine qui „ enſeigne cette obligation a de trop grands fondemens „ dans l'écriture & la tradition pour ſouffrir que des Au- „ teurs temeraires oſent la combattre, „ Hæc Centum „ Epiſcopi art. 5. ubi citantur in margine *Apoſtoli prima ad Corinthios Epiſtola cap.* 10. 3. *& ibid. cap.* 16. 14. *Itid. ad Colos. cap.* 3. 17. *S. Baſil. Reg. fuſius diſput. interrog.* 195. *in Reg. brev. inter.* 195. *&* 196. *lib. de Baptiſ. cap.* 2. *tom.* 2. *pag.* 659. *S. Auguſt. de corrept. & grat. cap.* 3. *Id. Enchir. cap.* 121. *S. Thom.* 1. 2. *qu.* 100. *art.* 10. *ad* 2. *& in corp. Id.* 2. 2. *qu.* 69. *art.* 1.

Hac doctrina Centum Epiſcoporum ſuppoſita, qua omnes humanæ actiones in Deum referendæ eſſe dicuntur, evidens eſt actiones complures, quæ neque a *caritate habituali* ſunt, ideſt, bona opera quæ efficiuntur a peccatore; neque procedunt *a cupiditate dominante*, ſed vel a gratia actuali præmovente, cujuſmodi ſunt actus fidei, timoris, & ſpei, quibus ad juſtificationem diſponitur; vel ab amore aliquo naturali, & honeſto, ut eleemoſyna pauperibus diſtributa, honor parentibus exhibitus, & cetera moralium virtutum officia: hæc, inquam, opera bona, & laudabilia eſſe, ſi conſiderentur in ſe, ſi principium unde profluunt, ſi finis proximus, ſi illorum attendatur objectum; ideoque recte proſcriptum fuiſſe articulum 38. Baji, & damnatam propoſitionem 44. Queſnellii, ut prolixe declaravi in Vindiciis *tom.* 1. *pag.* 354. *& ſeq.* Verum ſi hæc eadem opera ad Deum ordinata ſint, recte dicuntur opera caritatis; ſi ad Deum non ſint ordinata, ſed ad creaturam, recte dicuntur ratione finis opera cupiditatis: quoniam ſi amor creaturæ *ad creatorem referatur*, *non jam cupiditas*, *ſed caritas erit*; & cum *propter ſe* amatur creatura, *tunc eſt cupiditas*, non caritas: atque ita *non præcipit ſcriptura niſi caritatem*, *nec culpat niſi cupiditatem*, *& eo modo informat mores hominum*. Percipiunt, opinor, Theologi loqui me verbis S. P. Auguſtini *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 7. *& lib.* 3. *de Doctr. chriſtiana cap.* 10. Quo in loco etiam S. Doctor declarat a ſe *caritatem* vocari motum animi ad fruendum Deo *propter ipſum*, & ſe atque proximo *propter Deum*: *Cupiditatem* autem motum animi ad fruendum ſe & proximo, & quolibet corpore *non propter Deum*. Quamobrem aſſerentibus nobis non eſſe omnem amorem creaturæ rationalis *caritatem habitualem*, vel *cupiditatem habitualem*, neque *a cupiditate* corrumpi quidquid non proficiſcitur *a caritate*; nihilotamen minus neceſſum eſſe, ut actiones omnes humanæ cum deliberatione peractæ fiant *propter Deum*, atque in ipſum *caritate* referantur, conſenſerunt Centum Epiſcopi, conſenſit ipſe Senonenſium Antiſtes, qui una cum aliis prælaudatas *Explicationes* approbavit. Quare poſtea mutata Sententia me Queſnellianis accenſet, imo non me tantum, ſed Centum florentiſſimæ Nationis ſuæ Præſules, atque cum iis ſemetipſum, immemor ab iis, a ſe quoque, Auctores prædictam ſententiam impugnantes redargui (quod numquam a me factum memini) nigro præfixo theta, ac nota *temeritatis*?

Dixi, *mutata ſententia*: ſed forte melius dicendum erat, maxima prædeceſſoribus ſuis, & univerſis diœceſeos ſuæ Parochis irrogata injuria. Enimvero ſententia de operibus deliberatis in Deum referendis & a Centum Epiſcopis anno 1720. fuit, ut diximus, ſplendidiſſime commendata; & antea, anno nimirum 1658. & 59. tradita ab aliis Epiſcopis, qui *Apologiam Caſuiſtarum* proſcripſerunt. Horum Epiſcoporum Cenſuræ in unum collectæ fuere volumen, cui titulus: „ Recueil des principales cenſures des „ Archevêques & Evêques de France, contre le livre in- „ titulé: *Apologie pour les Caſuiſtes*, *contre les calomnies* „ *des Janſeniſtes*, publié en 1657. „ Sunt eædem Cenſuræ num. XIII. earumque nonnullas laudavi diſſert. 3. Vindic. cap. 1. n. 8. Priorem autem tenet locum Cenſura Archiepiſcopi Senonenſis Ludovici Henrici de Gondrin, cujus mentionem feci ſuperius capite 5. *num.* 2. In hac Archiepiſcopi Senonenſis Cenſura tit. *De omnibus actionibus noſtris in Deum referendis*, præmittuntur verba *Apologiæ* pag. 165. „ S'ils n'ont à nous débiter que les erreurs de ceux qui „ tiennent pour maxime que les chretiens doivent en tou- „ tes leurs actions aimer Dieu, & qu'il n'y a point d' „ action vertueuſe, ſi elle n'eſt commandée par la cha- „ rité, nous n'approuvons point ces erreurs. „ Deinde Cenſuræ hæc verba ſequuntur num. 5. *Hæc propoſitio quatenus erroris accuſat ſanctiſſimam doctrinam*, *qua chriſtianis omnibus præceptum aſſeritur*, *ut actus omnes ſuos ad Dei honorem*, *actu ſcilicet vel virtute*, *referant*, *temeraria*, *& falſa eſt*, *Patribus*, *S. Thomæ*, *& clariſſimis Theologiæ Doctoribus injurioſa*, *qui in his S. Paulli verbis*, Omnia veſtra in caritate fiant; *& in illis item*, Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud agitis, omnia in Dei gloriam agite, *verum præceptum ſemper agnoverunt*, *quod violari ſine aliquo peccato vel mortali vel veniali non poſſit*. Hanc Cl. Archiepiſcopi de Gondrin Cenſuram confirmavit, ut præmonuimus *cit. cap.* 5. provincialis ſynodus Senonenſis quæ habita fuit anno 1660. die undecima Maji. Eodem Senonenſi Archiepiſcopo de Gondrin jubente editus fuit, cunctiſque diœceſis ſuæ fidelibus traditus catechiſmus, in quo legitur: „ Que faut-il faire pout aimer Dieu, com- „ me il nous le comande? R. Il faut ſonger ſouvent à „ lui, ſe plaire à parler, & à entendre parler de lui, & „ lui rapporter toutes ſes affections, ſes penſées & ſes a- „ ctions: ce qu'on ne ſauroit omettre ſans quelque pe- „ ché. „ Idem catechiſmus typis iterum procuſus fuit mandante Senonenſi, qui proxime Languetium præceſſit, Archiepiſcopo *D. De Chavigni* anno 1729.

Quid ergo Languetius? Doctrinam illam de actionibus in Deum referendis, prout exprimitur a prædeceſſore ſuo *De Gondrin*, & in prælaudato catechiſmo, in 5. ſua Paſtorali *p.* 4. *pag.* 888. anathematizavit atque proſcripſit, & catechiſmum illum inhibuit, pluribus diœceſeos ſuæ Parochis vulgata epiſtola conquerentibus de interdicta ea doctrina, quam præcedentes Archiepiſcopi, provinciæ ſynodus, & catechiſmus ipſe tradiderant, & quæ omnium parvulorum quoque ore prædicabatur. Hinc in Languetium invehitur pag. 25. ſextæ Epiſtolæ Antiſſiodorenſis Antiſtes: „ Vous n'aimez pas, M. qu'on vous rappelle ce até- „ chiſme, que vous avez defendu d'enſeigner dans votre „ diocéſe, & au quel vous en avez ſubſtitué un autre, „ ou l'on ne trouve plus cette doctrine, que vous avez „ ſi violemment combattue. Vous avez donc renoncé à „ la doctrine de vous Prédéceſſeurs; vous l'avez taxée d' „ erreur anathématiſée dans toute l'Egliſe. Vous avez „ apporté dans votre Diocéſe une doctrine nouvelle, qui „ étoit non ſeulement inconnue, mais contredite juſque „ dans un petit catéchiſme. Convaincu d'une telle inno- „ vation, étes-vous recevable dans les accuſations, que „ vous formez contre moi? Et n'ai-je pas droit de vous „ récuſer comme obligé de vous juſtifier vous-même, a- „ vant que d'être admis à m'accuſer? Pour moi je vous „ declare, que je perſiſte dans la doctrine du rapport de „ nos actions à Dieu par amour; & que je m'y ſens toû- „ jours plus affermi. „

Nequa-

Nequaquam diuturni horum duorum Episcoporum dissidii arbitrum me constituo: sed hoc unum inde, quod est apertissimum, infero, meam de actionibus cunctis in Deum actu, seu virtute, referendis sententiam ab Episcopis omnibus, qui reprobarunt Casuistarum *Apologiam*, a Centum Episcopis, qui Constitutionem *Unigenitus* unanimiter receperunt, ab ipsomet *Languet* inter istos connumerato, ab ejus in Cathedra Senonensi Prædecessoribus, a synodo illius Provinciæ, ab omnibus diœcesis suæ Parochis, in catechismo, qui diu in eadem diœcesi obtinuit, suitque non semel typis editus, fuisse approbatam, & appellatam sanctissimam, orthodoxam, a Patribus, a S. Thoma, a clarissimis Theologis traditam, horumque judicio Apostolicis institutionibus consonam; eos vero, qui eamdem sententiam meam esse erroneam pronuntiant, non posse, judicio Gallicanorum Præsulum, notam effugere temeritatis. Nullum itaque doctrinæ ipsius fulcimentum ac robur petam modo vel ab Augustino, vel a Leone Magno, vel ab Angelico Præceptore, vel a Clarissimis Purpuratis Hosio, Bona, Norisio, vel a Scholasticis Doctoribus pluribus: quando gloriosus numerus tot Episcoporum Galliæ, & ipse quoque adversarius, consistens in aliorum Comitiis, me tutatur ac protegit.

Præterea affirmanti Episcopo Antissiodorensi se non discedere a doctrina Instructionis Pastoralis *de Justitia Christiana* Archiepiscopi Turonensis, ita Senonensis Præsul Languet præcitata epistola pag. 45. num. 13. reponit: „ Nouvelle confiance, nouvelle temerité, quand vous vous „ applaudissez de l'Instruction Pastorale de M. l'Archevêque de Tours, vous dites *qu'on y trouvera votre doctrine „ & vos veritables sentiments*. Soutiendrez-vous jusqu'au „ bout, Monseigneur, cette declaration? & adopterez-vous „ la lettre que ce Prélat a donné pour calmer les inquietude de feu M. le Cardinal de Rohan, & de plusieurs „ autres Prelats qui croyoient appercevoir dans cette même Instruction quelques traits favorables aux propositions „ condamnées dans Quênel? Direz-vous avec lui: *Je condamne les cent & une propositions, extraites du livre du „ Pere Quênel, qui renouvellent la doctrine de Jansénius & „ de Baïus. J'ai toujours enseigné, & j'enseignerai toujours „ avec les Evêques de France, que comme il n'y a aucune „ de ces propositions qui dans son sens propre & naturel, „ ne mérite quelqu'une des qualifications portées par la Bulle* Unigenitus, *il n'y a aussi aucune des qualifications „ qui ne puisse être appliquée a quelques-unes des mêmes propositions*. Pourrez vous dire la même chose, vous qui „ avez pris si hautement la défense de ce livre, & poursuivi avec tant d'aigreur le Sainte Pere qui l'avoit condamné? Eh! plut à Dieu, qu'à l'exemple de ce respectable Archevêque, vous voulussiez dire comme lui: „ *Je regard, & j'ai toujours regardé cette Constitution comme „ un jugement dogmatique de l'Eglise universelle, au „ quel tout chretien doit se soumettre d'esprit & de „ coeur*.

Quidquid igitur sentias de *Instructione* Pastorali Archiepiscopi Turonensis, vulgo *De Tours*, evanuit de illa apud Eminentissimum Cardinalem Rhotomagensem, aliosque Antistites, præconcepta suspicio, ubi epistola quadam sua declaravit propositiones Quesnellianas fuisse jure proscriptas, notasque & censuras eis inflictas congruere simplici & naturali earumdem propositionum sensui: Constitutionem vero *Unigenitus* tamquam judicium totius Ecclesiæ dogmaticum, cui fideles omnes teneantur demisse obtemperare, se revereri, semperque reveritum esse declaravit. Ea declaratione contentus Archiepiscopus Senonensis quærit, an idem, quod Turonensis Præsul, possit de se ipso Antissiodori Episcopus affirmare; nullum, si affirmet, inter utrumque futurum fore discrimen, sed unionem in eadem fide, atque in eadem decretorum ad fidem spectantium acceptatione; daturum ea protestatione illum „ à l'Eglise entiere la consolation de voir réuni avec elle dans „ la même foy, & la même acceptation de ses décretes „ qui concernent la foy. „

Quid ergo in me furit Præsul egregius, dum libro 17. *Theolog. disciplin.* per omnes adversus Bajum, Jansenium, & Quesnellium latas ab Apostolica Sede Constitutiones discurrendo, illarum æquitatem propugno, cavillationes adversariorum refello, pro certitudine ac firmitate judicii Pontificum Romanorum acerrime pugno, omniaque istorum decreta, quod Insimulator ipse fatetur, debita prosequor venerarione? Illud propterea, quod de Turonensis Præsulis doctrina tulit Languetius, de propugnata a me sententia fuit Censorium judicium Eminentissimi Joachimi Besutii, qui licet Medistarum partibus esset addictus, libratis tamen scriptis meis Theologicis ita de me pronunciavit: „ Per passare alla Censura contro il P. Berti, dirò „ per la prima cosa non potersi avere per sospetto degli „ errori di Giansenio, se si darà una sola occhiata nel fine del di lui tomo 3. *de Gratia*, dove porta tutte le „ sue proposizioni, che in questo tomo difende, e si vedrà, che dalla sessagesima seconda sino all'ottuagesima „ quarta non fa altro, che impugnare Bajo, Quesnello, „ e Giansenio, insegnandovi ancora l'infallibilità de' Romani Pontefici ne' Fatti dogmatici: il che è segno e„ videntemente esclusivo di qualsisia sospetto di Giansenismo, essendo de' Giansenisti quasi la Tessera, e il loro „ rifugio il sostenere, ingannarsi i Papi nel fatto di Giansenio, abbenchè dogmatico, e perciò non vogliono riconoscere che gli errori condannati nelle cinque proposizioni di Giansenio sieno nel libro di questo autore nel „ di lui senso ovvio, e però si ridono quando loro si nomina l'Eresia Giansenianа. „ Etsi vero Cardinalis sapientissimus, cujus Censuræ fragmentum modo produxi, rebus sit exemptus humanis; manent tamen quæ in meam defensionem conscripsit in Romanis Archiviis, ac penes Pontificem Maximum, quo jubente ipse, aliique Viri in Urbe doctissimi libros a me in lucem editos accurate diligenterque pervolutarunt, expenderunt, nullaque nota perstringendos, immo perutiles esse affirmarunt. Quos ideo cum Besutio commemorandos esse arbitror, ne quis cum Senonensi Præsule eo procedat incogitantiæ, ut audeat asserere vigilantissimum Ecclesiæ Pastorem mei caussa indulsisse, ut hæresis ubique terrarum grassaretur immunis, aut non vidisse ex excelso Sacerdotii culmine gladium cominus ferientem, quem ille jactat se prospexisse e specula sua, venientem a longe. Inde jacula potius emittit putans commorantem hominem in Italia perimere, neque perpendens huc pervenire non posse excussas a fracto arcu sagittas; ac si perveniant, clypeum nobis esse ad retundendas æneum, quem ipse in eadem officina pro Archiepiscopo Turonensi procudit.

Hujus erga Apostolicam Sedem studiosissimi Præsulis *Pastoralis instructio* edita anno 1749. undique sententiæ nostræ cohæret. Enimvero gratiam constituit in sanctæ dilectionis inspiratione, ac docet primum credendi affectum supponere aliquem divini amoris incitamentum, sive ut ille Gallico loquitur idiomate *pag.* 16. „ quelque étincelle du divin amour „ eamque statim rationem subjicit, „ Car la volonté ne commence à se mouvoir vers Dieu, „ que quand elle commence à l'aimer. „ Quod verbis Augustini *epist.* 157. alias 89. ad Hilarium cap. 2. num. 9. & libro 13. Cont. cap. 9. num. 10. commonstrat, affirmatque fidem, qua ad veram justitiam disponimur, nil esse aliud, quam inchoatam sanctæ dilectionis excitationem „ Un commencement au moins de la sainte dilection. Eadem ratione de spe, quam nobis inserit divinus amor, pertractat: atque *pag.* 23. ad hunc loquitur modum: „ Rien ne pouvant preparer les voies à la charité que la charité même: la charité commencé à la „ charité habitante & justifiante. „ Atque idem quod de fide, de spe concludit, cujus actus „ ne sont pas, inquit, „ sans une espece de commencement de la sainte dilection. „ Hæc de caritate, proculdubio ampliori accepta sensu, pro qualibet boni cupiditate, seu voluntate bona divinitus inspirata. De caritate enim, quæ est amor Dei propter ipsum paullo inferius disseritur, & *pag.* 26. definitur illam esse ad justificationis gratiam obtinendam dispositionem maxime necessariam, vel ut patrio sermone loquitur: „ La plus indispensable disposition. „ Id studet luculenter evincere. Ad memoriam revocat Clerum Gallicanum declarasse temerarios esse, qui doctrinam istam oppugnant: quartum explicationum Bullæ *Unigenitus* inculcat articulum; & doctissimi Bossuetii Meldensis Episcopi profert, explicatque *pag.* 33. *& seqq.* defæcatam libratamque sententiam, sanctum quidem esse timorem Dei, neque hominem reddere hypocritam, sed si ab amore segregetur, conversionem non operari, neque penitus excludere voluntatem peccandi; de quo autem amore loquatur, explicat *pag.* 38. proferens hæc verba prælaudati Bossuetii in Tract. *de dilect. Dei cap.* 28. *pag.* 57. „ L'amour necessaire pour produire une veritable penitence, n'est pas un amour different de l'amour de „ charité, par le quel on aime Dieu pour lui même, „ & comme fin derniere. „ Atque hæc est partis primæ instructionis Archiepiscopi Turonensis compendiaria synopsis.

Altera enim pars christianæ justitiæ notas, & characteres declarat. Quomodo amore Dei contrarius amor vincatur, & per gradus sancta dilectio robustior evadens superet delectationem oppositam, explanat exemplo conversionis S. P. Augustini ex capite 5. libri VIII. Confessionum, eo modo, quo & nos explicavimus *lib.* 13. *cap.* 8. sive tom. 3. *pag.* 154. Systema autem de duplici amore his verbis traditur ibidem *pag.* 118. „ L'esprit de Dieu n'est que charité: l'esprit du monde n'est que cupidité. „ Le premier nous delivre de l'amour déreglé de nous-mêmes, & de choses sensibles, & nous attache à Dieu „ seul: le second nous porte à n'aimer que nous mêmes, „ & à chercher nôtre bonheur dans la jouissance des biens „ perissables. Il est impossible que deux esprits si contrairres regnent ensemble dans un même coeur. „ Loqui Archiepiscopum de caritate & cupiditate in hominum corde regnantibus perspicuum est; quod moneo, ne rursus insimuletur erroris proscripti in vigesimo octavo Baji articulo, vel in propositione Quesnellii quadragesimaquarta.

In tertia *Instructionis* parte, quæ pertractat de servanda, augendaque justitia, disseritur de gratia, quam Sacramenta

menta efficiunt, de usu ipsorum Sacramentorum, ac præsertim de iis dispositionibus, quæ requiruntur ad Sacræ Communionis frequentiam, proposita, commendata, probataque regula Sancti Francisci Salesii libro 2. *Philotheæ* cap.20. circa eamdem Communionem semel in hebdomada percipiendam. Haud levis fortasse caussa hæc fuerunt, ut Turonensis Præsul Jansenianis accenseretur ab iis, qui invidioso nomine *Jansenismi* traducunt Theologos constituentes gratiam in sanctæ dilectionis inspiratione; ejusdem gratiæ per incrementa delectationis exponunt œconomiam; ad attritionem servilem ut caritas initialis in Sacramento Pœnitentiæ accedat, necessum esse propugnant; neque approbant in iis, qui parum in virtute proficiunt, sumptionem Eucharistiæ frequentissimam. Quid sentiat de his doctrinæ capitibus Senonensis Antistes, non quæro; nec ignoro, quod attinet ad postremum, cum ceteris illum convenire Episcopis, qui proscripserunt librum inscriptum „ L' Esprit de Jesus-Christ & de l' Eglise sur la frequent „ Communion. „ Nam & ipse decantatum hoc Opus anno 1747. oppositis animadversionibus exagitavit. Hoc unum affirmo, si in *Instructione Pastorali* Archiepiscopi Turonensis Jansenii dogmata non inveniuntur expressa; frustra in libris de *Theologicis disciplinis* callidus versutusque vitilitigator illa expiscabitur: & si quædam obscuriora in ea occurrebant *Instructione*, quæ aliquantulum commoverant animum Armandi Cardinalis Rothomagensis, aliorumque Præsulum, tamen orthodoxe accepta fuere, ubi Auctor ad commotos animos sedandos declaravit a se 101. Quesnellii propositiones damnari, & Constitutionem *Unigenitus* debita suscipi reverentia; æquitas igitur & ratio postulant, ut si quid occurrit in libris meis pariter obscurum & ambiguum, catholico sensu dictum credatur, dum ore animoque prædictas propositiones me condemnare profiteor, & Constitutionem amplector. Ceterum si Archiepiscopus Turonensium impetitus fuit calumniantium libellis; omnem quoque exsufflavit calumniam, tum postremis litteris ad Eminentissimum Cardinalem Fridericum Hieronymum de Rochefoucault, tum in refutatione, & condemnatione libelli contra se editi, conscripta anno 1749. & Italo quoque idiomate, typisque Venetis recusa anno 1752.

Verum opus non est, ut a sapientissimo Turonensi Archiepiscopo repetamus vindicias Augustiniani systematis; quando Adversarius ipse tanta nobis suppeditat munimenta, cum in iis, quæ in antecessum edidit, tum etiam ex ejus postea scripto traditis elucubrationibus. Enimvero eodem anno, quo perstrinxit Scripta nostra Censorio calamo, dedit quoque Epistolam ad præcipuum adversarium suum, Antissiodorensem Episcopum; in qua certas ad Jansenianos diguoscendos tradidit notas, cum doctrinis Augustinensium manifesto pugnantes. Nititur enim evincere prælaudatum Episcopum labe Jansenianæ hæreseos pollutum esse, quod fuerit unus appellantium ad futurum Concilium.

Id vero nemo unus nobis audebit objicere, posteaquam libro 17. *de Theol. disc. cap.* 5. & 6. quantum ingenioli mei imbecillitas patiebatur, ego quidem pro firmitate Apostolicæ Sedis judicii *in Factis dogmaticis* omni genere argumentorum pugnavi, non utique alio scopo, & fine, quam Constitutionem *Unigenitus* vindicandi. Quod unum sane ad omnem a me exsufflandam suspicionem erroris valeret plurimum, tametsi deessent mihi quælibet alia præsidia. Rectissime enim ajebat Eminentissimus Card. Joachimus Besutius fel. Record. de me librisque meis, quod non pigeat repetere: „ Se si darà una sola occhiata nel „ fine del di lui tomo terzo *De Gratia*, dove porta tutte le sue proposizioni che in questo tomo difende, si „ vedrà che dalla sessagesimaseconda sino alla ottuagesima „ quarta non fa altro che impugnare Bajo, Quesnello, e „ Giansenio, insegnandovi ancora l' infallibilità de' Romani Pontefici ne' Fatti dogmatici; il ch' è segno evidentemente esclusivo di qualsivoglia sospetto di Giansenismo, essendo de' Giansenisti quasi la Tessera, ed il „ loro rifugio il sostenere ingannarsi i Papi nel Fatto di „ Giansenio, abbenchè dogmatico, e perciò non vogliono „ riconoscere che gli errori, condannati nelle cinque proposizioni di Giansenio, sieno nel libro di quest' Autore, nel di lui senso ovvio, e però si ridono quando loro si nomina l' Eresia Gianseniana. „ Auctor etiam Epistolæ inscriptæ *Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam*, tanta præditus animositate, ut *Bibliothecam Jansenisticam* non debuisse proscribi, & libros potius nostros censuræ subjiciendos esse contenderit, quamvis in eam ipse inciderit condemnationem, quam nobis apprecabatur, fatetur totam demum controversiam de Jansenianæ hæresi ad hanc quæstionem fuisse deductam, an in factis definiendis cum dogmate conjunctis irreformabile sit Apostolicæ Sedis judicium. *Neque enim* (inquit contra celeberrimum quemdam Theologum personatus ille, quem paullo superius commemoravi, Doctor Sorbonicus) *Neque enim est, qui nesciat Catholicorum cum Jansenianis controversiam eo demum verti, utrum quinque propositiones, quo ab Ecclesia damnatæ sunt, sensu, revera extent in Jansenii libro? Galliarum Episcopi, regionum omnium Theologi, Pontifices Romani uno ferme seculo in id unum incumbunt, ut in hisce factis Ecclesiam errare non posse confirment.* Etsi vero non ausim ego affirmare, Jansenianos esse omnes quotquot sentiunt Romanum Pontificem aliquando in dogmaticis Factis fuisse obnoxium errori, neque Antijansenianos cunctos pro illa immobilis & irreformabilis certitudinis, absque ulla controversia in rebus ad fidem moresque spectantibus tribuendæ supremo Ecclesiæ rectori, amplitudine, seu ad istiusmodi facta extensione pugnare; propterea quod non semel Theologos, & quidem Apostolicæ Sedi addictissimos, audierim asserentes ignorari a se, quomodo ad hanc *de Factis dogmaticis* quæstionem referenda non sit ea, quæ de Honorii primi Epistolis, olim de hæresi Monotheletica suspectis, magna contentione agitatur: in qua omnes norunt, post Joannem de Turrecremata S. R. E. Cardinalem doctissimum *lib.* 2. *de Eccl. cap.* 93. Venerabilem quoque Bellarminum *lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 11. *num.* 33. post responsiones alias hanc tradere: „ Patres VI. Synodi damnasse quidem Honorium, *sed ex falsa informatione*, ac proinde in eo judicio errasse. *Quamvis enim* „ (verba sunt præstantissimi Scriptoris Controversiarum „ christianæ fidei) *generale Concilium legitimum non possit* „ *errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus fidei* „ *definiendis, tamen errare potest* in quæstionibus de facto; „ de qua summi Viri doctrina, quam nuper varia fuerint Romanorum Consultorum judicia, quæ oppositiones, quæ responsa, quæ nondum dispunctæ animadversiones, puto eruditorum virorum latere neminem: Etsi, inquam, non ausim ego affirmare ad hoc unum totam de Jansenismo controversiam eo fuisse deductam, an Ecclesia in *Factis dogmaticis* errare possit, & esse tamquam Jansenianos traducendos id asserentes; ac fortasse variarum quæstionum haud necessaria permixtio præcipuam, certisque limitibus coarctandam controversiam reddidit magis obscuram, atque implicatam: nihilotamen minus evidentissima res est, neminem posse Jansenianæ hæreseos insimulari, modo Constitutionem *Unigenitus* recipiat, atque statuat, & demonstrare adnitatur, in ea promulganda, ac proponenda fidelibus, errorem nullum irrepere potuisse in Pontificem Maximum; id Languetio asserente ubi fatetur Archiepiscopum Turonensem a se amovisse omnem Jansenianiseroris suspicionem, atque ad illum imitandum hortatur Antissiodorensem Episcopum: id tradente Eminentissimo Cardinali Besutio, ubi protulit jubente BENEDICTO XIV. suum de libris nostris judicium; id insuper fatente cum nostris reliquis adversariis, qui sub larva Doctoris Sorbonici pro indemnitate Bibliothecæ Jansenisticæ irrito conatu, & infelici eventu certavit.

Repetat modo, precor, obtestorque lectorem candidum atque ingenuum, quæ a me lib. 17. præcitatis quinto & sexto capitibus de Romanorum Pontificum in *Factis dogmaticis* definiendis certissimo firmissimoque judicio conscripsi: iis enim perlectis spero fore, ut quisquis de me hactenus sententiam protulit iniquissimam, quem sistens me ad Apostolicæ Sedis tribunal patior accusatorem, judicem non revereor, ita stimulante conscientia judicium haud æque libratum revocet & retractet. Si Jansenianorum tessera & nota est, in Factis cum dogmate conjunctis, sive in alicujus libri definiendo, vel proscribendo sensu, auctoritatem Romani Pontificis, judiciique ejus firmitudinem deprimere, atque oppugnare; si huc demum tendit universa catholicorum cum novis dogmatistis controversia; quo jure Galliarum Archiepiscopus nobis pugnantibus pro illa auctoritate ac firmitudine teterrimum probrosissimumque stigma conatur inurere? Quamquam vereor, ne Galliarum Theologi, ac Præsules hunc Jansenianæ factionis characterem irrideant; quum eos inter existant complures, qui nedum in Factis, sed in dogmatibus quoque, interdum falli Romanæ Ecclesiæ Pastores existimant, aut certis finibus ita illorum τὴν ἀσφάλειαν circumscribunt, ut hanc pigmentis & verborum fuco potius obtendant, quam proferant in aspectum. Qui vero inerrantes commonstrare studuit *ex hodierna Gallicanæ Ecclesiæ doctrina*, Opere procuso Leodii anno 1747. a me ipso, ut priores ostendunt paginæ, commendatur quammaxime: idque pariter sententiæ hac in re nostræ alterum est munimentum. Sed reliquas Jansenismi notas a Languetio citata Epistola traditas persequamur.

Alteram Bajanismi & Jansenismi notam adversario suo Languetius his verbis impingit: „ Ne vois-je pas dans ces „ lettres que vous avez signées, que vous y adoptez expressement ce dogme favori de Quênel, apres Baïus & „ Jansenius, si souvent & si expressement condamné dans „ ces novateurs, & qui est la clef de tout le sistême erronée de Jansenisme, *qu' il n' y a que deux amours, la* „ *charité & la cupidité*; en sorte que tout ce qui ne vient „ pas de la charité, au moins commencée, vient de la „ cupidité? „ Hujus basis, cui tota Jansenismi machina hæret, ita pravitatem detegit in sua prima *Institutione Pastorali* edita Suessione Calendis Januariis anno 1718. *Quandoque author propositionum in pluribus ex eis docuerit, sine caritate nec Deum, nec religionem esse, nullum esse opus bonum, ipsam quoque, quæ legi exhibetur, obedientiam esse meram hypocrisim; debetne Ecclesia, quæ errores hos manifestos*

festos vult radicitus evellere, eisque adimere captiosas expressiones, quibus possunt se contegere, debetne, inquam, huic propositioni parcere, Sola caritas facit actiones christianas? *Fateor nullam esse actionem perfecte christianam, cœlique meritoriam, nisi vivificetur a caritate; sed propositio 33. persuadere posset actiones, quæ ante caritatem exercentur ex motivo fidei, spei, vel timoris supernaturalis, non esse actiones christianas; vel actiones quæ fiunt in statu caritatis habitualis ex proprio virtutum a caritate distinctarum motivo, non habere rationem meriti: Eadem ratione damnantur in authore Reflexionum Moralium hæ duæ propositiones*, 44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos & mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. 46. Cupiditas, aut caritas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt. *Harum, inquiunt, duarum propositionum prior est Cardinalis Hosii. Addendum est, etiam esse Baji, & esse trigesimam octavam in isto authore damnatam. Sed enim, potestne propositio in probatis Authoribus esse bona, & prava in aliis? Omnino sane, propter æquivocationem voci* Amoris Dei *annexam. Vox illa in Augustino, & exiguo Authorum numero subinde generaliter sumitur pro omni bona voluntate, pro omni amore boni! ast sanctus ille Doctor simul cum illo principio agnoscit, & in peccatoribus, in quibus dominatur cupiditas, quasdam actiones bonas, & in ipsismet infidelibus quædam justitiæ opera, quæ luce ea diriguntur quam imago Dei hominum omnium animis impressa sibi conjunctam habet. Verum in authore Reflexionum moralium vocabulum* Amoris *sæpe determinatur voce* Caritatis, *quæ juxta usum nostrum non est tam patentis significationis. Secundum alias ipsius propositiones* absque caritate nullum est opus bonum, totum est peccatum, ipsa etiam præstita legi obedientia non est nisi hypocrisis; *ex quo conficitur, peccatores sub regno cupiditatis nullum exercere opus bonum, & infidelium actiones, etiam quæ laudem merentur, totidem esse peccata*. Hactenus Suessionensis, deinde Senonensis Antistes Languet.

Universam hanc de pravo sensu systematis duorum Amorum doctrinam a sapientissimo Præsule traditam amplectuntur Augustinenses Theologi, quorum unus, & quidem Lovaniensis, nobisque per omnia consentiens *Pastoralem* illam *Institutionem* cum duabus aliis in Latinum e Gallico sermone anno 1719. convertit, & Lovanii in lucem edi curavit. Sed ne mentio fiat ceterorum, nonne eadem ego scripsi differt. 1. Apologetici Operis cap. 1. pertractans de sensu Bajani articuli trigesimi octavi? Nonne eadem prorsus de propositione 44. Quesnelli? Nonne semel iterumque declaravi *Caritatis* vocabulum ab Augustino, & a nobis accipi sæpenumero, & præsertim in definitione gratiæ singulos actus bonos prævenientis, *pro bona voluntate, pro amore boni*? Annon initio prælaudatæ dissertationis scripsimus (*a*)? „ Si ubicumque sedem regnumque non tenet amor justificans, ita præest cupiditas noxia, ut sibi subjiciat actus omnes creaturæ rationalis, eosque jubeat, regat, ac moderetur; quidquid faciet peccator nondum justificatus, utpote profectum a radice vitiosæ cupiditatis, erit peccatum & inquinamentum: atque ita, licet Spiritu Sancto moveute, & nondum inhabitante, timorem concipiat, perpendat peccatorum suorum turpitudinem, in spem veniæ erigatur, & etiam per actus initialis amoris, imperfecti nec prædominantis, ad gratiam in Sacramento obtinendam sese disponat; attamen hæc omnia erant damnabilis cupiditatis effectus, hujusque contubernio, atque influxu corrupta. At qui non execratur hæreticam hanc, perniciosam, horrendissimamque doctrinam? ex qua manifestissima consecutione deducitur, quidquid fit a peccatore peccatum esse, timorem quoque, spem, detestationem peccati, attritionem servilem, necnon actum caritatis perfectæ atque imperfectæ. „ Hisce verbis rejicitur ne duorum amorum principium, quatenus inde conficitur, peccatores sub regno cupiditatis nullum exercere opus bonum? Rejicitur utique, & majori, quam Languetius faciat (absit tamen invidia verbo) emphasi atque perspicuitate. De caritate itidem, & de cupiditate minime prædominantibus paullo post meam ad hunc plane modum mentem declaro (*b*): „ Falsissimum est, opera omnia, quæ non proveniunt a caritate actuali, sive perfecta, sive imperfecta, oriri ex cupiditate vitiosa, ac proinde ex caussa, ac principio in eadem opera influente corrumpi, & infici, ita, ut intrinsecus, & quoad substantiam suam, quoad proximum propriumque objectum sint prohibita, sint flagitiosa, sint damnabilia. Enimvero, ut paullo antea dicebam, nullus ratione prædictus dicturus est unquam, ex cupiditate vitiosa derivare officia moralium virtutum, & peccata esse actus pietatis, quos in parentes exercent filii familias, subsidia, quæ indigentibus viri misericordes impendunt, excubias & vigilias civium pro incolumitate patriæ, studium honestatis, abominationem dedecoris, ac turpitudinis, salutis curam, aliaque id genus: quæ non ex actuali cupiditate, sed ex naturæ instinctu, ex humanarum legum præscripto, & ex omnium gentium consuetudine, cum a fidelibus, tum etiam ab iis, qui fide sunt destituti, sæpenumero efficiuntur. Numquid enim vitiosa cupiditas dicenda est lex naturæ a Deo singulorum cordibus inscripta? numquid vitiosa cupiditas amor honestatis ac probitatis? numquid vitiosa cupiditas jus & necessitudo gentium universarum? „ Atque hæc, libris nostris theologicarum Quæstionum, ut prolixa illa Apologia demonstratum est, cohærentia, & quæ de *Caritatis* vocabulo ab Augustino, nobisque pro bona voluntate, seu pro cupiditate boni, quæ prævenit singula bona opera, in amplior significatione usurpato, quemadmodum *differt. 4. cap. 1* necnon in ista quoque lucubratiuncula ostendimus, illam totius Janseniani erroris basim a nobis eodem impetu, iisdemque cuniculis, ac a Languetio, subverti nemo, quamvis obtusi ingenii sit, rudisque minervæ, perspicue evidenterque non percipit. Quamobrem, judice ipsomet adversario, a Jansenianо systemate distat toto cœlo quod nos, ceterique sodales nostri propugnant.

CAPUT II.

An systema duarum delectationum fuerit ab Ecclesia damnatum.

Reliquas Jansenianæ hæresis notas, quas in sua Epistola præstantissimus Senonensis Præsul opponit Antissiodorensi, quoniam ab illo minime nobis objiciuntur, & de iis insuper alibi pertractavimus, puto esse prætermittendas. Sed movere tardioris ingenii aliquem potest ea quæstio, sit ne alia Jansenianæ Factionis tessera, Gratiæ per se effectricis naturam constituere in sanctæ delectationis inspiratione, a qua delectatio superetur opposita. Dixi de eadem quæstione permulta *in Vindiciis differt. 4.* nec opus est, ut singula repetantur. Sane inde constat, statui a nobis efficientis gratiæ energiam in sancta delectatione superiori, per quam salva libertate indifferentiæ delectatio contraria vincitur & substernitur; & Jansenium delectationem, quæ gradu excedit alteram, invincibilem invexisse, ineluctabilem, & quæ libero voluntatis arbitrio vinculum injiciat necessitatis, sola in eo permanente libertate lubentiæ, quam coactio sola, & violentia, trahendo invitos, & reluctantes, interimit. Quid senserint præclarissimi Theologi, Cardinalis Norisius, Franciscus Macedo, Cardinalis Brancatius de Laurea, Joannes Gonzalez de Albenda, Petrus Manso, aliique Thomistæ, & Ægidiani complures, ex prælaudata quarta dissertatione poterit unusquisque deprehendere. Addam autem in præsentia quædam obvia, & quæ nemini obscura, vel ambigua sint, momenta, quibus traditum a nobis systema immune tutissimumque dignoscitur a qualibet censoria nota.

Principio nonnullis celeberrimam Constitutionem *Unigenitus* temere sugillantibus, quasi quorumdam catholicorum sententias eadem Constitutio perstringeret, obstruere impudentia ora, atque obtrectantium calumnias compescere, & exsibilare studuit Beatissimus Pontifex *Clemens XI.* Constitutione *Pastoralis*, edita anno 1718. v. Kalendas Septembris. In qua ad illorum cohibendam, frænandamque licentiam, qui Augustinensium, vel Thomistarum placita cum reprobatis Quesnellii propositionibus vel inscienter, vel inofficiose confundunt, ad hunc loquitur modum: *Præterea ut pessimæ caussæ splendidum patrocinium concilient, præfatæque Constitutioni majorem undecumque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant, eo quod suspicentur per illam damnari sententias atque doctrinas, quas insignes catholicorum scholæ absque ulla censura hactenus tenuerunt, ac tradiderunt. Cum tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Patrum vestigiis, immo & ab earumdem Scholarum instituto, quod verbis profitentur, reipsa recessissent, probe reminisci deberent, quod illarum principes, quorum nomina pertinaciæ suæ temere prætendunt, quemadmodum & ceteri illustriores Ecclesiæ Scriptores suum esse semper duxerunt, ut ab Apostolica Sede discerent, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam scripta sua examinanda, & emendanda dirigerent, ut inde lumen catholicæ fidei reciperent, ubi non posset fides ipsa sentire defectum: ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri auctoritatem defenderet. Ceterum in hoc ipso præpostero judicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim excæcaret eos malitia, eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam, & libere in catholicis Scholis, etiam post editam a nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri, ac defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis & æmulationis, & non viderunt solem lucidissimæ veritatis.* Hæc Summus Ecclesiæ Pontifex *Clemens XI.* Similia vero decreverunt *Benedictus XIII.* Apostolicis litteris, quarum initium est, *Demissas preces*, datis anno 1724.

(*a*) Tom. 1. Vind. pag. 5. (*b*) Eodem Tom. 1. pag. 7.

1724. die 6. Novembris, & *Clemens XII.* litteris aliis Apostolicis, quæ incipiunt, *Apostolicæ providentiæ officio*, emanatis anno 1732. die secunda Octobris.

Præpostero itaque judicio nobis calumniantur, excæcantur malitia sua, diligunt magis tenebras, quam lucem, atque super eos illapso igne æmulationis & contentionis, solem non vident lucidissimæ veritatis, qui cum erroribus per Apostolicam Sedem damnatis confundunt sententias illas, ac doctrinas, quæ palam & libere in catholicis Scholis etiam post editam Constitutionem *Unigenitus*, & sub oculis Romanorum Pontificum docentur, & propugnantur, ac propterea minime per eamdem Constitutionem fuerunt proscriptæ. Eritne mortalis unus, qui excipiat Sedis Apostolicæ Oracula, atque huic assertioni adversetur? Nequaquam. At sententiam Norisii Romæ fuisse semel iterumque discussam, Fulgentium Bellelli post Constitutionem *Unigenitus* eadem in Urbe systema victricis delectationis palam verbis, scriptisque propugnasse, ibidem Antoninum Massouliè Ordinis Prædicatorum duobus amplissimis Voluminibus a suprema S. Officii Congregatione approbatis idem tradidisse systema, & depromtis ex Angelico Doctore amplissimis testimoniis locupletissime vindicasse, atque ut cetera præteream silentio, me in ipsa Urbe Roma cum libros *de Theologicis Disciplinis*, tum prælaudati systematis *Vindicias*, præviis Censorum judiciis, Superiorum assensu, nec ignaro Pontifice sapientissimo, typis vulgasse: hæc, inquam, est ne in Orbe litterario unus, qui ignoret? Nequaquam. Consecutione itaque legitima, evidentissima, ineluctabili infertur, eos, qui laudatum systema tamquam proscriptum carpunt, atque traducunt, in hoc præpostero judicio consuetum calumniandi morem non derelinquere, excæcari malitia, diligere magis tenebras, quam lucem, igne contentionis & æmulationis exstimulari, nec videre solem lucidissimæ veritatis.

Et quoniam Antonini Massouliè nuperrime mentionem fecimus; en indemnitatis ipsius, de quo pertractatur, systematis monumentum alterum. In Romano Indice librorum prohibitorum comprehenditur Censura quædam Duacensis, *donec corrigatur*. Inquirendum est, quænam sit hæc Censura, & quid in ea corrigendum. Libro igitur 17. Actorum Sacræ Congregationis *Indicis* hæc leguntur: *Die trigesima prima Augusti* 1728. *provolutus ad pedes Sanctissimi Secretarius petiit ab ipso quid decernendum judicaret circa Censuram Duacensem, cujus judicium sibi reservavit. Cui respondit se una cum Commissario S. Officii decrevisse ut prohiberetur, donec corrigatur, tum in parallelo facto inter doctrinam Lengrand, & Marechal, in quo multæ leguntur doctrinæ Thomistarum, quas uti damnatas in Jansenio supponit, cum tamen non sint damnatæ; non enim omnia a Jansenio prolata damnata fuere ab Ecclesia, & a SS. Pontificibus, sed tantum ea, quæ leguntur in quinque famosis propositionibus prescriptis; tum etiam corrigatur in Censuris illatis, & expresse in ipsa Censura contra Massouliè, & Contensonium, & præcipue contra D. Thomam, qui in eodem articulo ab ipsis Censoribus allato abunde se explicat, Christum mortuum fuisse per omnibus, & singulis peccatoribus, licet tantum efficaciter mortuus sit pro electis, uti respondet ad 2. ibid. Quapropter mandavit Secretario, ut una cum aliis libris, sive prohibitis, sive ab hac Congregatione prohibendis, poneretur etiam Censura Duacensis, non quidem absolute, sed cum addito, Donec corrigatur.* Id executioni mandatum est die 18. Julii anno 1729. Eodem libro 17. sequentia ad eamdem Duacensem Censuram spectantia leguntur; *Feria 3. die 3. Aprilis* 1731. *fuit etiam lectus supplex libellus Canonici Tussani Theodori du Many pro correctione habenda Censuræ Duacensis prohibitæ, donec corrigatur*, 18. *Julii* 1729. *Cui responsum fuit, ut ipsi Doctores Universitatis Duacensis corrigant, auferendo omnino parallelum in ipsa expositum doctrinæ aliquorum Doctorum cum doctrina Jansenii, eo quia in eodem parallelo sunt plures doctrinæ Thomistarum, quæ tamquam prohibitæ, & damnatæ in Jansenio exponuntur. Et pariter auferatur ab ipsa Censura id, quod dicitur de doctrina S. Thomæ, & Massouliei, & Contensonii. Et postea ad Sacram Congregationem remittatur correctio ita peracta, ut ab ipsa examinetur, an bene.* Hæc, aliaque alibi fuerunt producta adversus Historicum, qui nobis *Censuram Lovaniensem* anni 1587. & *Duacensem*, nescio, an majori stupiditate, an temeritate objecit, in semetipsum cachinnos, quos crispante naso, & lepidulo stylo ingeminaverat nostras lucubrationes exagitans, infeliciter arcessendo. At modo ad rem aliam tali utimur monumento. Si enim repetita Sacræ Congregationis declaratione in Jansenio *ea tantum damnata fuere, quæ leguntur in quinque famosis propositionibus proscriptis*; qua ratione dici potest in Jansenio damnata illorum sententia, qui gratiam suapte natura efficacem constituunt in inspiratione sanctæ delectationis, quæ a nullo duro corde respuitur, & qua aufertur cordis duritia, quum in nulla ex quinque proscriptis propositionibus sententia ista enuntietur? aut si Jansenianis dicendi sunt, qui delectationem illam victricem esse contendunt relative ad contrariam delectationem carnalem; quomodo Jansenianis connumerandus non est Antoninus Massouliè pro delectatione illa relative victrici tanta copia argumentorum decertans? Quare Summus Pontifex, & Sacra Congregatio parallelum doctrinæ hujus Doctoris cum doctrina Jansenii non patitur, & prohibet Censuram illam Duacensem, *donec corrigatur*? Huc referri possent decreta Summorum Pontificum *Innocentii XI. & XII.* & Regia quoque Edicta, quæ produximus in Præfatione *Vindiciarum pag.* xxxv. & xxxix. sed non opus est, ut eadem sæpenumero repetantur.

Insuper memoratæ Sacræ Congregationis jussu auctor Operis italice inscripti, *De' principj della morale filosofia*, Orbi litterario notissimus (*a*), coactus est declarationem obtestationemque libro suo præmittendam conscribere, typisque in lucem emittere; in qua nonnulla doctrinæ suæ capita sibi ab eadem Sacra Congregatione indicata explanare debuit, & retractare. Illorum Sextum ita vulgari sermone compactum est: „ VI. Pare altresì, che nel dia„ logo 8. del libro 2. io censuri come Giansenianо il si„ stema di que' Teologi, che riponendo l' efficacia della „ divina grazia nella dilettazione celeste superiore di gra„ di alla terrena, rigettano nondimeno le cinque propo„ sizioni di Giansenio, e che inoltre io dica essere un „ tal sistema espressamente condannato dalla Chiesa. So „ che vi sono autori Cattolici, i quali ammettendo, che „ non ostante qualunque dilettazione superiore, che si „ trova nell' anima, la medesima sia sempre fornita d' „ una libertà d' indifferenza, e d' una vera attiva poten„ za alla parte opposta, talmente che a i giusti non sia„ no mai impossibili i divini precetti, nè manchi loro la „ grazia, per cui si rendono loro possibili, difendono co„ me cattolico il suddetto sistema, intorno al quale non „ ha fin ora proferito la Chiesa alcun giudizio. Per con„ seguenza quanto ho detto in tutto quel dialogo per „ mostrare la conformità di questo sistema colla dottrina „ di Giansenio, e con gli errori contenuti nelle cinque „ proposizioni, mi protesto, e dichiaro averlo detto *argu„ mentandi gratia*, come si pratica nelle Scuole, dove im„ pugnando la sentenza contraria si procura per via di „ discorso teologico dimostrare, che la medesima abbia „ connessione e affinità con qualche dottrina proscritta „ dalla Chiesa, ma non si pretende perciò, che tale opi„ nione rimanga già proscritta. Avverto pertanto il let„ tore, che in questo senso solamente intendo, che sia „ presa la taccia di Giansenianо da me data in quel dia„ logo al mentovato sistema.

Demonstravi per omnium Theologorum classes discurrens *dissert.* 5. *cap.* 1. quam inepte ex consecutionibus ab adversario deductis alicui, easdem consecutiones deneganti, erroris nota inuratur, tum doctrina Clarissimi Meldensis Episcopi Jacobi Bossuet, tum exemplis compluribus quæ modo repetens non faciam jacturam temporis, cum notissima sint, & paullo post confirmanda. Hoc unum ab ingenuo lectore petam, Quare, Sacra Congregatione jubente, Molinista hujus ætatis Theologus declarat prædictum systema propugnari ab auctoribus Catholicis, neque esse ab Ecclesia proscriptum, si revera ab Ecclesia damnatum est, atque in eo damnatum Jansenii dogma comprehenditur?

Sed ex Censura Eminentissimi Cardinalis Joachimi Besutii hic nostræ ratiocinationi haud leve pondus accedit. Is enim Censuram priorem adversus nos Summo Pontifici exhibitam eo mandante ad trutinam revocans de systemate superius descripto ista protulit: „ Il principio degli „ errori circa la Grazia si pone dal Censore nelle due „ dilettazioni relative, e indeliberate, quando non dee „ riporsi in queste precisamente, ma come necessitanti di „ necessità fisica, ed antecedente, senza lasciare la liber„ tà d' indifferenza, ma la sola *a coactione* a seguir ciò, „ che più diletta. E tutto questo complesso esser la fon„ te delle cinque proposizioni dannate in Giansenio, si „ raccoglie dalle stesse proposizioni; altrimente la Chiesa „ avrebbe recisi i rami, e lasciata intatta la radice del „ male contro ogni regola di buon governo. E abbenchè „ il Tournely, seguito forse dal Censore con l' autorità di „ Giansenio, e de' Giansenisti si sforzi di far vedere, inse„ gnar questi la dilettazione vincitrice relativamente a' „ gradi, e da questa nascere i loro errori circa la Grazia; „ ciò non ostante non tutto ciò, che scrivono Giansenio „ e i Giansenisti sono errori, siccome nemmeno tutto „ ciò che scrivono Calvino e Lutero; e la fonte de' loro „ errori non dee prendersi dall' uno, o altro testo, ma „ dall' intiero contesto della dottrina; e nel particolare „ di Giansenio da quelle parole nel libro 2. *De Gratia* „ cap. 1. dove vuole, che senza la dilettazione superiore „ sia *tam impossibile voluntati, ut bene velit & operetur, „ quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel „ tibiis fracto ut recte gradiatur, vel avi ut volet sine alis.* „ Il che come vede qualsisia, importa una necessità fisi„ ca ed antecedente, che leva la libertà d' indifferenza „ all' opposto. Quindi insegnando puramente i Padri Bellel-

(*a*) P. Nicolaus Ghezzi Soc. Jesu.

„ Bellelli, e Berti il sistema delle due dilettazioni in-
„ deliberate, e relative, ma negando apertamente questa
„ fisica, e antecedente necessità di seguir ciò, che più di-
„ letta, e sotto la maggior dilettazione difendendo la li-
„ bertà d'indifferenza, chiaramente ne segue, non se-
„ guir loro il funesto, ed erroneo principio in materia
„ della Grazia da Giansenio insegnato, e difeso. „ Si-
milia inferius repetit vir doctrina, probitate, & dignita-
te clarissimus. Qui eorum quoque dicteria, qui ajunt
quinque Jansenianas propositiones, & posteriora iisque
cohærentia dogmata, seu Baji præcedentes articulos a no-
bis oretenus, verborumque foco rejici, & reprobari, sed
esse systematis nostri sponte sua fluentia, atque apertissima
consectaria, subjecta ratiocinatione retundit: „ Il Cen-
„ sore da pure illazioni, e conseguenze dedotte da quan-
„ to hanno scritto i più volte mentovati Religiosi, vuole
„ che questi, e i loro libri sieno infetti di Giansenismo;
„ ma rigettando, e detestando i medesimi manifestamente
„ nelle sue Opere, com'è palese, l'eresia Giansenianа, e
„ tutte le proposizioni di Giansenio, e Quesnello nel sen-
„ so, che questi l'hanno insegnate e prese da' loro libri;
„ ne siegue, che nè le persone, nè i libri debbonsi avere
„ per infetti degli errori suddetti. Questa sequela ci vie-
„ ne comunemente insegnata da quel principio comune
„ appresso gli uomini dotti, di non doversi qualificare nè
„ le persone, nè le dottrine dalle conseguenze, che o que-
„ sto, o quello ne va deducendo. Onde Monsignor Bos-
„ suet nel suo celebre libro dell'Esposizione della Dot-
„ trina della Chiesa Cattolica, parlando nel cap. 2. di
„ quanto confessano i pretesi Riformati, cioè, che la
„ Chiesa Cattolica riceve tutti gli articoli fondamentali
„ della Religione Cristiana, così lasciò scritto = I pre-
„ tesi Riformati, che vedono i vantaggi, che possiamo
„ cavare da questa lor confessione, ce gli vogliono levare
„ con dire, che noi distruggiamo questi articoli, ponen-
„ done altri contrarj. Il che cercano di stabilirvi *col mez-*
„ *zo delle conseguenze, che tirano dalla nostra dottrina*. Ma
„ l'istesso Baile (che loro cito di nuovo, non tanto per con-
„ vincerli colla testimonianza d'uno de' loro più dotti mi-
„ nistri, quanto per esser ciò, ch'egli dice, evidente per
„ se medesimo) insegna loro ciò, che s'avrebbe a crede-
„ re di questa sorta di conseguenze, posto che si potesser
„ tirare delle cattive dalla nostra dottrina. Ecco come
„ parla nella Lettera scritta al Signore Monglat in pro-
„ posito della sua Apologia dell'unione de' Calvinisti a'
„ Luterani = Ancorchè l'opinione de' Luterani intorno
„ l'Eucaristia porti secondo noi tanto, quanto quella di
„ Roma, la distruzione dell'Umanità di Gesù Cristo,
„ questa conseguenza non si può loro attribuire senza ca-
„ lunnia, perocchè essi la rigettano formalmente. = Co-
„ sì Monsignor Bossuet: il che se non fosse vero, biso-
„ gnerebbe ancora proibire le Opere, e tenere per Ateo l'eru-
„ ditissimo P. Tomassini, giacchè l'Arduino nel suo li-
„ bro *Athei detecti* a forza di conseguenze dedotte dalle
„ di lui Opere lo vuol far credere, e passare per tale.
„ Se le conseguenze di Giansenismo dedotte dal Censore
„ dall'Opere de' PP. Bellelli, e Berti fossero evidenti,
„ allora com'erronee queste condannar si dovrebbono, ma
„ forse assolvere si dovrebbono le persone per non aver co-
„ nosciuta questa evidenza: ma non essendo evidenti, e
„ sciogliendosi probabilmente, il voler per queste far cre
„ dere i libri, e gli autori per Giansenisti, sarebbe l'
„ istesso, come il voler far passare per Calvinisti i To-
„ misti, e per Semipelagiani i Medisti, giacchè a forza
„ di conseguenze gli uni, e gli altri dalle respettive dot-
„ trine ne inferiscono o il Calvinismo, o il Semipelagia-
„ nismo. „ Hæc Vir doctrina, & ecclesiastica dignitate
conspicuus. Quem idcirco præ ceteris nominavi, quod ad-
dictus fuerit Congruistarum sententiæ, atque peculiari
laude commendandus, quoniam se abripi non permiserit,
ut faciunt plerique, Scholasticorum dogmatum præjudi-
ciis.

Oportet modo, ut cujusdam Anonymi Scriptoris, quo
nemo mortalium obtusius habet ingenium, insciriam hoc
in loco detegam, aut petulantiam, qua nos Romanorum
Censorum approbatione suffultos putat valida ratiocinatio-
ne perstringere, quoniam iidem Censores interdum sinunt
theses a se oscitanter, ac perfunctorie perlectas, quamvis
vel erroneas vel dubias, emitti in lucem, atque in pu-
blicis disputationibus propugnari. Quod utique poterat,
tametsi temere pronuntietur, confirmare testimonio Ho-
norati Tournely Parisiensis Theologi: qui tomo primo *De
Gratia*, pagina editionis Parisiensis 693. de Opere Anto-
nini Massouliè, Augustiniani circa victricem delectationem
systematis propugnatoris acerrimi, hæc litteris tradidit:
*Nec te moveat, quod dictum Opus Romæ sub oculis Summi
Pontificis typis mandatum fuerit. Nonne liber Cardinalis
Sfondrati Romæ pariter editus fuit, & cum Summi Pon-
tificis Innocentii XII. commendatione, & Cardinalium plu-
rimorum plausu? Non tamen religioni contrarium duxere
nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi Gallicani dictum librum
veluti plures errores continentem denuntiare Summo Pontifici
Innocentio in solemni epistola scripta 7. Kal. Martii an-
no 1697.*

Verum cavillulas istas excussit prælaudatus Cardinalis
sapientissimus ea, quæ paullo post subjicienda est, anim-
adversione. Nunc enim reponimus, non thesi aliqua
ambiguis verbis exposita, sed prolixis disputationibus, il-
lud a nobis propugnatum esse systema: Viros in Urbe do-
ctissimos, quorum alter nunc Vaticana Purpura fulget, &
cum Norisianis positiones nostras contulit sedulo, diligen-
terque, plenis calculis sententiam nostram probasse: post
adversariorum nostrorum delationes libros nostros subiisse rur-
sus examen; neque solum Cardinalem Besutium, sed & Pur-
puratorum alterum, & Cassinensium Monachorum Ab-
batem, longe sapientissimos, Antoninum Bremond, eve-
ctum postea ad supremum FF. Prædicatorum regimen, ac
magisterium, ut ceteros prætermittam, eos etiam, quo-
rum suffragia nostris præmittuntur Vindiciis, idem de no-
bis tulisse judicium. An itaque ii, qui ante, & post edi-
tionem librorum nostrorum, cuncta horum theoremata re-
vocarunt ad trutinam, & cum aliorum Theologorum as-
sertionibus compararunt, ac semel, iterumque jubente Ponti-
fice vigilantissimo omnem intenderunt animum in prælauda-
tum systema dijudicandum atque expendendum, nulla nobis-
cum vel patriæ, vel sanguinis, vel instituti, vel scholæ, vel
familiaritatis necessitudine conjuncti, doctissimi, liberri-
mi, in hanc rem e variis cœtibus electi, atque Pontificis
Maximi jussa exequentes, æquiparandi sunt Censoribus
aliquam thesim neglecte & oscitanter legentibus? Hujus
esse generis Romanos Theologos, quorum consiliis, judi-
ciisque sacræ utuntur Congregationes, quibus non hæc
duntaxat, verum etiam graviora negotia committit supre-
mus Ecclesiæ Rector, & quos ob singulare doctrinæ spe-
cimen, ob diligentiam quam adhibent maximam, ob me-
ritorum splendorem condecorat Purpura, aut affirmari non
potest absque incredibili temeritate; aut, quod turpius
est, spernentibus Apostolicas Constitutiones exhibetur oc-
casio asserendi, ignaros esse Theologos, qui Romæ de-
gunt, vel si qui sunt mediocri præditi ingenio, illos in
consultationem adhiberi, qui vel numquam legerunt, vel
numquam perceperunt quid sit probandum, quid proscri-
bendum. Quod si nonnulli ex Novatoribus audeant,
Scriptoribus hisce Romanensium Theologorum irrisoribus
Ecclesia referre debet acceptum. Quid vero de tot,
tantisque apud Supremum Sanctæ Inquisitionis Tribunal
Norisianorum Operum discussionibus? Quid de Apostoli-
cis litteris, quibus idem Norisius, a quo nec latum re-
cessimus unguem, *Romanæ Ecclesiæ splendidissimum lumen*
vocatur? Quid de Epistola Pontificis Maximi ad His-
paniarum Inquisitorem, qua describitur Norisianæ caussæ
ventilatio, ex indubiæ fidei monumentis e Sacræ Con-
gregationis Archivo erutis? quid de paullo antea com-
memorata Duacensis Censuræ proscriptione, donec inde
Massouliea, & Contensonio illata calumnia abradatur?
Sunt ne hæc omnia Virorum thesibus ad disputandum pro-
positis inconsiderate, negligenterque subscribentium? Ne-
mo unus erit, si excipias verbosum illum, verbosum,
inquam, ut ea moderatione utar, quam in ipso cuncti
desiderant, ex cujus ore tam infaceta, ineptaque fluant;
nec fateatur esse, quæ modo produximus, orthodoxi sy-
stematis certissima, locupletissima, splendidissima testimo-
nia.

Dicendum nunc de Honorati Tournely adversus Mas-
souliei, ideoque adversus Augustinensium systema, judi-
cio. Ac primum Eminentissimi Besutii longior respon-
sio, deinde nostra brevior est proferenda. Ille ita docte,
luculenterque: „ Siccome il libro del Cardinal Sfondrati
„ con il titolo *Nodus Prædestinationis*, ch'è quello, con-
„ tro di cui scrissero la famosa lettera gli Arcivescovi
„ Tellier, e Noallies, e i Vescovi Bousset, de Seve, e
„ de Broi, non contiene, ciò non ostante, veruno erro-
„ re, come dalla replicata disamina, che ne fu posterior-
„ mente fatta, così pure dee presumersi del P. Massou-
„ liè, quale se fu stampato con la licenza di questo Sant'
„ Offizio, ciò al solito non seguì, se non dopo che fu
„ con severo esame riconosciuto immune dal Giansenis-
„ mo. Nè l'autorità del Tournely, che lo giudica infet-
„ to, ci dee muovere, perchè a giudicare sinistramente
„ d'un libro non basta l'autorità d'un autore, ma biso-
„ gna vederne molti, e se si potesse ancor tutti, come
„ con prudenza avvertisce Teofilo Rainaud *De malis, ac
„ bonis libris p. 3. Erotem. 3. num.* 358. che n'assegna
„ la ragione con le seguenti parole: *Probabile aliquid es-
„ se revera potest, quamvis nobis juxta nostra principia, &
„ præconceptiones videatur falsum*. Ciò stante, se in vigo-
„ re delle ragioni del Censore si passasse a condannare i
„ libri del P. Bellelli, e del P. Berti, comechè non
„ contengono che le dottrine insegnate dal Noris, e
„ Massouliè, sarebbe un riprovare implicitamente que-
„ ste dottrine, di già con replicati esami dalla Supre-
„ ma Inquisizione giudicate immuni d'errori, e dar a-
„ dito, che guadagnato questo passo, s'avanzasse qual-
„ cuno a ricercare la condanna dell'Opere del Noris, e
„ Massouliè, e in conseguenza a redarguire d'incauto,
„ e negligente in materia di fede il Tribunale Supremo,
„ che con tanta sollecitudine invigila per conservarne la
„ purità; e di più dar motivo d'impugnare, e far poco

„ conto delle sue decisioni, come appunto scriveva Gela-
„ sio Papa nella sua 3. lettera ad Onorio: *Si quæ anti-*
„ *quitus a nostris majoribus cognita, discussa, refutata*
„ *sunt, instauranda nitamur; nonne ipsi nos (quod absit,*
„ *& quod numquam Catholica patietur Ecclesia) adversa-*
„ *riis veritatis Universis contra nos insurgere proponimus e-*
„ *xemplum?* „ Atque hæc est sapientissimi Cardinalis responsio.

Responsio autem nostra, quoniam diximus futuram fore breviorem, prætermisso cunctis obvio discrimine, quod versatur inter approbationem libri in lucem edendi, & inter libri jam editi non damnationem; quorum unum de scriptis P. Massouliè Vindicis Augustiniani systematis, alterum de Opere Cardinalis Sfondrati constat esse asserendum: responsio, inquam, nostra est hujusmodi: tametsi Archiepiscopi Le Tellier, & Noailles, necnon alii quidam Episcopi Galliarum putaverint ab Apostolica Sede damnandum esse librum Cælestini S. Rom. Eccl. Cardinalis Sfondrati; tamen insanus foret, qui post Supremæ Congregationis S. Officii examen, & discussionem assereret eumdem librum esse damnatum. Pari ergo, & potiori ratione, etsi Archiepiscopi De-Saleon, & Languet, atque alii quidam Galliarum Episcopi crediderint damnatum esse duarum delectationum systema a P. Massouliè, nobisque propugnatum; nihilominus post examen, approbationemque prælaudatæ Supremæ Congregationis, delirus, & insigniter audax est, quisquis affirmat idem systema fuisse proscriptum.

Accedit quod adversus Jansenianum systema acuit stylum paucis ab hinc annis Fortunatus a Brixia Ordinis Minorum, quos *Reformatos* appellant: si fides nostris habenda est adversariis, nemo aut meliori methodo, aut majoris ponderis confutatione ornavit hanc spartam. At is, licet delectationem *invincibilem*, quæ libertatem adimat, & cui resistere nequeat liberum voluntatis arbitrium, in Jansenii propositionibus contendat esse damnatam; de iis tamen, qui sub vividiori delectatione servari docent libertatem indifferentiæ, hæc pronuntiat *observat.* 4. pag. 143. *Ad juste incurrendam Jansenismi suspicionem minime sufficit, ut medicinalis gratia Christi in* cælesti indeliberata delectatione *statuatur. Omisso namque, quamplures Theologos Catholicos de natura* divinæ gratiæ *ita modo sentire, quin in discrimen vocare illorum fidem aliquis propterea ausus usque modo fuerit, perspicuum cuique esse puto, ejusmodi statui posse naturam* gratiæ medicinalis, *quin necessarium esse ponatur, voluntatem nostram secundum vividiorem delectationem necessario operari, ac proinde quin pro vero habeatur famosum illud principium, cui potissimum Jansenii systema innititur.* Et *observat.* 5. immediate sequenti pag. 144. *An idipsum de iis quoque dicendum sit, qui negant quidem*, voluntatem nostram secundum id necessario operari, quod ipsam magis delectat, *verum pro certo habent*, voluntatem ipsam secundum vividiorem delectationem certo & infallibiliter semper operari, *non omnibus persuasum est. In eo versatur difficultas, num verum esse queat*, voluntatem nostram certo & infallibiliter obsequi semper vividiori delectationi, & secundum illam perpetuo agere motus suos, *quin sit verum*, eam esse seu naturam, seu conditionem humanæ voluntatis, ut secundum id necessario operetur, quod ipsam magis delectat. *Si namque primum nequeat admitti, quin detur hoc alterum, liquido apparet, effugere non posse Jansenismi notam, qui ita opinantur. Velint quippe, nolint, famosum principium tunc vel inviti admittant, necesse est. Si autem verum esse posse primum, quin sit verum secundum, nemo non videt, iis, qui illud primum tradunt, Jansenismi notam inuri jure non posse.*

Fortunatus itaque a Brixia, quamquam ab eruditissimis viris non tanti fortasse habitus, quanti æstimatur ab adversariis nostris, ultro fatetur *quamplures Theologos Catholicos* naturam gratiæ medicinalis constituere *in cælesti indeliberata delectatione*. Theologos autem istos, si gratiam seipsa efficacem, atque victricem agnoscant, agnoscere consequenter efficacem, atque victricem delectationem, dubitari non potest. Qui ergo *in victrici delectatione* statuunt efficacis gratiæ naturam, Theologo isto judice, *Catholici* sunt, nec aliquis in discrimen vocare debet illorum fidem. Atque id pariter est asserendum de iis, qui ajunt voluntatem nostram *secundum vividiorem delectationem semper certo & infallibiliter operari*, dummodo nitide, & perspicue ostendant, se non adstruere delectationem *invincibilem*, secundum quam voluntas nostra *necessario* operetur, necessitate nimirum antecedente, quæ una cum libertate indifferentiæ nequit consistere. Nostram vero de hac libertate sententiam scrutari quisque poterit, ne loca alia producam complura, *libro Theol. discipl.* 16. *cap.* 2. & 3. Ut insuper prætermittam quæ inter nostrum, & Jansenianum systema demonstravit Gallus Theologus Antonius Boucat *dissert.* 3. *de Grat. art.* 4. *sect.* 2., de quo viro diximus Volumine 2. Vindic. *diss.* 4. *cap.* 1. *n.* 13. neque commemorem, quæ de me Joseph Catalanius Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, & qui sub nomine Philalethis Romani, & Eusebii Eranistis Prædicatorum Familiæ Scriptores percelebres litteris tradidere; ad calumniantium ora obtundenda sufficere puto testimonium Scipionis Maffeji, viri generis claritudine, & multiplici eruditione conspicui, quem obtrectatorum meorum unus universis, qui de Christi gratia scripserunt, confidentissime præferendum esse non dubitat, alter vero ejusdem instituti nunc Theologicam illius Historiam latine redditam, vindiciisque munitam typis committit peregrinis, ac nitidissimis. Is itaque, Maffejus nempe, Impugnatorem suum præstantissimum refellens pro ingenii sui viribus, in Opere conscripto vernacula lingua (*a*) *cap.* 5. *pag.* 26., laudatis Thomistarum nonnullis recentioris ætatis, inquit: „ Il P. Bellelli nel suo *Mens Augustini*, al libro 2. cap. „ 26. dichiara, che Iddio non dà la premozione, *nisi ac-*
„ *commodata earumdem* (creaturarum) *naturæ virtute, li-*
„ *bertatique indifferentiæ jura servante*. E al cap. 28. *Por-*
„ *ro non minus libera facultas indifferens est ad oppositas*
„ *determinationes, quam ad oppositas voluntates*. Il P.
„ Berti nel suo sistema Agostiniano scrive così: *Unanimi-*
„ *ter tamen* (tom. 2. pag. 104.) *Augustiniani, & Tho-*
„ *mistæ fatemur dari in statu naturæ lapsæ sub gratia vi-*
„ *ctrici libertatem indifferentiæ*, quam denegare præcipuus
„ *character est dogmatis Jansenianí*. Avea già detto prima
„ pag. 58. In quo ergo sita est Jansenianæ *hæresis?* ris-
„ ponde: *Præsertim in his duobus; quod in præsenti infir-*
„ *mitatis humanæ statu Jansenius neque libertatem indiffe-*
„ *rentiæ, neque aliud gratiæ adjutorium, quam efficax, si-*
„ *ve cum effectu conjunctum agnoverit*. E quanto alla ne-
„ cessità, e al dirsi talvolta, che si fa necessariamente,
„ dichiara pag. 155. che s' intende *sumpta necessitate pro*
„ *infallibili consecutione actus, non pro negatione possibili-*
„ *tatis ad actum oppositum*. Bastino queste poche autori-
„ tà per far conoscere come tutti son d' accordo ne' pun-
„ ti essenziali i Cattolici. „ Eadem æquanimitate de no-
bis Maffejus sentit proximo capite sexto pag. 28. & 29. necnon in altero Opere (*b*) lib. 1. cap. 4. pag. 23. Hunc vero Auctorem non abs re fuerit produxisse, quoniam apud oblocutores nostros egregius est, maximus, & doctrinæ de Christi gratia scientissimus, nihil interim, quod ad cumulum laudum ipsius conferre valeat, nobis vel addentibus, vel detrahentibus.

Ex rebus quoque gestis Archiepiscopi Viennensis Joannis De Saleon, a quo tamquam Jansenianí ad Apostolicam Sedem delati fuimus, haud exiguum accedit sententiæ, quam propugnamus, munimentum. Etenim quod tentavit, consequi minime potuit; quidque ei significatum sit a Pontifice Maximo, a Litteris ab eodem Episcopo (*c*) in lucem editis, & quibus admonitus est, ne Catholicorum Doctorum sententia insectaretur, Galliarum incolis magis, quam nobis Italis, compertum est. Certe ad hanc usque diem nulla in nos Censura lata est Apostolica, nobis ad eam, quamquam contraria foret, recipiendam probandamque paratissimis, ut nostrum erga Petri Cathedram studium non solum per bonam famam, verum etiam per infamiam, ut monet Apostolus, universo Orbi catholico apertam, atque testatam reddamus. Deinde anno 1748. in Gallicani Cleri Comitiis prælaudatus Antistes libros nostros tamquam Jansenianá labe pollutos denuntiavit. Turonensem Archiepiscopum Comitiorum Præsidem, ac majorem Sacrorum illorum Antistitum numerum deprehendisse in hac denuntiatione zelum felle permixtum atque amarulentum, non uno tantum comprobatum est testimonio. Detur id falsum esse. At nullam in nos Episcopi illi, instante Rutheno, promulgavere censuram: & accusator diu quæ typis mandaverat, censuit esse occultanda. Ubi vero ad ipsum pervenere duo Vindiciarum mearum volumina, in lucem emisit adversum nos anno 1750. die 12. Aprilis *Pastorale Documentum*, (*d*) quo ita me ad angustias redactum esse, ut nullus mihi apud Deum justæ defensionis locus remaneat, Italis significavit Auctor Historiæ litterariæ in omnes opinationibus suis adversantes inofficiosus, atque inhumanus. Verum si Documentum illum pervolutasset, aut caussæ conditionem rationemque percepisset, nequaquam judicium tulisset adeo sinistrum, ac temerarium, ut inverecunde assereret nos apud homines quidem adinvenisse patronos, sed apud Summum Judicem Deum qualibet carere tolerabili defensione. Nihil enim in eo *Documento* continetur, quod jam non esset a nobis discussum, & refutatum: & si forte aliquid est non dispunctum, non explanatum, proferat gnarus iste, scitusque homo, non projiciat, ut Venusini utar phrasi, ampullas verbaque sesquipedalia. Huic autem crediderim datum fuisse opportunum aptumque responsum. Id unum a quovis frugi, nec præjudiciis abrepto, non posco, nec flagito, sed postulo ut saltem illius *Documenti* perlegat præfationem. In ea quippe ita Viennensis Præsul præfatur: *Litteras ad Sanctitatem Suam sub initium anni* 1745.

(*a*) *Conferma delle Risposte date all' Anonimo Impugnatore dell' Istoria Teologica*. In Verona 1751.
(*b*) *Giansenismo Nuovo, dimostrato nelle conseguenze il medesimo, o ancor peggiore del Vecchio*. In Venezia 1752.
(*c*) Anno 1744. quando contra nos edidit Scripta, erat Episcopus Ruthenus.
(*d*) Storia letter. d'Ital. tom 4. pag. 209.

1745. *dedimus, una cum nostris adnotationibus impressis, nostro nomine prætermisso, duobus libellis contentas, quorum alteri titulus* Bajanismus Redivivus, *alteri* Jansenismus Redivivus. *Responsum nobis ea qua solet humanitate a Summo Pontifice fuit, se, quamvis peregrinus in controversiis istis non esset, nolle tamen sibi uni fidere, sed Theologos doctissimos, & nullis addictos parti electurum, quos ad rem naviter peragendam impelleret, & quantum in se esset, fore ut nulli diligentiæ parceret ac labori, quin & suffragia gravissimorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, generalium Inquisitorum, precesque privatas ac publicas ad implorandam, cum oporteret, Sancti Spiritus opem, fore indicturum.* Orationem, vigilantiam, studiumque Pontificis Maximi nemo non videt. Veretur Viennensis Præsul, ne alio Summi Pontificis animum assiduæ, quibus destinetur, occupationes fortasse avocaverint: queritur me ipsi editam a me Apologiam non misisse; ait, si ad eum perferendam curassem, potuisse rem peragi *silentio & quiete*. Hæc omnia sunt sententiæ, quam tuemur, firmissima propugnacula. Summus enim Pontifex jussit, ut Theologi in Urbe doctissimi & delatoris accusationes, & scripta nostra perlegerent, cunctique pro nobis suffragium tulere. Apologia Pontifice non ignaro, ac Theologis ab ipso delectis probata typis procusa est Vaticanis, atque ut cuncta silentio & quiete peragerentur, non est promulgata, nisi postquam *Bajanismus & Jansenismus Redivivi* prodeuntes e latebris palam in Parisiensi, aliisque florentissimi Galliarum regni civitatibus cœperunt publicari. Nullum Apologiæ exemplar apud nos erat. Jubente Pontifice conscripta fuit, impellente commissa typis, annuente vulgata. Quid ergo a nobis admissum est criminis? Ad nos, inquit, P. Berti suam Apologiam perferendam non curavit, ut factum a nobis est. Ad me curavit, ut Accusationes suæ perferrentur? At ipsemet superiori periodo inquit, *P. Berti Summus Pontifex nostras elucubrationes tradendas censuerat*. Si eas itaque perlegimus Summi Pontificis beneficium fuit, non accusatoris erga nos comitas: poteratque idem, qui alienas elucubrationes censuerat nobis esse tradendas, nostras vicissim aliis, ac præsertim accusatori communicare. Id vero si fecit, frustra delator conqueritur: si non fecit autem, non mihi imputandum est quod Pontificis Maximi fuit consilium, providentia & sagacitas. Neque illud percipio, quomodo res posset peragi quiete & silentio. Silendum ne in caussa, in qua Hieronymus non sinit quemquam esse patientem? Silendum ne, dum hæreseos insimulantur libri typis editi, Romæ procusi, ubique terrarum dispersi? Silere non debebat vigilantissimus Ecclesiæ Rector, si aliqua ibidem occurreret aut vetus, aut nova hæresis: silere non debuissent Theologi ad examen, & consultationem adsciti; nec silere debuissem egomet, ad omnem prorsus errorem verbis scriptisque ejurandum paratissimus. Quapropter si Roma, ad cujus judicium provocatum est, adjudicat esse silendum, si adversarius ipse fatetur rem silentio & quiete peragi potuisse; non est in libris nostris error adeo manifestus, ut vociferantur conviciatores. Sed quid juvat parere repetita crambe fastidium? quum omnia accusationum capita sint consectaria, quæ ab adversariis e principiis nostri systematis inferuntur; principia vero damnata non sint, & ipsa consectaria a nobis denegentur, ac diluantur: quibus stantibus evanescere suspicionem omnem erroris semel, iterumque demonstravimus.

Quæ tamen dicta sunt nuper, non sunt quibus præcipue nititur ratio ex rebus gestis Cl. Archiepiscopi depromenda. Ille anno 1748. die 17. Novembris litteris officiorum plenissimis ad celeberrimam Universitatem Viennensem in Austria pro examine judicioque misit quinque, quas subjicio, propositiones.

ORDINE PRIMO.

I. *Omnis actio humana, quæ vel non elicitur, vel non imperatur ex motivo caritatis, saltem inchoatæ, qua Deus propter se diligatur, est vitiosa.*

II. *Omnis actio humana, quæ vel non elicitur, vel non imperatur ex motivo caritatis, saltem inchoatæ, qua Deus propter se diligatur, vel hoc ipso arguitur fieri ex motivo vitiosæ alicujus cupiditatis.*

Quæritur ab illustrissimis, & eruditissimis Dominis, Decano, Professoribus, & Doctoribus Almæ Universitatis, utrum duæ illæ propositiones, quæ in idem recidunt, possint defendi catholice, & citra labem erroris, aut hæresis.

ORDINE SECUNDO.

I. *Gratia efficax consistit in delectatione cælesti, indeliberata, eaque gradibus superiore ad delectationem terrestrem.*

II. *Efficacia gratiæ consistit in illo prædominio delectationis cælestis indeliberatæ, & relative superioris.*

III. *Voluntas humana in statu naturæ lapsæ semper, & invincibiliter sequitur motum antecedentem & indeliberatum delectationis relative superioris, sive ea sit terrestris, sive cælestis.*

Quæritur ab illustrissimis, & eruditissimis Decano, Professoribus, & Doctoribus Almæ Universitatis, utrum tres illæ propositiones, quæ in idem recidunt, possint defendi catholice, & citra labem erroris aut hæresis.

Si a nobis quis petat nostrum de propositionibus istis judicium; respondemus, Primam propositionem *Ord. I.* si accipiatur relative ad secundam, defendi non posse citra labem erroris, aut hæresis; quia non omnis actio, quæ non oritur ex caritate, qua Deus diligitur propter se, saltem inchoata, est vitiosa, nec fit ex motivo noxiæ cupiditatis; sed potest esse ex motivo bono, atque honesto, & quod spectat ad officium, esse intrinsece, & secundum se actionem bonam: si vero eadem propositio ita accipiatur, ut omnis actio deliberata, quæ caritate saltem inchoata, actu seu virtute non refertur in Deum, licet sit bona, non fiat tamen undequaque bene, quoniam caret circumstantia ordinationis in finem ultimum, & consequenter in eadem actione reperitur vitium deliberate operantis, non quia actionem ipsam exequitur, sed quia eam non refert ad quod est referenda: dico in hoc sensu propositionem esse Augustini, omniumque Augustinensium Theologorum docentium omnem deliberatam actionem caritate saltem virtuali esse referendam in Deum; ideoque hoc sensu posse catholice defendi. Secunda autem propositio damnata est in Bajo (*a*), nec in idem recidit cum prima, si intelligatur secundo sensu, in quo duntaxat sensu ab Augustinianis Theologis propugnatur. Pariter prima & secunda propositio *secundi Ordinis*, si accipiantur relative ad tertiam, adeo ut delectatio superior indeliberata sit *invincibilis*, & inducta antecedenti necessitate auferat libertatem indifferentiæ, defendi nequeunt citra labem erroris, aut hæresis. Si vero ita accipiantur, ut efficacia gratiæ statuatur in delectatione indeliberata superiori ad delectationem terrestrem, quæ tamen non auferat libertatem indifferentiæ, neque sit invincibilis, sed relinquat potentiam ad oppositum; prædictæ duæ propositiones sunt Augustini, omniumque Augustinensium Theologorum, & catholice defenduntur. At propositio tertia, quoniam enuntiat voluntatem humanam in hoc infirmitatis statum semper & *invincibiliter* sequi motum antecedentem & indeliberatum delectationis relative superioris, propter adverbium illud *invicibiliter* est hac ætate propositio suspecta hæresis Jansenianæ, nisi explicetur de illa consequente tantum necessitate, quam in prædeterminatione gratiæ efficacis, non sublata potentia ad oppositum, certissimum est inveniri. Hoc autem sensu tertia illa propositio non recidit in idem, ut perspicuum est. Atque hoc est nostrum de propositionibus illis judicium.

Quid vero celeberrima & clarissima Universitas Viennensis? Cum ad ejus pervenisset notitiam eumdem Archiepiscopum nobis, tanquam Jansenii assecla essemus, intentasse criminationem, & Romæ hanc discuti caussam, quamquam allatæ propositiones pravum sensum præseferant, quo etiam a me reprobantur; verita nihilominus, ne illarum censura præjudicium aliquod Orthodoxorum Scholis posset afferri, respondendum duxit, nolle se judicem constituere de doctrina, quæ in Urbe Roma, jubente Summo Pontifice, ad examen revocabatur, suamque omnibus Catholicis libertatem inesse illa dogmata propugnandi, quæ nondum ab Apostolica Sede fuerunt proscripta. Hæc a fide dignissimis accepimus testimoniis, quorum & litteras asservamus. Atque iis publicum aliud & recentissimum addimus fulcimentum. Superiori quippe an. 1755. die 16. Aprilis in eadem Viennensi Universitate, consensu, & auctoritate Doctorum omnium Facultatis Theologicæ, Reverendissimi Rectoris, eximii clarissimique Directoris ejusdem Theologicæ Facultatis P. Ludovici Debiel Societatis Jesu, approbatæ, typis editæ, omniumque plausu propugnatæ fuerunt ad consequendam supremam lauream Theses a P. Aurelio Reichenbach nostri Ordinis: inter quas theses habentur istæ: XVI. *Ut homo deliberate operans ab omni penitus culpa undequaque sit liber, actus suos in Deum velut ultimum finem caritate saltem virtuali referat, est necesse.* XVII. *Actus tamen sic non relatos, vel etiam absque gratia justificante, aut fide Theologica factos, si ceteroquin ex officio boni sint, atque honesti, intrinsece malos, atque vitiosos esse, dogma est Bajanum æquissime ab Ecclesia proscriptum.* XXIV. *Statum naturæ puræ, non quidem spectatis intrinsecis naturæ humanæ principiis, donisque eamdem consequentibus (ut absone prorsus, ac erronee affirmavit Bajus) verum attento suavi divinæ providentiæ, justitiæque ordine, possibilem non esse omnino sentimus.* XXV. *Creatura rationalis solis naturæ viribus instructa Auctorem suum, etiam ut naturæ conditorem, super omnia diligere nequit.* XXVII. *Gratiam efficacem haud aliud esse, quam victricem delectationem relative superiorem, divinitus quidem inspiratam, verum in operando perfectissime liberam (quod pessime inficiatus est Jansenius) a Protoparente nostro, ac Theologorum principe Augustino copiosissime edocemur.* Thesibus hisce nostrum comprehendi systema nemo non videt. Pateretur ne Cæsarea illa ac toto orbe celeberrima Academia suis in ædibus theses istiusmodi propugnari, si Jansenianam hæresim quodammodo instaurarent? pateretur ne id, post acceptas Archiepiscopi Gallarum

(*a*) Vid. Vindic. tom. 1. cass. 1.

liarum epistolas, post rumorem nostrorum dissidiorum longe lateque diffusum, atque in hac temporum injuria, in hac obtrectatorum licentia, in hac Pasumeni Historici garrulitate, in hac demum scriptorum copia, qua & adversariorum criminationes, & Vindiciæ nostræ cunctis Theologis innotuerunt?

Si quis opponeret, præmissas theses ab Augustinensibus defendi; responsio foret in promptu, non laudari a me, quamquam id jure facere possem, Augustinenses pro sua nostraque sententia pugnantes, sed Facultatem Theologicam præclarissimam doctissimamque, pugnantibus suppetias ferentem, plaudentem, laureas conferentem. Nec in alicujus mentem veniat, mihi in Austriam usque ad patrocinia captanda migrandum esse. Illuc me contuli vestigia adversariorum meorum sectando. Sed ad nostra revertens, gratulor novos mihi patronos in dies ipsam, pro qua decerto, veritatem comparare commilitones, & auxiliares copias acervatim conducere. Etenim Romæ superioribus mensibus non semel a Clericis Regularibus Congregationis Sancti Paulli, quos vulgo *Barnabitas* vocant, publicæ disputationi expositæ, & exagitatæ fuerunt theses, typis editæ Superiorum permissu, labente præterito anno 1755. In quibus tit. *de divina Gratia* habentur quæ sequuntur 46. *Statum, quem vocant naturæ puræ, haud possibilem existimamus, utpote, sententia nostra, divinis Attributis minime consentaneum; præsertim si in eo talis futura esset concupiscentia, qualem nunc patimur.* 54. *Gratia actualis, quæ recte dividitur in sufficientem, & efficacem, nihil aliud est, quam mentis illustratio, & inspiratio caritatis; sed magis in hac inspiratione, quam in illa illustratione consistit.* 55. *Efficax autem gratia est victrix delectatio, sive caritas, quæ superat contrariam cupiditatem. Hæc tamen habet suos gradus, ex quibus absque ullo præjudicio absolutæ Dei voluntatis dignoscitur una cum vera arbitrii nostri libertate mirabilis ejusdem gratiæ œconomia: atque hæc sententia recte explicata nihil habet affinitatis cum hæresi Jansseniana, in qua victrix delectatio evertit libertatem.* 56. *In hoc infirmitatis statu admittendam esse gratiam* ab intrinseco *efficacem magni Augustini auctoritate suademur, & suademus.* 57. *Admitti quoque debet, & reapse extat gratia vere ac proprie sufficiens, quæ veram ac propriam implendi divina præcepta tribuit potestatem, licet non taliter validam & expeditam, ut ad eadem actu implenda necessaria non sit gratia efficax. Hanc dari a Deo justis omnibus de fide est: non est tamen de fide, quod reliqui homines singuli revera eamdem recipiant.* 58. *Gratia sanctificans, seu habitualis, quam utique existere convenit apud omnes, reipsa non distinguitur a caritate; sed idem est utriusque habitus.* Apertissimum est in istis propositionibus contineri traditum a nobis systema, iisdemque verbis a nobis definiri gratiam tam actualem, quam habitualem, eademque ratione circumscribi, atque explanari gratiam per se efficacem, gradus sanctæ delectationis, ac potestatem veram & propriam, quam tribuit gratia sufficiens, sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum sanctæ operationis non sit necessaria gratia efficax. Ipsipsis verbis meis traditur *thesi* 54. definitio gratiæ actualis lib. 18. Theolog. discipl. cap. 7. pag. 140. (*a*) Ipsipsis verbis meis *thesi* 55. descriptio efficacis gratiæ eodem libro cap. 8. pag. 149. & 153. Ipsipsis verbis meis explicatur thesi 57. vera ac propria illa potestas, quam confert gratia sufficiens, citato cap. 8. pag. 156. Tribus autem his thesibus, quibus exponitur definitio gratiæ, natura gratiæ efficacis, & potestas agendi, quam confert gratia sufficiens, innititur conflata nobis Jansseniani erroris calumnia. Sineret ne Superiorum aliquis theses ipsas defendi, auderet ne Theologorum Catholicorum quispiam illas defendere, nisi ea, quam nos calumniam diximus, vera esset calumnia? nisi essent vetustæ Oppugnatorum efficacis auxilii contumeliæ, verborumque injuriæ, de quibus pertractavi in Vindiciarum mearum præfatione pag. XXI. & seqq. necnon dissertatione 5. cap. 1.? Profecto nemo inficiabitur, posse a me omni jure, & æquitate repeti verba Clementis fel. record. Papæ XI. initio hujus capitis laudata: *Ceterum in hoc ipso præpostero judicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim excæcaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam & libere in Catholicis Scholis, etiam post editam a Nobis memoratam Constitutionem, sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas.*

Non Romæ tantum, sed in aliis quoque Italiæ civitatibus Systema Augustinianum de gratia, quale a nobis traditur, & explicatur, in Conventu plurimorum Theologorum Clerici Regulares S. Paulli propugnaverunt; idemque Systema nuperrime perspicua, erudita, numerisque omnibus absoluta dissertatione vindicavit D. Homobonus de Bonis in Universitate Mediolanensi S. Alexandri Sacræ Theologiæ Professor. Dissertatio inscripta est *De Natura divinæ gratiæ*, typisque procusa Mediolani vergente anno 1755. In eadem dissertatione ipsa gratiæ definitio, ipsa sufficientis & efficacis gratiæ natura, ipsa effectricis gratiæ energia, ipsa delectatio victrix, qua prostratur ac retunditur quæcunque prava cupiditas, ipsa victricis delectationis per gradus diminutio & accretio, ipsa libertas permanens illæsa sub quacunque gratiæ motione & sub qualibet premente cupiditate, dummodo non sit delectatio boni, ut inquiunt, in communi, vel Dei summi boni sese intuitive videndum per lumen gloriæ exhibentis: ipsum, dicam uno verbo, systema nostrum dilucide explicatur, strenue naviterque defenditur, a damnatis erroribus demonstratur immune. Compluribus S. P. Augustini sententiis locisque luculentissimis, S. Prosperi Aquitani, necnon Doctoris Angelici auctoritate statuitur & roboratur. Defensatum asseritur a Cl. viro ejusdem Congregationis Paullo Frisio, quem doctrina & eruditione percelebrem, dum hæc mandamus litteris, nobis *Francisci I.* Pii, Felicis, Augusti singulari beneficio adlectum Academia Pisana suspicit ac miratur. Demum illustris Homobonus testatur eamdem sententiam sæpe elapsis annis fuisse typis editam cum aliis Theologicis propositionibus, neminem adversus illam vel hilum fuisse obloquutum, eamdemque vindicasse sine erroris piaculo permultos Theologiæ Candidatos. Ita senescentibus nobis undique adveniunt auxilia. Pontifices enim Romani declarant Constitutionibus suis nunquam eas proscriptas fuisse sententias, quæ sub ipsorum Pontificum oculis defenduntur: & talis est sententia nostra. Sacra Indicis Congregatio prohibet *donec corrigatur* Censuram Duacensem, & mandat ut illinc deleatur nota Jansenismi inusta systemati P. Massouliè; & tale est systema nostrum. Famosus Medista, jubente eadem sacra Congregatione, retractat quod scripserat, Jansenianos esse, qui constituunt efficacem gratiam in sancta delectatione relative victrici, idque doceri fatetur a Catholicis, de quorum doctrina suum Ecclesia judicium nondum protulit: & talis est doctrina nostra. Censores Romani, & supremæ Sancti Officii Inquisitionis Qualificatores, & Consultores affirmant systema duarum delectationum, quemadmodum a nobis propugnatur, una cum libertate indifferentiæ, nullam affinitatem habere cum proscriptis Jansenianis propositionibus. Idem systema ab iis, qui nuper adversus hæresim Jansenianam scripsere, ab iis qui ab adversariis nostris præferuntur Theologis ceteris, ab iis qui ob singularem doctrinam, studiumque nullis addictum partibus ac liberrimum pervenerunt ad Ecclesiasticarum dignitatum fastigia, declaratur catholicum & orthodoxum. Idem defenditur absque erroris suspicione in Cæsarea Viennensi Academia: idem a Clericis Regularibus S. Paulli defenditur Romæ: idem defenditur Mediolani; & a nostratibus idem defenditur ubique terrarum. Vah! qui illud Jansseniana insperfum caligine, & labe erroris infectum, imperite, maledice, contumeliose, temere, audacterque pronuntiat!

CAPUT III.

De duabus ad BENEDICTUM XIV. *Pontificem Maximum Epistolis Archiepiscopi Senonensis.*

NON tantum caussæ nostræ ratio, & Augustinianæ vindicatio doctrinæ, verum etiam nostra erga Apostolicam Sedem observantia, atque in Beatissimum Sapientissimumque Pontificem BENEDICTUM XIV. filialis devotio postulare videtur, ut *Judicio* Senonensis Archiepiscopi Languet discusso, illius quoque *Epistolas* ad eumdem Vigilantissimum Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ Moderatorem Rectoremque supremum conscriptas anno communis Æræ 1751. mense Martio labente, animadversionibus nostris notisque Censoriis breviter dispungamus. Hinc enim compertum cuique erit quis nostrum Petri Cathedræ sit vehementius addictus, & pro Constitutione *Unigenitus* validiora & æquiora exerceat certamina; fiet hinc pariter, ut Adversarii hujus nostri ingenium, doctrina ac prudentia, quæ ceteris relinquimus dijudicanda, magis magisque elucescant.

Priori ergo unius Epistolæ paragrapho ait se triginta & amplius annorum spatio contra appellantes a Constitutione *Unigenitus* ad Concilium pugnasse, sibi animos addente, & benedictionem impertiente *Benedicto XIII.* Si gloriolam captandi studium nobis inesset; possemus, & nos litteris tradere, edendis Theologicis Elucubrationibus nos animum applicuisse hortante, nobisque benedictionem Apostolicam largiente *Clemente XII.* Scripta nostra pervolutasse *Benedictum XIV.* hujus nutu exornatas a nobis dissertationes Apologeticas; atque, ut silentio mittam laudes nobis beneficentissima liberalitate collatas, quas commemorare neque religiosam decet humilitatem, neque sinit ea quam habeo laborum meritorumque meorum, quorum illos exiguos, hæc vero nulla prorsus esse profiteor, recta cognitio, & sincera confessio, confratrem nostrum Fulgentium Bellelli iisdem lacessitum calumniis, insignem a prælaudatis Pontificibus, cunctisque probis doctisque viris æstimatum fuisse Theologum, amplissimisque perfunctum fuisse muneribus. Verum hæc, hisque similia humanas quærentibus laudationes relinquenda esse arbitramur. Unum tantum est, quod mentione facta *Benedicti* felicis recordationis *Papæ XIII.* non est prætereundum silentio; Languetium nempe, tum Suessionensium Episcopum, dum Benedictus omnem curam intenderet, ut ad acceptationem Constitutionis

(*a*) Tom. 3. edit. Rom.

tionis traheret Appellantes, quibusdam probatis articulis doctrinam Augustiniano-Thomisticam comprehendentibus, atque ad id consequendum indixisset Romæ doctissimorum Theologorum congregationes, Episcopum, inquam, illum, non expectato Apostolicæ Sedis judicio, & ad hoc pervertendum gravioribus in Galliis excitandis dissidiis incitamentum fomitemque præbendo, prælaudatos articulos proscripsisse, litterisque suis Ecclesiarum tranquillitati adytum præclusisse. Ex qua re omnibus notissima manifestum est eumdem Galliarum Antistitem suarum opinionum falsitatem consiliis, ac providentiæ Pontificis Maximi prætulisse, atque ulterius Thomisticam sententiam, quam idemmet Benedictus XIII. Clemens XII. & novissime Benedictus XIV. in Apostolicis ad Tolosanos litteris inconcussam firmissimamque declararunt, ut inferius commonstrabitur, oppugnasse.

Profecto quod Illustrissimus Antistes adversus Appellantes pugnaverit, a nobis magnopere commendatur: sed vereor quin æquitatis transgrediens regulas, indirecte, sibique parum constans in adversarios arma converterit. Postquam enim Romani Pontifices semel iterumque declaraverunt nemini fas esse traducere aliquem invidioso nomine Jansenistarum, nisi quem legitime constiterit proscriptas tradidisse propositiones: postquam affirmarunt luci tenebras ab illis offundi, qui cum damnatis erroribus confundunt sententias Catholicorum in Urbe, & coram ipsis Summis Pontificibus propugnatas: postquam didicerat a Clarissimo Meldensium Episcopo, ceterisque compluribus iniquum esse notam erroris alicui inurere propter consecutiones, quas negant ii, quibus ratiocinatione, cavillulisque quorumdam Scholasticorum adscribi solent; cur ad defendendam Apostolicam saluberrimamque *Constitutionem* Præsul Senonensis ausus est cum proscriptis erroribus confundere Augustinensium ac Thomistarum doctrinam, ineptasque Medistarum illationes, quamquam ab his abhorrescimus, tamquam asserta a nobis dogmata invadere, atque insectari? Est ne insuper directe, legitimoque certamine contra serpentes hæreses, & erumpentia schismata bellum gerere, cum erroneis assertionibus adiaphora inter Scholasticos placita permiscendo? Compertum ulterius est Senonensium Archiepiscopum in vellicandis Jansenianis sibimet nihil, vel parum constare. Etenim in Comitiis Gallicanis anno 1720. cum aliis Centum Præsulibus fassus est, ab Augustino & a nonnullis Theologis *Caritatis* vocabulum frequenter accipi pro qualibet bona voluntate divinitus inspirata; at in nos stylum acuens contendit nihil aliud significare, quam *Caritatem theologicam*: ex ea vero falsissima suppositione nostram, immo S. P. Augustini definitionem actualis Gratiæ, & quæ de virtutibus a caritate sejunctis tradidimus, insulse carpit. Temeritatis quoque nota cum C. Episcopis eos perstrinxit, qui autumant in positionibus Quesnellianis proscriptam fuisse sententiam statuentem omnem deliberatam creaturæ rationalis actionem esse in Deum referendam: quam postea sententiam ipsemet odio Vatiniano prosecutus abradi jussit e diœcesis suæ Catechismo, asseruitque damnatam esse, illam sibi notam, quam ceteris impegit, arcessens. Atque his superiori velitatione commonstratis accedit, quod modo se Thomistis consentire gloriatur, modo contendit admittendum esse æquilibrium, modo antecedentis voluntatis Dei pervertit rationem, & hanc pro lubitu delineat sensu cum Thomistis, tum Medistis opposito, docens utique gratiam sufficientem non conferri omnibus, at ex voluntate antecedenti (quæ voluntas respicit omnes homines *secundum se, non ut existunt a parte rei*) necessario ipsam gratiam conferendam esse unicuique fidelium.

Secundo paragrapho inquit Senonensis Archiepiscopus in lucem Opera nostra Theologica prodiisse, dum ille partis a se victoriis pacifice frueretur; iisdem vero Operibus procusis magnum accessisse Sectæ Jansenianæ præsidium, propterea quod iis nos utamur effugiis, quibus sese protegunt Appellantes. Pace tamen cinerum, animique immortalis hujus Præsulis, reponimus nunquam ei contigisse, ut victoria pacifice frueretur. Fuerunt enim Instructiones ejus Pastorales, quas tamen Augustinianus Theologus latinitate donavit, neque nos ulla ratione reprehendimus, ab Anonymo Scriptore Opere in novem partes distributo undequaque exagitatæ & excussæ, adeo, ut coactus fuerit fateri se in Theologicis studiis parum fuisse versatum: quod testatur Epistola 5. Pastorali 1. parte num. 54. pag. 80. eique id opponit Episcopus Antissiodorensis Epistola 6. parte 1. pag. 54. Idem Antissiodorensis Antistes ad obitum usque illum quaquaversum exagitavit. Legantur sex ejus contra Languetium Epistolæ. Convictus est etiam, non absque suo magno dedecore, approbasse blasphemam propositionem *P. Assermet*, de qua infra, necnon ad illam propositionem defensitandam, S. Hieronymi, & cujusdam Brevis Benedicti XIII. verba adulterasse, non ab uno fuit accusatus, nec potuit se ab ejusmodi accusationibus purgare. Testimonio omnium Ecclesiasticorum diœcesis Antissiodorensis cunctis in Gallia degentibus patefacta est falsitas & impostura vulgatæ ab eodem epistolæ, hoc præfixo titulo, *Lettre de plusieurs Chanoines, Curés & autres Ecclesiastiques du diocese d' Auxerre, à Messieurs les Chanoines, Curés & autres Ecclesiastiques du diocese de Sens*. Quæ in ipsum Languetium scripserit Carolus Joachim Colbert Episcopus Montis Pessulani, nullus eruditorum ignorat. Sane quod refero, percipiat Lector. Non ego quæ Appellantes contra Archiepiscopum Languet scripsere, probo, aut dijudico: sed nego duntaxat Virum semper, & ubique lacessitum potitum fuisse absque perturbatione victoria, aut de hostibus egisse triumphum. Pugnavit quidem pro bona caussa, at non bene: destitutus quippe erat Theologica eruditione, & præjudiciis abreptus, quemadmodum universa Gallia testatur. Quid plura? Illius Opera in lucem emissa, obstetricantibus Molinianis, tamquam scatentia calumniis, & reipublicæ perniciosa, supremo Christianissimi Regis edicto, fuerunt inhibita. Vides, opinor, jactatam Languetii victoriam, & falso decantatos triumphos. Addit vero nos uti iisdem Jansenistarum effugiis. Vetus cantilena. At enim quænam, obsecro, sunt effugia ista, quinam Jansenistæ? Effugia sunt interpretamenta ab Episcopis Centum, quorum ipse unus erat, tradita anno 1720. quando concordi animo asseruerunt comprehendi in propositionibus Quesnellianis principium damnatum in 38. articulo Baji, omnes actiones humanas oriri vel a caritate habituali, vel a cupiditate habituali; hoc enim nobis passim objicitur: quam inepte, inde constat, quod ipsorum C. Episcoporum verba excripsimus. Videsis Vindiciarum nostrarum Vol. I. pag. 38. Idem de statu naturæ, quam puram dicunt, damnato quidem in Bajo, quatenus is integritatem primi hominis appellabat naturalem proprietatem: idem de virtutum officiis discernendis a fine & nisi in Deum referantur, non bonis undequaque, tametsi non sint germina noxiæ cupiditatis, nec intrinsecus labefiant: idem de potentia ad bene ac supernaturaliter agendum proxime expedita, quam negamus adesse absque gratia per se efficaci: si potentiam proxime expeditam illam dixeris, quæ ad hoc ut prodeat in actum, nullum aliud postulat adjutorium. Qui hæc aliaque superiori lucubratione ad trutinam revocata censet esse effugia Jansenistarum, profecto Augustinianæ Theologiæ ignorat penitus elementa. Sed age. Quinam sunt Jansenistæ illi, quibus effugia nostra arrident quamplurimum? Eorum, qui Jansenistæ dicuntur, non una est classis. Quidam, qui revera Jansenistæ sunt, quinque propositiones Jansenii, 76. Baji, & 101. Quesnellii, atque iis expressam doctrinam, ab Apostolica Sede damnatam propugnant, *Formulario* subscribere nolunt, & Constitutionem *Unigenitus* parvipendunt. Nemo unus, nec adversarii nostri, in hanc Jansenistarum classem nos rejicit; siquidem cunctas illas propositiones refellimus, Apostolicæ Sedis reveremur decreta, subscribimus *Formulario*, pro *Constitutione* pugnamus. Altera est Jansenistarum classis, qui effectricem gratiam in victrici delectatione constituunt, deliberatas actiones in Deum referendas esse docent, æquilibrium ad Pelagianismum amandant, ad obtinendam justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ initialem amorem requirunt, & negant universis & singulis hominibus adesse auxilia sufficientia: sed quoniam Molinistæ iis assertionibus tradendo contrarias, gloriantur sententias suas in confutatione Quesnellianæ fuisse confirmatas, & qui olim Semipelagianismi insimulabantur, nunc Jansenismi Orthodoxos incusant; idcirco sunt, qui ne veræ doctrinæ allatum præjudicium ab iis audacter, ut fieri solet, affirmetur, præpostero zelo pro doctrina agonizant, abnuentes subscribere *Formulario*, & *Constitutionem* excipere. Atque in hac classe permulti sunt Appellantium, quorum pervicaciam oriri ex Molinistarum insimulationibus certa res est, experimento, & subjiciendis adnotationibus comprobata. In his vero, qui Jansenistæ dicuntur, distinguamus oportet dogmata a contemptu Pontificiorum decretorum; nam dogmata, quorum aliqua superius recensita non inficias ibo nobis esse communia, soli Medistæ vociferantur esse proscripta, contemptum vero, quod Sedis Apostolicæ flocci pendunt statuta, nos ipsi reprehendimus & damnamus; jactantibus autem se consentire nobiscum idem respondendum esse crediderim, quod Senonensis iste Præsul rescripsit Antissiodorensi demonstranti suam cum Archiepiscopo Turonensi circa dogma concordiam, si nempe idem sentiunt, eccur pergunt Gallias turbare & bellum commovere adversus *Constitutionem*? Postrema denique est classis eorum, qui sibimet certo suadentes ab Apostolica Sede nullam contra Catholicorum Scholas prolatam esse censuram, aut nostram, aut Thomisticam propugnant defensantque sententiam, omni exhibita obedientia Apostolicis definitionibus: & nihilominus a Medistis tanquam Jansenianis traducuntur: in qua classe Cardinalis Norisius, Cardinalis de Laurea, Cardinalis Bona, prælaudatus Turonensis Archiepiscopus, atque, ut ex fide dignissimo accepimus testimonio, omnes Thomistæ, omnes Carmelitæ, omnes PP. Congregationis Oratorii, omnes Monachi S. Mauri, ac Fulienses, omnes demum qui oppugnant placita Moliniana, ab adversariis comprehenduntur, & inique connumerantur. In hac autem classe quisquis recensetur, id honori ducere debet, non dedecori; quum idem prorsus sit nominari Jansenistam, ac Neotericorum respuere commenta, & laxitates refellere Probabilistarum. Quæ cum ita sint, dictitanti nostri & Jansenianorum eadem esse suffragia, respondemus discriminari nos a priori Jansenianæ Classe, dum theses omnes damnatas ab Ecclesia pariter damnamus; segregrari a classe altera, dum cunctas Romanorum Pontificum amplectimur definitiones;

in ter-

in tertia autem classe locari haud invito patimur animo, finimus lubenter, & audimus gratanter.

Fatetur tertio paragrapho Archiepiscopus Senonensis magno nos zelo excitatos videri pro Constitutione *Unigenitus*, sed ait nos ignorantes damnata dogmata adoptasse, & Jansenianum systema paullulum captiosis responsionibus obvelantes ad errores chimericos Sanctæ Sedis detorsisse Censuras.

Etsi vero his satisfactum est satis superque; petimus tamen, si ignorantes in Jansenismum fuimus prolapsi, cur nos ubique redarguit fraudulentiæ atque temeritatis? Quid cum ignorantia calliditas, & cum cæcitate captiones? At sensum legitimum decretorum, & censurarum Apostolicæ Sedis num soli percipiunt Meditæ? Num illum ignorant degentes Romæ Theologi? Num summi viri inter sacrarum Congregationum Consultores adsciti, qui scripta nostra probarunt? num exornati ob sapientiæ celebritatem purpura Vaticana? num ii, qui impactas nobis criminationes jubente sapientissimo Pontifice expenderunt, & æqua lance librarunt?

Subjicit numero IV. Senonensis Antistes, frequenti experientia, & diuturna disputatione se deprehendisse in *Novatorum* libris easdem artes, eademque perfugia, quæ in Scriptis reperiuntur a nobis editis. *Novatores* vocat *Appellantes*, quorum unum postea nominatim carpit, Antissiodorensem nuper vita functum Episcopum. Oportet autem, ut primum declaret, quænam in Appellantibus doctrina fuerit proscripta. Fortassis enim plura docent, quæ non fuerunt damnata. Revera a pluribus præpostero judicio cum damnatis ab Apostolica Sede erroribus confundi sententias illas, ac doctrinas, quæ palam & libere in Catholicis Scholis docentur ac defenduntur, declaravit an. 1718. in Bulla *Pastoralis* Clemens XI. Quare necessum est, ut quæ palam & libere in Catholicis Scholis docentur, ac defenduntur, a damnatis erroribus secernantur. Nostrum vero de Gratia systema, & quæ de Statu *puræ* naturæ, de amore Dei super omnia, atque de relatione Operum in Deum, prout a nobis traduntur, nunquam ab Ecclesia proscripta fuere; ac nuperrime Viennæ, Romæ, Mediolani, Florentiæ, superiorum assensu, publicis thesibus, librisque, ab iis etiam qui Monasticum, & Clericorum Regularium S. Paulli sequuntur institutum, sunt propugnata. In Episcopo itaque Antissiodorensi, ceterisque Appellantium, forsitan non quælibet doctrina est reprobanda; cum tamen judicio nostro reprobandum sit quod sint *Appellantes*. Enimvero Turonensis Episcopus acceptator Constitutionis, sed assertor & vindex ejusdem doctrinæ, ut demonstratum est primo capite, ab eodem Languetio in exemplum imitationis proponitur Episcopo prælaudato Antissiodori. Ipse ergo Languetius doctrinam Appellantium ab Appellandi pervicacia, sive a non acceptatione *Constitutionis*, distinguendam esse fatetur. Veruntamen de Appellantium, aut omnium, aut aliquorum doctrina, quantum spectat ad ea, quæ nobis objiciuntur, nostrum non est proferre judicium. Ipsi viderint, ad quos attinet. Nostram tantummodo vindicamus, sed *Constitutione* recepta.

In iis, quæ in priori Languetii Epistola sequentibus leguntur paragraphis, non immorabor. Suam enim in Jansenianos infectando commendat solicitudinem: quæ amliores promereretur laudes, si accuratius damnatos errores a Scholarum placitis separasset; si in sententia perstitisset, quam cum Centum Episcopis comprobaverat, & nisi Augustinensium Theologorum accusatione ansam præbuisset adversariis. Deinde Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis agnoscit Auctoritatem, eique Judicium subjicit a se latum, Augustini ad S. Innocentium I. scribentis producta sententia. Factum id optime, & digna Episcopali charactere prudentia. Nos etiam, atque, ut decet in loco constitutos humiliori, majorem Romano Pontifici exhibemus honorem, majorem profitemur obedientiam. Quantum sit Apostolicæ Sedis culmen, quanta majestas, quanta auctoritas firmitasque judicii, didicimus ex Evangelio cap. 16. Matthæi, ex Irenæo libro III. adv. Hæreses, Tertulliano de Præscriptionibus, Cypriano epistola 55. Optato Milevitano libro 2. contra Parmenianum, Hieronymo epistola ad Damasum & libro I. contra Jovinianum, &, ne Patrum universorum commemorem traditionem, S. P. Augustino Serm. de Verbis Apostoli, aliisque in locis compluribus. Eapropter ubi primum in nos jactatæ fuere Janseniani erroris calumniæ, semel, iterumque, ac tertio ego ad Pedes Beatissimi Pontificis BENEDICTI XIV. provolutus, meam illi sententiam verbis scriptisque comprobavi; oravi ego ipse, ut si falsa foret, illam proscriberet: testatus sum, testorque iterum, eadem reverentia omnem ejus definitionem, exhortationemque me fore prosecuturum: meas non exornavi Vindicias, nisi postquam libri a me in lucem emissi fuerunt ad rigidissimum examen plurium Theologorum revocati. Silui, quandiu ipse silendum esse putavit: scripsi, quando ut scriberem monuit: si aliquorum laudavi Censuras, id feci benignissimo ejus nutu; neque enim mihi fas erat arcana prodere, nec mihi erat hæc dignoscendi facultas: Si Censuras reliquas proferrem in lucem, suæ insimulatores nostros puderet audaciæ. Unum dicam, nec Pontificem Maximum quidquam prætermisisse, ut doctrinæ nostræ exploraretur indemnitas, neque hujus desiderari posse lucidiora testimonia. Sapientissimus Pontifex vivit adhuc, vivatque, oro, diutius; vivunt Purpuratorum Patrum nonnulli: vivunt Censores nostri Theologi. Nemo erit adeo impudens, & insanus, ut hisce viventibus me velle, aut posse mentiri arbitretur. Sed quam responsionem accepit a BENEDICTO XIV. prælaudatæ, aut sequenti Epistolæ, Archiepiscopus Senonensis? Cur proprias litteras livoris & injuriarum plenas producit, non Apostolicas plenas caritatis, & veritatis? Producantur, quæso, istæ: iisque, sive doctrinam adprobent nostram, sive proscribant, me quamlibenter subscripturum esse jurejurando polliceor, ac repetiturum verba sanctissimi Protoparentis in Sermone paullo supra citato, ab Apostolica Sede *rescripta venerunt*; *caussa finita est*.

At quoniam judicium Summi Pontificis postulanti responsum non statim allatum est, Præsul Senonensis Epistolam addidit alteram, de qua dicturus sum modo. In ea queritur primum, crescente scandalo, remedium non adhiberi opportunum librorum nostrorum condemnatione, repetito Canone, quem in nos urgebat Viennensis Archiepiscopus de Saleon, *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minime defenditur, opprimitur*. Deinde quodnam sit hujusmodi scandalum exponit, in eo scilicet situm, quod Appellantes idem nobiscum sentire apertissime profiteantur. Ad quod commonstrandum laudat Epistolam Antissiodorensis Episcopi, Appellantium unius, de scriptis nostris cum laude loquentis. Profert deinceps *Ephemeridum* Ecclesiasticarum auctoris, quem pluribus argumentis Jansenianum esse demonstrat, apertissima testimonia, quibus se amplecti doctrinam nostram semel iterumque pronuntiat. Atque hinc putat evidenti consecutione inferri, libros nostros prohibendos esse, quoniam eamdem, ac Appellantium, sententiam propugnant. Ad hæc affirmat se *Thomistis potius, quam Molinistis* adhærere, ideoque alienum esse a quorumdam criminatione, qui Censores nostros, tanquam Molinæ addictos, & Thomisticæ Scholæ infensos, existimant non esse audiendos. Ait Pontificis Maximi *silentium, quem sibi arrogant*, Appellantibus *præparasse triumphum*. Conqueritur libros, *quorum Ecclesia non indigebat*, eodem Pontifice *silente, & quasi protegente*, fuisse divulgatos. Asserit nostri Instituti Fratres per multas Academias atque Universitates dispersos *impune* Theologiam nostram *docere*; *& quo magis patet incendium perversæ doctrinæ, eo citius adhibendum esse remedium*. Concludit prolaturum se *ante Tribunal Christi testimonium contra illos, qui Sanctitatem Suam avertunt ab aperta pernicie damnanda, quique exitiale silentium, & funestam fidei prudentiam suggerere non verentur, dum interea falsa doctrina ut cancer serpit, & ita prævalere videtur, ut Janseniani triumphent, & Sanctam Sedem sibi favere impie glorientur*. Mihi itaque danda est opera, ut levioribus discussis, de jactata doctrinæ nostræ cum doctrina Appellantium affinitate pertractetur.

Unde origo, inde scandali repetendum est incrementum, ex quo nimirum quidam cum damnatis erroribus confundant sententias Catholicorum; ut præcitata Constitutione *Pastoralis* ajebat *Clemens XI*. Quod nonnulli faciunt excæcati militia, ac tenebras magis diligentes, quam lucem, ut inani hoc prætextu censuras eludere queant Apostolicas: nonnulli vero aut Scholæ præjudiciis abrepti, aut Theologicarum quæstionum destituti cognitione, aut nimio zelo quidquid ab adversariis traditur, falsum, fraude, & malitia traditum arbitrantes. Atque ad hoc scandalum eliminandum exstirpandumque necessum est, ut sepositis calumniis, ineptisque censuris, Christiana caritate nullatenus læsa, inter Catholicæ Ecclesiæ filios pacem fovere, & communire curemus, atque conjunctis diversarum licet Scholarum studiis, firmius sit adversus erroris insidias Catholicæ veritatis præsidium. Quare dum violata caritate altercamur, & invicem damnatos errores opponimus, (quod tamen nos inviti duntaxat, coacti, atque ad iniquas repellendas criminationes fecisse, si fecimus tamen, testis est orbis litterarius universus) hoc est scandalum, non Appellantibus tantum, sed hæreticis omnibus, immo & Catholicis imprudenter exhibitum. Ea autem ratione, quæ nobis justæ defensionis jura præscribit, illius scandali a nobis amovenda esse patet cum originem, tum incrementa. Videant modo, num idem scandalum avertant, vel adaugeant, qui nos tot judiciis, & Censorum discussionibus purgatos pergunt pertinacissima criminatione insectari. Profecto Canon ille, *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minime defenditur, opprimitur*, caussæ nostræ congruenter aptatur; ita enim resistendum est errori ab Apostolica Sede proscripto, ut non opprimatur veritas Augustinianæ de Gratia doctrinæ. Pro hac enim Cælestinus I. Romanus Pontifex ea scripsit verba ad Venerium, & ceteros Galliarum Episcopos, contra Semipelagianos, eadem quæ nobis objiciuntur, opponentes Gloriosissimo Gratiæ Vindici Augustino, a quo doceri autumabant Deum nolle hominum singulorum salutem, Christum non esse mortuum pro omnibus, periisse peccato Adæ liberum arbitrium, & cetera his similia, quæ S. Prosper appellat *prodigiosa mendacia*. Vide Gratianum dist. 83. n. 3. Epistolam

S. Cæ-

S. Cælestini, & Opuscula Prosperi in Appendice Tomi X. Operum S. Patris Augustini. Quamobrem potiori jure a nobis, quam ab adversariis nostris repetenda sunt, quæ scripsit beatissimus Cælestinus, & quæ addidit Prosper *ad objecta calumniantium Gallorum*. Advertendum est præterea S. Cælestini Epistolam, qua perstringebat Semipelagianorum in Augustino impugnando licentiam, a Vincentio Lirinensi, viro quidem Sanctissimo, sed Semipelagianis multorum sententia adhærente, ita fuisse explicatam, ut idem Cælestinus non commendaret Augustini doctrinam in posterioribus libris contra Pelagianos; sed veterem tantum ab eo reprobatam, Prosperum & Hilarium Augustini discipulos tanquam Criminatores traducendo. Id asserit, demonstratque Norisius libro 2. Historiæ Pelagianæ cap. 11. Quapropter Cælestini Scripta, contra S. Patris Augustini discipulos retorquere, moris est ab exordio Semipelagianæ Factionis deducti.

Arbitratur vero Senonensis Archiepiscopus invictissimum esse justæ accusationis suæ argumentum consensionem doctrinæ nostræ cum doctrina Appellantium; quam consensionem nititur ostendere ex Epistolis Episcopi Antissiodorensis, & auctoris Diarii Ecclesiasticarum Ephemeridum, cui *Gazulæ* nomen adtribuit. Nolo de Episcopo Antissiodorensi eadem repetendo lectori molestus esse. Si enim ille *Constitutionem*, ut æquum est, recepisset, quamquam in doctrina idem sentiret cum Archiepiscopo Turonensi, cessassent Languetii adversus eum querimoniæ. Opus ne est, ut centenis vicibus id repetamus? Nos *Constitutionem* extensis ulnis excipimus, flexo poplite exosculamur, pro virili nostra parte defendimus. Si ergo nostram cum doctrina Turonensis Episcopi aliquis compararet; hæc comparatio expendenda foret, atque diligenter, quemadmodum de nostra factum est, pensitanda. Si omnimoda esset inter nos cohærentia, eamdem pariter sententiam teneremur subire; uno quippe absoluto, damnato altero, non cessarent, sed persisterent Appellantium dicteria. Non ergo nos Adversarii æquiparent Episcopo Appellanti, sed Archiepiscopo *Constitutionem* excipienti, doctrinæ Capita Apostolicæ Sedi relinquentes conferenda, dijudicanda, probanda.

Gazulæ (utamur & nos hoc eleganti vocabulo) auctorem nunc audiamus. „ Or si (inquit in *Additione* anni „ 1750.) au jugement d'un Pape si remply de la Science Ecclesiastique les sentimens du Cardinal Noris, & „ per consequent ceux des PP. Bellelli & Berti, sont „ Catholiques; comment les sentiment des Appellans „ pourroient ils ne l'être pas? puisque nous protestons (hinc incipit exscribere Archiepiscopus Senonensis verba hujus Appellantis, omissa nostra cum Norisio concordia) „ à la „ face du ciel & de la terre, sans craindre d'être démentis par aucun de ceux qui adhérent à l'Appel, que sur „ l'article de deux amours, sur l'obligation de faire tous „ nos actions par un motif de charité, sur la nécessité de „ la grace, sur l'œuvres des Infidéles, sur la foi considérée comme premiere grace, sur l'insuffisance de la „ crainte servile, sur l'impossibilité de l'état de pure nature, sur l'essence & l'efficacité de la grace, sur la „ liberté requise pour le merite & le démerite, sur la „ redemption des hommes par la morte de J. C. en un „ mot, sur tous les points qui sont accusés d'erreur par „ M. de Saléon, & justifiées par le P. Berti, nous n'„ avons d'autre doctrine que celle dont ces Religieux „ vient de prendre la défense au nom de tout l'Ordre des „ Augustins. Son triomphe est le notre, des que, de l'„ aveu de M. de Saléon, notre doctrine, ne differe pas „ de la sienne. „ Hæc in præcitata *Additione* pag. 14. Plura ibidem, & in *Additione* altera anni 1753. his consimilia leguntur. Atque eadem, ut suadet imperitis, non posse a nobis evitari Jansenismi notam exscribit Scriptor quoque Historiæ Litterariæ Italicæ; num recte, humanissime Lector, attende.

Principio antequam conscripta a nobis Theologia ederetur in lucem, asserentibus Appellantibus, se non discedere a doctrina SS. Augustini, & Thomæ, Languet tunc Episcopus Suessionensis, in Instructione Pastorali an. 1718. num. 65. respondit: *Verumenimvero putatis ne hæreticos illos non sæpe ad se purgandos ursisse prætensam illam conformitatem suorum principiorum cum textibus Sanctorum Patrum, & maxime S. Augustini? Tantum opus est conjicere oculos in ipsum Jansenii librum, in omnia scripta quæ in ejus defensionem prodierant, eo tempore, quo de ejus condemnatione agebatur; omnia tum nomine S. Augustini personabant, buccis plenis clamitabatur quod ipsius doctrina peteretur, quod essent larvati Pelagiani sub Molinistarum nomine, qui eversa Jesu Christi gratia, ipsiusque Propugnatoris S. Augustini, erroneum suum systema invehere volebant. Diurnale Domini de Sancto Amore, famosi quinque Propositionum defensoris, fidem facit eum tunc fuisse sermonem. Querelæ eadem sonant in ore defensorum Baji, sonant in ore Lutheri, Calvini, aliorumque hæreticorum. Synodus Dordracensis, ut refert Jurieu, aliud nihil intendit, quam partium suarum sectatoribus injicere necessitatem sustinendi methodum S. Augustini ad sistendum Pelagianismi torrentem universum brevi Belgium inundaturum. Sic loquuntur omnes hæretici: hoc est speciosum velum, quo suos involvunt errores. Verum Ecclesia vanas istas declamationes sprevit: quod aliquando fecit, etiamnum facit: perperam allegabitis Sanctorum Patrum auctoritatem, prout hæretici eam allegarunt. Sicut Ecclesia eorum sermonem contemsit, ita nec vestri exaudientur. Non modo novissimi auctores per Ecclesiam censurati caussam suam Patrum textibus tutati sunt; quotquot eos præcesserant, modo eodem locuti fuerant: & hoc asseverari potest, nullum unquam extitisse hæreticum, qui errores suos vel Scripturæ, vel Patrum textibus purgare non prætenderit.* Quod ubi Languetius Appellantes alloquens demonstravit, per varias Paulli Samosateni, Macedonii, Arii, Nestorii, Eutychetis, aliorumque hæreticorum classes discurrendo, ita prosequitur: *Aures arrige ad mira hæc Tertulliani verba.* Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex voluntate Dei dispositas, ut hæreticis materiam subministrarent, cum legam, Oportet hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt. *Idem est de traditione, & ut sententiæ Tertulliani insistam, non minorem hæresibus materiam illa suppeditavit, quam ipsamet Scriptura. Ast Ecclesia de omnibus istis subtilitatibus sancta decisionum suarum auctoritate triumphat.* Addit quoque Languetius exemplum Facundi Hermianensis, qui in spissum Opus *pro defensione trium Capitulorum* compegit textus S. Athanasii, Eustathii Antiocheni, Amphilochii, Sanctorumque Gregorii, Chrysostomi, & Cyrilli, ut eos cum textibus a Concilio Constantinopolitano damnatis conferret. Profecto nos non eo devenimus arrogantiæ, non adeo scriptorum nostrorum inflati sumus æstimatione, ut hæc vel Augustini, vel aliorum Patrum, multo minus divinarum Scripturarum auctoritati audeamus comparare. Absit a nobis, minimis & pusillis, tanta præsumptio. Hoc unum reponimus: Cur miratur Præsul Gallicanus, abuti illos parva lucubrationum nostrarum auctoritate, quos abuti summa Patrum, & irrefragabili & divina Canonicorum librorum ipsemet affirmavit? si eo Judice, inepte ratiocinatur qui ait, Testantur Appellantes se per omnia sequi Augustinum, jactant hæretici Scripturis Sanctis dogmata sua cohærere; igitur & Augustinus est proscribendus, & hæreses Scripturis Canonicis comprobantur: Quomodo, obsecro, invictum & peremptorium censendum est argumentum istud, quo Senonensis Præsul nimium sibi plaudit, Gloriantur Janseniani amplecti se Augustinensium Theologorum doctrinam, ideoque istorum, illorumque una revera, eademque doctrina est?

Secundo autem tanta in nos Senonensis Præsul commovetur, ac perturbatur indignatione, ut non videat iisdem momentis, quibus evincit Scriptorem *Gazulæ* esse Jansenistam, nos ab omni Jansenismi suspicione purgari. Jansenistam esse inquit Scriptorem illum, primo *quia est ridiculorum Diaconi Paris miraculorum, & infamium convulsionum impudens defensor.* Secundo *quia sese Baji, Jansenii, & Quesnellii sectatorem sine fronte audet profiteri.* Tertio *quia Bajum ut doctorem venerandum encomiis ornat.* Quarto *quia Archiepiscopo Viennensi, quasi erranti, immo & sensui communi deroganti exprobrat quod S. Pii V. Bullam contra Bajum asseruerit ab universa Ecclesia fuisse probatam.* Quinto *quia inquit, Ecclesia de Jansenii facto non pronuntiavit, & Ecclesia in his factis judicandis errare potest.* Sexto *quia cum aperto Bullæ* Vineam Domini Sabaoth *contemptu pronuntiat Ecclesiam in talibus judiciis obsequioso silentio esse contentam, & ita indubitanter statutum per pacem a Clemente IX. pristino seculo initam.* Septimo *quia Constitutionem* Unigenitus *omnibus improperiis prosequitur, perniciosam nominat; nec dissimulari potest, inquit, quin præcipuas veritates circa doctrinam fidei, & morum disciplinam vulneribus impetat. Huic nonnisi auctoritatis phantasma permittit, additque nihil magis chimericum, quam illa, quæ ei attribuitur, universæ Ecclesiæ acceptatio & obedientia. Porro has blasphemias his verbis concludere non veretur:* „ Sanctæ veritates pro quibus pugnamus & „ patimur, per Apologiam P. Berti triumphant. „ Hæc in Epistola II. ad Benedictum XIV. quam nunc expendimus.

Agedum, cerne harum blasphemiarum ex libris nostris triumphos. I. Miraculorum Paris, & convulsionum nullibi meminimus. Generaliter vero de miraculis egimus lib. 2. Theol. discipl. cap. 20. regulas dignoscendi vera a falsis miraculis tradentes: ac iisdem regulis facillimum cuique erit pseudomiracula Paris discutere & refutare. II. In libro 17. cap. 1. Baji, Jansenii, & Quesnellii damnatas propositiones refello, ac toto illo libro in eodem argumento persistens pro Apostolicis decerto Constitutionibus. III. Capite 2. ejusdem libri demonstro Bullas Romanorum Pontificum adversus Bajum temere, audacter, & inverecunde dici a nonnullis suppositiitias, & Bullam S. Pii V. vindicare data opera adnitor. IV. In Baji Apologistas eodem capite stylum converto, invicte demonstrans nefas esse damnationi articulorum ejus obsistere. V. Omnes Jansenii propositiones exagito, refello, & recte ab Ecclesia damnatas cap. 3. & 4. demonstro. VI. Pro firmissimo Judicio Romani Pontificis *circa Facta dogmatica* instituo capite 5. prolixam dissertationem. VII. *Obsequiosum*, ut vocant, *silentium* damno in capite 6. demonstrans

nulli

nulli fas esse uti simulatione, vel restrictione aliqua in subscriptione *Formularii*, Bulla quoque *Vineam Domini* laudata. Denique tota illa dissertatione a Jansenianorum cavillulis, & oppositionibus Constitutionem *Unigenitus* ut vindicem, adlaboro. En characteres Catholicæ doctrinæ directe oppositi characteribus Jansenismi productis ab Archiepiscopo Senonensi. Quisquis oculos duntaxat conjecerit in prælaudatum librum 17. Theolog. disc. id aperte, evidenterque cognoscet; & quidem hoc eodem servato ordine, quo utitur Archiepiscopus. Æquum igitur erat, ut is potius auctori *Gazulæ* responderet: Quomodo dogmata, pro quibus pugnas, & pateris, per Apologiam P. Berti triumphant? Fovet ne is Jansenianum systema, partesque Appellantium, miraculorum Paris adprobatione? Minime. Profitetur ne sine fronte Baji, Jansenii, & Quesnellii sectatorem se esse? Minime. Cumulat ne Bajum tanquam venerandum Ecclesiæ doctorem laudibus & encomiis? Minime. Rejicit ne Bullam S. Pii V.? Impugnat ne Constitutionem *Unigenitus*? Docetne Ecclesiam, Romanumque Pontificem in *Factis dogmaticis* aberrare? Probat ne *obsequiosum silentium*? Minime. Minime, inquam. His assertionibus tuis Augustinianus Theologus evidentissime adversatur. Non ergo per ipsum triumphant, sed evertuntur, & profligantur. Hoc erat ingenuo viro respondendum, si nostram cum assertionibus Appellantium contulisset doctrinam. Interim videat, nullum ex characteribus Jansenismi a se paullo superius allatis posse nobis aptari.

Tertio Auctor *Ephemeridum* seu *Gazulæ*, non solum gloriatur a se doctrinam nostram propugnari, sed etiam doctrinam Cardinalis Norisii, ut liquet ex priori *Addit.* pag. 14. cujus verba produximus supra, necnon ex *Appendice* altera anni 1753. pag. 27. ubi ait fieri nequaquam posse, ut inducatur ad proscribendam sententiam, & veritates illas „ ausquelles, inquit, nous faisons gloire d'être „ attachés, & que nous soutenons non seulement avec ces „ deux Religieux d'Italie, mais encore avec tout l'Or„ dre des Augustins, avec la sçavante Faculté de Louvain, „ avec le celébre E'cole de S. Thomas, avec ce qu'il y „ a de plus distingué dans l'Episcopat & parmi les Theo„ logiens. „ Si ergo nos cum Jansenistis simus proscribendi, propterea quod affirmat id genus hominum se habere nobiscum doctrinæ communionem; erit proculdubio in Jansenistarum classem cum universo Augustiniano Ordine conjicienda sacra Facultas Lovaniensis, celeberrima Schola Thomistica, cœtusque Episcoporum, Theologorumque nobilior, quum de hisce singulis sit eadem, ac de nobis, auctoris hujus jactatio.

Quarto idem *Gazulæ* auctor me sæpenumero redarguit, quoniam Quesnellio chimericos adscribam errores; cumque Archiepiscopos Viennensem de Saleon, & Senonensem Languet undique exagitet, ac pro me pugnam adoriri videatur; his nihilominus Archiepiscopis assentitur affirmantibus nullum inter me, & Quesnellum, quoad doctrinam inveniri discrimen; ut inde inferat CI. propositiones immerito fuisse damnatas, abjiciendam esse Constitutionem, & Appellantium caussam ipsomet laudatorum duorum Præsulum judicio fulciri. Ita quantum attinet ad doctrinam me Archiepiscopis, quantum vero ad sinceritatem Archiepiscopos mihi præfert, nunc in utrosque urbanus, nunc asperrimus. Gerit sese ad eumdem modum auctor Opusculi inscripti „ Essai sur la verité & la sincerité „ typis cusi an. 1754. prius doctrinam meam propugnans, deinde me tanquam minus sincerum redarguens, quod amplectar Constitutionem *Unigenitus*. Invehitur autem eadem reprehensione in Danielem Concinam Virum Clar. nuperrime vita functum, & acerbiori quoque stylo in Archiepiscopum de Rastignac, qui doctrinæ addictus eidem, *Constitutionem* excepit, & veritati, non sinceritati litavit. Verum si redargutoribus istis sinceritate caremus; longe plurium, & graviorum judicio, sinceritatem, quæ a veritate nequit esse divulsa, religiose colimus & custodimus. Ipse enim, ipse auctor *Gazulæ* in *Additamento* anni 1750. pag. 14. testatur nos de articulis Baji sensisse juxta Sanctissimi Pontificis Pii V. Bullam, eorumque doctorum, qui ad illam edendam Pontificem Maximum impulerunt, interpretamenta & declarationes; & consequenter ad conciliandam cum eadem Bulla doctrinam S. Augustini, tribuisse prænarratis articulis sensus erroneos, absurdos hæreticosque; Archiepiscopum autem Viennensem majori æquitate de Bajanis articulis ex Baji libris & Apologia judicasse, ut inde nostram cum ipso Bajo evinceret consensionem. „ Le „ Pere Berti (inquit) juge de Bajus non par les Ecrits „ de ce docteur, ni par les declarations qu'il a faites de „ ses sentimens, mais par l'idée qu'on en a donnée à Pie „ V. & qui l'a déterminé à censurer des propositions ex„ traites de ses Livres. Le desir de concilier la Bulle de „ ce Pape avec la doctrine de S. Augustin, porte ce Re„ ligieux, comme il a porté avant lui beaucoup d'autres „ Théologiens, á attribuer à Bajus de sentimens absur„ des, erronés & même heretiques, sans examiner, com„ me la charité & la justice l'exigeoient, s'il est vrai que „ ce Docteur respectable par sa piété, son humilité & „ sa candeur, ait eu ces mauvais sens, M. de Saléon au „ contraire, par une conduite qui paroît plus équitable, mais „ dont les suites sont infiniment pernicieuses, ne veut juger „ de sentimens de Bajus que par ses propres Ouvrages & par „ son Apologie: le fruit de cet examen est de le convain„ cre que ce Théologien n'a pas enseigné les erreurs qu' „ on a coutume de lui imputer, en consequence il s'ap„ plique à l'en justifier. „ Si ergo Scriptoris hujus accipiendum est testimonium; nos de Baji articulis judicamus, quemadmodum judicavit S. Pius V. & quemadmodum judicarunt Romani Theologi, cunctique Catholici viri, qui primum eosdem proscripserunt articulos; Doctores nempe Universitatis Parisiensis, qui illos anno 1560. damnarunt, cæterique auctores Sanctissimo Romanæ Ecclesiæ Pastori Pio V. promulgandæ anno 1567. Bullæ *Ex omnibus afflictionibus*, Gregorius XIII. Urbanus VIII. & Innocentius X. qui S. Pii Bullam confirmarunt, dederuntque operam ut reciperetur in Belgio; ii demum omnes, qui eamdem Bullam, aliasque in ejus confirmationem editas defensitant. Atque ii omnes æque, ac nos, iniquæ subjiciuntur accusationi, quod damnatis articulis sensus tribuamus exoticos, erroneos, hæreticos: Archiepiscopus autem Viennensis verum eorumdem articulorum assecutus est sensum, hunc ex Baji Operibus ejusque expiscatus Apologia; atque cum sensus iste sit oppositus sensui a Pio V. a Parisiensibus, a Theologis quamplurimis reprobato, ideoque catholicus, idem Archiepiscopus catholicum hunc sensum insectando, dum pugnare videtur pro Bulla Pii V., & Bajanistas revincere, pernicioso certamine, & eventu prorsus contrario Bajum justificat, oppugnatque latas adversus illum Apostolicas Constitutiones. Hæc est injuriosa Sedi Apostolicæ Appellantium ratiocinatio suapte natura fluens ex Censuris Archiepiscopi a damnato sensu articulorum Michaelis Baji sensum Catholicorum Scriptorum non discernentis; si Auctoris *Ephemeridum* idoneum excipiendumque sit testimonium. Si vero rejiciendum est, ut ex iisdem contumeliis in S. Pium V. aliosque Pontifices, necnon in Theologos Orthodoxos liquet rejici oportere: quare in nos testimonium illud producitur? quare Archiepiscopus Languet eodem testimonio, tanquam authenticis tabulis, nos damnandos esse pronuntiat? Actionem testium excludimus, tabulas refutamus.

Idem, quod de Bulla S. Pii V. adversus Bajum, de Constitutione *Unigenitus* contra Quesnellium est asserendum. Etenim nos pro utraque pugnantes in propositionibus Quesnellianis proscriptum sensum diximus, quem proscriptum fuisse tradiderant anno 1720. centum Episcopi Galliarum. Hi, si habenda est fides auctori *Gazulæ*, ante nos adtribuerunt Quesnello impias hæreticasque sententias, quas ille numquam propugnavit, semperque fuit execratus: atque Archiepiscopus Viennensis id de Quesnello asserens, incaute demonstrat fuisse illum immerito inscienterque proscriptum. „ Car telles sont les erreurs (legitur in *Gazulæ* „ pag. 20.) sur les quelles le P. Berti, à l'exemple des „ Evêques de France dans leurs Explications, fait tom„ ber la censure de Clément XI. Mais l'Archevêque de „ Vienne fait voir que personne dans l'Eglise ne soutient „ ces empietés, & que le P. Quesnel en particulier les „ a toujours détestées. „ Nos itaque, si hujus Scriptoris aptum sit testimonium, eodem sensu proscriptas diximus theses Quesnellianas, quo sensu proscriptas affirmarunt centum Galliarum Episcopi; atque nos cum illis erravimus. Viennensis autem Antistes Quesnellum a pravo illo sensu alienum fuisse fatetur. Nobiscum ergo centum ipsos Gallicanos Præsules calumniis onerat, & Quesnellium imprudenter absolvit, subversa, pro qua certat, *Constitutione*. Hæc ex ratiocinatione illius Appellantis, Apostolicæ Sedi, & centum Episcopis contumeliosa, inferuntur. At inepta ea est, inquis, ac tenuiter deducta. Ita quidem. Sed cur hujus hominis contra me producitur testimonium, ac producitur ab Episcopo, qui fuit unus ex centum illis ab auctore *Gazulæ* contumelia conviciisque nobiscum affectis?

Quinto, ut ad ejusdem auctoris doctrinam, qua nobiscum se consentire gloriatur, mea revertatur oratio; necessum est animadvertere, in qua Jansenistarum locandus sit classe: siquidem, ut prænotavimus, sunt in Galliis permulti, qui pro vera Augustini doctrina pugnant; sed in eo decipiuntur & errant, quod *Constitutioni* reluctantur, quoniam ista doctrinam illam impeti & reprobari quidam, haud recte consulentes Ecclesiæ, vociferantur. Sane quod ait se nobiscum sentire circa relationem actionum humanarum in Deum, non est culpandum; quum id teneant bene multi, istorumque sententia nequeat *absque nota temeritatis* rejici tamquam dogma Jansenianum, centum Episcopis id contestantibus. Propugnantes systema duarum delectationum, & in delectatione victrici statuentes gratiæ efficacitatem, dummodo ab iis asseratur libertas indifferentiæ, a nota Jansenismi immunes esse, arbitror me demonstrasse. Timorem autem servilem, omni actu amoris Dei *propter se* exspoliatum non sufficere in Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam justificationis gratiam, & Theologi orthodoxi tradunt, & nefas est horum sententiam alicujus Theologicæ censuræ, aut contumeliæ

meliæ nota taxare (*a*) decreto Alexandri VII. a Benedicto XIV. comprobato, in libro de Synodo. Doctrina itaque Auctoris, de quo loquimur, non est, ut Languetius censet, omni ex parte Jansenianа, ac, semota in Ecclesiæ definitiones irreverentia, studioque nimio in Auctores damnatarum propositionum, nescio an sit ubique falsa, & erronea, idque declarandum relinquo Ecclesiæ, Romanoque Pontifici.

Infertur ex iis augeri in Galliis scandalum, & dissensiones, propterea quod nonnulli sententias Catholicorum perperam cum damnatis confundunt erroribus, prout sapientissime præmonuit Beatissimus Pontifex Clemens XI. Revera cur Appellantes clamitant, proscriptas fuisse in Bulla *Unigenitus* veritates orthodoxas? En ratio ab illis producta: Fratres, inquiunt, Bellelli & Berti idem docuerunt, ac Bajus, Jansenius, & Quesnellus. Hoc Archiepiscopi Viennensis & Senonensis demonstrarunt. Atqui doctrina Fratrum Bellelli & Berti Catholica est, & a Romanis Censoribus, etiam post repetitum examen adprobata, vindicata, in urbe Roma, & ubique terrarum tradita. Id unicuique compertum est. Ergo judicio Archiepiscopi Viennensis & Senonensis in propositionibus Baji, Jansenii, & Quesnelli damnata est doctrina Catholica. Recipiendæ ne sunt Constitutiones doctrinam Catholicam proscribentes? Vide an hæc sit Appellantium jactantia. „ Voila donc (legitur pag. 10. *Addit.* 1.) tout „ le corps des Appellans, ou des prétendus Jansenistes, „ justifié, & déclare catholique par un de ses plus outrés „ adversaires. C'est M. l'Archêveque de Vienne, c'est „ M. De Saléon, qui avoüe & publie que nos sentimens „ sur les matieres contestées sont les mêmes que ceux „ des PP. Bellelli & Berti. Or malgré qu'il en ait, les „ sentimens de ces deux Théologiens sont très-Catholi- „ ques. Il est donc vrai (& c'est M. De Saléon qui „ nous donne acte) que le Jansenisme, pris pour une „ secte de gens qui soûtiennent l'erreur des V. propos- „ tions, n'est qu'un phantôme, &c. „ Similia repetit pag. 15. paragrapho „ Qu'il nous soit permis, &c. „ Similia sequenti pag. 16. parag. „ La controverse sur les „ sens du P. Quesnel. „ Similia pag. 19. §. „ Recevoir une Bulle, &c. „ Similia, & prolixiori jactantia in alte- „ ro *Additamento* anni 1753. pag. 26. n. 5. „ Répondra-t-on que si notre doctrine, &c. „ Pari ratione in illo, quo nunc Gallia vexatur, dissidio circa deneganda Sacramenta non recipientibus *Constitutionem* (quod tamen dissidium solicitudine ac sapientia Benedicti XIV. propediem componendum fore speramus) ita *Constitutioni* refractarii conclamant: Quod crimen a nobis admittitur, cujus caussa privandi sumus divinorum Sacramentorum subsidio? Crimen est ne nolle recipere Bullam, qua doctrina proscribitur Orthodoxa? At Orthodoxa est doctrina, quæ tenet in Deum actiones nostras referendas esse, prout olim centum Episcopi declararunt, ac modo annuit Antistes Carcassonensis. Ceterum in Bulla *Unigenitus* doctrinam hanc fuisse damnatam tradunt Archiepiscopi Cameracensis & Senonensis, necnon ingens Jesuitarum multitudo. Nullum itaque est crimen Bullæ, qua reprobatur Orthodoxa doctrina, contraire atque obsistere. Vide, quo pacto unus Appellantium Theologus suam tutetur pervicaciam, ut se criminis ostendat expertem. „ (*b*) En voici, inquit, la preuve. „ Que je demande à M. l'Evêque de Carcassonne, l'un „ d'entre vous, si la doctrine qui fait du rapport de tou- „ tes les actions à Dieu un précepte, est une doctrine „ saine, & irrépréhensible, ce Prélat me répondra sans „ hesiter; elle est saine, elle est orthodoxe. Cent Evêques „ l'ont dit avant moi. Que je demande à M. l'Archêve- „ que de Cambrai, aussi l'un d'entre vous, s'il n'est pas vrai „ que la Bulle condamne cette doctrine que M. de Car- „ cassonne assure être orthodoxe. M. de Cambrai me ré- „ pondra avec la même assurance: rien n'est plus vrai. „ Si de l'aveu de M. de Cambrai la Bulle condamne „ une doctrine que M. de Carcassonne assure être très- „ saine, & très-orthodoxe, prononcez, Messeigneurs, puis- „ je être coupable en rejettant la Bulle qui condamne „ cette doctrine si saine, & si orthodoxe? „ Et paucis interjectis ita de Parisiensi Archiepiscopo ait: „ Ce „ Prélat fait très-bien que M. de Cambrai, M. de Sens, „ & tous les Jésuites de l'Univers imputent à la Bulle „ de condamner la doctrine qui fait du rapport de toutes „ nos actions à Dieu par amour une obligation indispen- „ sable. Mais loin de rompre pour cela avec M. de Cam- „ brai, avec M. de Sens & avec la Societé, il ambition- „ ne d'avoir pour défenseurs & M. de Cambrai, & M. „ de Sens, & tous les Jésuites. Donc M. l'Archêveque „ ne regarde pas comme un crime d'imputer à la Bulle „ de proscrire une Doctrine Orthodoxe. „ Tali ne auda- cia pollerent Appellantes, si Archiepiscopus Senonensis a judicio in nos ferendo temperasset, si a censura catholicæ doctrinæ abstinuisset, si juxta Clementis XI. præscriptionem Scholasticorum placita ab erroribus damnatis segregasset, si fassus esset ea, quæ palam, & coram Pontifice Maximo defenduntur, non esse prohibita? Nonne melius Ecclesiæ tranquillitati, & caussæ contra Appellantes agitatæ consuluisset, si illos gloriantes de sua nobiscum in doctrinis concordia, hac, aut consimili oratione interpellasset: Si cum Augustinianis Theologis de Christi gratia, & de hominis libertate sentitis, illorumque sententia libere propugnatur; Cur una cum illis non exhibetis Constitutionibus Apostolicæ Sedis obedientiam? Cur prætextu condemnationis, quæ nulla est, a vobis perniciosum schisma constatur? Cur fine contentioni tandem imposito, in commune veritatis præsidium animum non intenditis? Poterat hac agendi ratione discordes animos conciliare, de Sede Apostolica bene mereri, *Constitutionis* sartam tectamque reddere veritatem, compescere refractarios, suum deferre Scholis omnibus Orthodoxis honorem. Quoniam diversam iniit rationem, quid consecutus est utilitatis & gloriæ? Peperit *Constitutioni* contemptum, pervicaciores reddidit Appellantes, horum in se arma convertit, suam prodidit infirmitatem, catholicis evasit infensus, plurimorumque pacem turbavit. Ipse ergo incendium, quod omnium Catholicorum conspiratione debet extingui, etiam inter Catholicos excitando, longe lateque propagavit dissidia. Haud aliter se gerunt qui ut soli videantur sapere, alios infamant, suarumque opinionum monumenta construere nituntur in depressione aliarum. Videant modo suarum concertationum exitum, & consilia capiant salubriora.

Reliqua percurram breviter. Nam quod inquit Senonensis Archiepiscopus in lucem Apologiam nostram prodiisse *silente, & quasi protegente Pontifice*, id innocentiæ nostræ argumentum est maximum. Neque enim ad vineæ Domini custodiam, & ad ovium Christi pascua vigilant & præsident Pastores muti; nec protegit arx veritatis & fidei portenta mendaciorum, hæresumque fallacias. Sed detur ignoranti Benedicti XIV. sapientiam, curam, providentiam, & quam adhibuit in libris nostris doctissimorum virorum subjicendis examini, diligentiam, solicitudinem ac vigilantiam, hæc inconsiderata & minus castigata locutio. Non indigebat, ait, libris istorum Augustinensium Ecclesia. Primum non tanti nos æstimamus, ut opera nostra egere putemus Ecclesiam: ipsa tamen parvulorum quoque suorum blanditur obsequiis. Deinde nec censuris alieni Episcopi Sedes indigebat Romana. Præterea Ecclesiæ pars est Augustiniana Familia, quæ credidit ex libris nostris consequi posse aliquod Scholarum suarum emolumentum & commodum. Insuper Ecclesiæ utilissimum esse potest, si omnes, etsi diversarum opinionum, Theologi pro fidei decretis unanimiter pugnam gerant. Ulterius quid magis exitiosum infestumque adversariis, quam si illi, quorum fidunt patrocinio, & fœdere gloriantur, in ipsos arma convertant? Demum Cardinalis Besutius in ea quam sæpe laudavi librorum nostrorum *Censura* hæc tradidit scripto: „ Se ho a dire con libertà „ il parer mio, io sono d'opinione esser espediente alla „ Chiesa che fra di noi Cattolici vi sieno questi Teolo- „ gi, che salva la Fede, e l'ubbidienza dovuta alla San- „ ta Sede, e probabilmente spiegate le Constituzioni A- „ postoliche, seguitino in rigore, & *ad litteram* S. Ago- „ stino, non solo per così chiudere la bocca a' Calvinisti, „ e Giansenisti, che circa S. Agostino continuamente ci „ rimproverano una guerra, per così dire, Papale; ma „ ancora per lasciare aperto un adito più facile di ricon- „ ciliarsi con la Chiesa a que' sedotti, e meno maliziosi „ Giansenisti, che dall' unica autorità di S. Agostino so- „ no, come dicono, trattenuti dal riconciliarsi con la „ medesima. E questo adito fra gli altri esser la dottrina „ Agostiniana circa la dilettazione vincitrice nello spie- „ gare l'efficacia della grazia, e dell'obbligazione di vir- „ tualmente riferire a Dio ultimo fine l'umane operazio- „ ni deliberate, lo scrive espressamente il P. Bolland nel „ suo Libro in lingua Francese sotto il titolo = Modo „ facile per conciliare gli spiriti sopra le difficoltà che „ riguardano la Bolla *Unigenitus* = nel tomo 1. pag. „ 135. e nel tomo 2. p. 2. pag. 596. nel §. *Il y a deux* „ *choses*.

Num Molinistæ, tamquam Jansenii asseclas, Thomistas & Augustinenses traducant, ostendunt quæ produximus in Præfatione Vindiciarum pag. XXI. & seqq. Falsissimum est autem quod scribit Archiepiscopus Senonensis, se *Thomistis potius, quam Medistis* adhæsisse. Primo quia Thomistæ ex omnipotentia Dei repetunt Gratiæ per se efficacis energiam; & Archiepiscopus Senonensis Epistola Pastorali 5. pag. 30. & rursus Epistola 8. pag. 274. approbavit propositionem illam P. *Asserme*t Minoritæ, *Je dis que Dieu est tout-puissant sur le cœur de l'homme, mais non pas à l'égard du salut eternel*. Deinde quia nullus Thomistarum docet non esse imputandum peccatum, si quis culpa sua careat auxilio gratiæ, tametsi an aliquis justo Dei judicio gratia sufficienti destituatur, necne, recentiores Thomistæ nequaquam consentiant. At peccatum imputari non posse, si impius in profundum peccato-

(*a*) Alexander Septimus an. 1667. die 5. Maji, & Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana libro 7. cap. 13.
(*b*) Lettre d'un Theologien aux Evêques qui ont ecrit au Roi pour se plaindre de l'Arrête du Parlement du 5. *Mai 1752. pagina 8.*

catorum demersus, & destitutus gratia legem transgrediatur, sententia est Languetii Epistola 5. Pastorali pag. 210. & sequentibus. Tertio quia cum prædestinatione ac prædeterminatione Thomistica nequit componi æquilibrium, quo liberum arbitrium æquales ad bonum & malum habeat vires. At Senonensis Archiepiscopus in Epistolis ad Episcopum Montispessulani, præsertim in VII., quamvis asserat rejici a se æquilibrium illud, quod appellat „ l' „ équilibre de penchant, l'équilibre d'inclination, l'équili- „ bre Pelagien „ attamen affirmat propugnari a Thomistis „ une sorte d'équilibre reconnu par eux pour être essen- „ tiel à la liberté „ appellatque æquilibrium istud „ é- „ quilibre de pouvoir „ ignorans in quo æquilibrium hu- jusmodi situm sit :&, quod caput est, damnavit articulum illum ex XII. quartum „ Dans l'état de la nature „ tombée, afin que le libre arbitre de l'homme soit censé „ pecher, ou meriter, il n'est pas necessaire qu'il ait des „ forces égales dans la volonté. „ Insuper quia ab eodem Episcopo Montispessuli epistola 5. convictus Languetius fuit quædam verba S. Hieronymi scribentis, *Deus potentiam suam nostro arbitrio derelinquit*, ut ostenderet Deum suam libero arbitrio subjicere potestatem, ita vertisse „ „ Dieu abandonne sa toute-puissance à notre libre arbitre „ : locutio a nullo Thomistarum usurpata, & doctrinæ de Gratia per se efficaci, ac de prædeterminatione repugnans. Agitur in eadem 5. Epistola de immutatis a Suessionensi Episcopo Languet verbis Benedicti XIII. ad demonstrandam ab errore immunem prædictam P. Assermet propositionem. Quid plura? In hac ipsa Epistola ad Benedictum XIV. Præsul Senonensis rejicit tamquam damnatam in prima Jansenii, & repugnantem Apostolo scribenti ad Romanos 3. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, hanc propositionem, *Gratia per se efficax nemini debetur, nequidem justo*. Quis vero Thomistarum docuit cuique justo deberi, ideoque nec deesse gratiam per se efficacem, qua adjutus numquam a justitia decideret, quum gratia per se efficax numquam suo frustretur effectu? Quis Thomistarum non docet Justum per auxilium sufficiens habere absque gratia efficaci perseverandi vincendique tentationes potentiam, efficaci autem adjutorio præmotum cum eadem potentia actu perseverare, actu vincere tentationes? Senonensis ergo Archiepiscopus neque Thomistis adhæret, neque Thomistarum noscit principia: & fortasse, quod illi exprobrant Scriptor Anonymus, & Episcopus Antissiodorensis Epistola 6. p. 1. pagina 54. neque ille idem diffitetur, ac nos observavimus superius, in Theologicis controversiis non fuit, quantum necessum erat ad judicium de his ferendum, exercitatus.

Animadversiones istas absolvo: nam quæ in fine Epistolæ Senonensis Archiepiscopus scribit, prolaturum se testimonium ante tribunal Christi contra illos, qui BENEDICTO XIV. suggerere non verentur *exitiale silentium, funestamque fidei prudentiam*, num digna sint Episcopo, Apostolicæ Sedis ac tanti Pontificis cultore, unusquisque intuetur. Principio ad hunc Pontificem officiosam & humilem dirigit epistolam, eumque ait *toti Ecclesiæ scientia simul & auctoritate prælucere*: nunc illum increpat, quod suggerentibus *exitiale silentium, & funestam fidei prudentiam* aures accommodans sinat falsam doctrinam serpere ad instar cancri, & triumphos agere Jansenistas. Quid est Judicem suum conniventiæ, socordiæ, imprudentiæ, turpisque, ob quam ab impiis, ignaris, improbisque seducitur, cæcitatis reprehendere, si hoc non est? Pontificis Maximi commendanda potius est prudentia, solicitudo, integritas, & justitia, quoniam nulli addictus parti tam accusationem potentis, quam pauperis defensionem excepit; nec permisit calumniantium dicteriis veritatem opprimi & conculcari. Silentio usus est, ne novitas incesseret vetustati: prudentia, ne cum zizaniis eradicetur & triticum. Deferre ad Christi tribunal suæ appellationis libellos ajebant morti proximi Appellantes Episcopi, quia Sedis Apostolicæ contemnebant judicia. Erit ne Sedi Apostolicæ, & BENEDICTO XIV., ut sese nominat, *obsequentissimus*, qui ad tribunal Christi se delaturum profitetur testimonium adversus eos, quorum suggestione Supremus Ecclesiæ Pastor utitur *exitiali silentio, & funesta fidei prudentia*? Melius profecto dixisset cum Magno Gregorio in Epistola ad universos Numidiæ Episcopos: *Districtus Judex ad examinandum deducturus est cuncta quæ gerimus, & unumquemque nostrum, non ex prærogativa sublimioris gradus, sed ex operum meritis approbabit*. Sed quoniam Gregorii Magni mentionem fecimus, perutile erit, si & Episcopi reminiscantur ejusdem ad Syagrium Augustodunensem admonitionis: *In Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere*; necnon alterius, quæ ibidem subjicitur: *Quod nolunt perpeti, nec aliis imponant*.

F I N I S.

INDEX GENERALIS
LOCUPLETISSIMUS
RERUM, ET VERBORUM,

QUÆ IN TOTO OPERE DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS CONTINENTUR.

Prior numerus Romanus indicat Tomum, secundus paginam, a. primam paginæ columnam, b. secundam.

A

ARON. Quare Christus non sit potius Sacerdos secundum Ordinem Aaron, quam Melchisedech? III. *Pag.* 98. b. *&* *Pag.* 99. a. Ex figura illius Sacrificii probatur, quod Christus in cælo non immoletur. III. 107. b. Qualem præeminentiam habuerit Aaron supra Levitas. IV. 276. b.

Aaronicus. Etsi Sacrificium Crucis in Missa iteretur, differt tamen testamentum novum a veteri, & Sacrificium nostrum a Sacrificio Aaronico. IV. 117. a.

Abaelardus (*Petrus*). Ejus error circa potentiam Dei refertur. I. 59. a. refutatur. I. 60. a. *&* b. Naturali virtute putabat demonstrari posse Mysterium Trinitatis. I. 232. a. Falso docuit, nullum opus esse peccatum. II. 228. b. Normam, & regulam Fidei ponit in humana ratiocinatione. II. 290. b. *&* 291. a. Refutatur. II. 291. a. *&* b. Negat peccatum Originale, & Redemptionis necessitatem. III. 103. b. Unde Christum passum affirmat, ut nobis exemplum relinqueret. *ibid.* Refutatur. III. 113. a. *tot. cap.* V. *&* 125. a. *tot. cap.* VII.

Abagarus an scripserit Epistolam ad Christum, & ab hoc responsum tulerit? III. 155. b. *& seq.*

Abbas jure ordinario nequit confirmare, aut Calices consecrare. IV. 26. b. *&* 27. a. An Abbates sint Chorepiscopi. IV. 276. b. An, & quibus sub conditionibus possint conferre primam Tonsuram, & Ordines minores. IV. 284. b. An Abbates Ordinis Cisterciensis habeant potestatem ordinandi Subdiaconos, & Diaconos. IV. 285. a.

Abbatissa. Quid dicendum de Confessione, quam Moniales faciebant Sacerdoti per Abbatissam. IV. 182. b.

Abel. Cur Christus non sit Sacerdos secundum Ordinem Abel? III. 96. b. An Abel sit salutem consecutus sine satisfactione Christi? III. 117. a. *&* b. An Sacrificia Abel fuerint Sacramentum? III. 174. b. *&* 175. a.

Abelly (*Ludovicus*) quid sentiat de Articulis Baji? V. 87. a. Quid sentiat de operibus infidelium, & peccatorum? V. 161. a.

Abgarus. Vid. *Abagarus*.

Abluo. Validus est Baptismus, si loco verbi *baptizo* usurpatur verbum *mergo*, *abluo*, *tingo*: talis tamen mutatio esset peccatum grave. III. 278. a.

Ablutio potest fieri per immersionem, infusionem, & aspersionem. III. 264. b. Ablutio capillorum, vestium, aut minimi digiti non est sufficiens pro Baptismo. III. 268. a.

Abraham. De ejus nativitate, & vocatione. I. 290. a. & b. An fuerit justificatus per solam fidem? II. 159. b. Quomodo ei potuerit præcipi immolatio filii. II. 180. b. Ejus facta explicantur. II. 185. a. An Sarai fuerit soror ipsius? II. 186. b. An sit mentitus dicendo, se statim reversurum cum filio? I. 64. a. *&* II. 199. a. Ab eo templum Mechæ ædificatum Mahumetani credunt. II. 272. a. Ob communicationem Idiomatum Christus dicitur Abrahamo antiquior. III. 78. b. An Melchisedech fuerit dignior Abrahamo. III. 95. b. 96. a. *&* 97. a. Aries pro Isaac ab Abrahamo immolatus figurabat Christum pro peccatoribus oblatum. III. 116. b. & spinis coronatum. III. 163. a. Quomodo viderit diem Christi? III. 116. b. Quomodo intelligendum illud: *Quinquaginta annos necdum habes, & Abraham vidisti?* III. 153. b. An hujus Sacrificia fuerint Sacramentum? III. 174. b. *&* 175. a. An Circumcisio ortum habeat ab Abrahamo, an ab Ægyptiis? III. 175. a. *&* b. Abraham omnium primus est circumcisus. III. 175. b. Et quidem in signum fœderis, quod Deus iniit cum Abrahæ semine. *ib.* An Abraham per Fidem, vel Circumcisionem fuerit justificatus. III. 183. b. *&* 184. a. Sicut Circumcisio est signum pacti Abrahami cum Deo initi; ita Eucharistia est signum testamenti novi. IV. 81. a. Cur Agar dicatur Concubina Abrahami. IV. 332. a.

Abrenuntiatio. De abrenuntiatione Satanæ, exorcismis, & exsufflationibus in Baptismo faciendis. III. 328. a.

Abrogatio. Qualiter quælibet lex immutetur per abrogationem? II. 179. a. Qualiter lex naturæ. *ibid.* a. *&* b.

Absconditus. Fœmina abscondita designat in Scriptura Virginem. III. 27. b.

Absens non potest absolvi ob Confessionem per litteras factam. IV. 180. b. Exempla contraria loquuntur de absolutione a censuris, non de Sacramentali. *ibid.* In quo sensu utilior sit Confessio facta laico præsenti tempore necessitatis, quam Sacerdoti absenti per litteras. IV. 181. a. Cur Sacramentum Matrimonii valeat inter absentes, & cur non Pœnitentiæ Sacramentum? IV. 181. b. *&* 182. a. Cur valeat absolutio a Censuris data absenti, & cur non absolutio Sacramentalis. *ibid.* An absens possit ordinari? IV. 294. a. *&* b. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut valeat Matrimonium inter absentes contractum. IV. 311. a.

Absolvo. Non debet Confessarius absolvere eum, qui sequitur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, si hanc opinionem nolit dimittere. II. 259. b. Absolvi non potest, qui ignorat Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. II. 308. a. Waldenses, Wiclefitæ, & Hussitæ ajunt, Sacerdotem peccatorem non habere potestatem absolvendi. IV. 133. a. Sacerdos absolvit peccata, & non tantum declarat ea esse a Deo remissa. IV. 166. a. *&* b. An Sacerdos in mortali existens valide absolvat. *ibid.* b. SS. Malachias & Bernardus absolvendo mulierem liberarunt eandem ab insaniente furore. IV. 170. b. Non potest absolvi pœnitens absens facta per litteras Confessione. IV. 180. b. Exempla in contrarium adducta demonstratur intelligenda esse de absolutione a censuris, non de Sacramentali. *ibid.* Cur possit absolvi infirmus dans signum doloris per adstantes, & cur non possit absolvi dans signum doloris per litteras. *ibid.* An possit absolvi pœnitens ob peccatum dubium; si aliud non habeat. IV. 185. a. An Confessarius teneatur ad sigillum, si non absolvit pœnitentem. IV. 188. b. Quis possit absolvere, Vide *Confessionis Minister*. Confessarius audiens Confessionem complicis in peccato turpi contra sextum Præceptum incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & privatur potestate absolvendi illud peccatum. IV. 195. a. *&* 196. b. A quibus casibus Papæ reservatis possit absolvere Episcopus. IV. 195. a. Regulares non possunt absolvere subditum Episcopi a casu ab hoc reservato. IV. 195. b. In mortis articulo omnes Sacerdotes absolvere possunt a reservatis quoque. *ibid.* Quid si adsit etiam jurisdictione pollens. *ibid.* Quibus indiciis possit cognosci, pœnitentem ob indispositionem absolvi non posse. IV. 196. a. Si Confessarius audiat peccatum, quod absolvere non potest, illico interrumpat Confessionem. IV. 195. a. *&* 196. a. An potestas absolvendi, & consecrandi sit unus, vel duplex character. IV. 271. b. *&* 272. a. *&* b.

Absolutio. Lutherus unicuique homini adjudicat potestatem ministrandi absolutionem. III. 203. b. Refutatur. *ibid.* Quænam distinctio inter absolutionem in foro interno, & absolutionem in foro externo? III. 217. a. Lutherus, & Melanchthon negant absolutionem Sacerdotis esse actum judicialem. IV. 133. a. Actus pœnitentis Contritio, Confessio, & Satisfactio sunt quasi materia pœnitentiæ. IV. 142. a. Lutherani duas pœnitentiæ partes constituunt, terrorem conscientiæ incussum ex agnitione peccati, & fidem conceptam ex Evangelio, seu absolutione, qua quis credit sibi remissa esse peccata. *ibid.* Catholicorum aliqui tenent Sacramento pœnitentiæ præmittendam esse contritionem perfectam, quæ procedit ex charitate perfecta, & delet peccata culpam apud Deum ita, ut absolutio solum deleat pœnam. IV. 144. a. Non valet absolutio per litteras data. IV. 180. b. Exempla in contrarium adducta loquuntur de absolutione a Censuris, non de Sacramentali. *ibid.* Cur valeat Matrimonium, & non absolutio inter absentes? IV. 181. b. *&* 182. a. Quæ distinctio inter absolutionem a Censuris, & absolutionem Sacramentalem. *ibid.* De absolutione casuum reservatorum, vide *Reservatio*. Quidnam notandum in absolutione casuum reservatorum, & excommunicationum. IV. 195. a. *ac* 196. a. An hæc possit obtineri vi Jubilæi. *ibid.* Quænam sit formula absolutionis. IV. 200. a. An forma deprecativa olim fuerit in usu sive apud Græcos, sive Latinos? congruentior est judicativa. *ibid.* Distinguenda est forma absolutionis Sacramentalis, & reconciliationis Canonicæ. IV. 200. b. Cur in Extrema Unctione sit forma deprecatoria per modum Orationis, & cur non in aliis Sacramentis. IV. 202. a. Forma absolutionis deprecatoria per modum Orationis an sit valida. IV. 200. a. Sacerdos per absolutionis formam non declarat peccata a Deo jam esse remissa, sed ipse auctoritate a Deo accepta eadem peccata relaxat. IV. 166. b. 200. a. *&* b. 202. a. Ac vere exercet actum judicialem. *ibid.* Nec in contrito ante absolutionem ipsa absolutio cessat esse actus judicialis. IV. 200. b. 174. b. *ac* 176. a. *& seq.* Quæ verba sint de essentia absolutionis Sacramentalis. IV. 203. a. Quid dicendum de iis, quæ præcedunt absolutionem, scilicet, *Misereatur*, *Indulgentiam*, ac *Dominus noster* &c. ac quæ sequuntur, *Passio Domini* &c. IV. 203. b. Quid dicendum de absolutione conditionata. *ibid. ac* 206. b. Quid de Confessione, & absolutione puerorum. *ibid.*

Absolutio deneganda est eis, qui laborant vincibili ignorantia Mysteriorum Fidei; qui præbent indicia indispositionis; qui pœnitentiæ, aut restitutionis onera subire nolunt. IV. 204. a. Inolita peccandi consuetudine implicati extra mortis periculum absolutionis beneficio priventur. *ibid.* Qui non vult dimittere proximas peccandi occasiones, non est absolvendus. IV. 204. b. Erga consuetudini, & occasioni deditos Confessarius non sit nimium facilis, nec nimium difficilis. IV. 204. b. *&* 205. a. Increpantur Sacerdotes, qui omnibus sine discrimine absolutionem concedunt. IV. 204. b. Quando consuetudinariis, & occasionariis sit neganda, differenda, vel danda absolutio. IV. 205. a. Quando absolutio negatur, tunc contritio inculcetur. *ibid.* In mortis articulo nemini, etsi perditissimo, neganda est

absolutio, si petatur. *ibid.* Ægroto debet absolutio dari, si petiit Confessarium, & dedit pœnitentiæ signa, etsi, hoc adveniente, loquela, ac omni exteriori sensu sit destitutus, dummodo circumstantes testentur eum petiisse Confessarium, & dedisse signa pœnitentiæ. *ibid.* An is, qui probus erat, & aliquoties Sacramenta frequentavit, possit absolutionis beneficium consequi, si subito omni sensu destituatur, nullo signo pœnitentiæ dato, nec desiderio Confessionis expresso. IV. 205. b. & 206. a. & b. An in his circumstantiis absolutio danda sit ei, qui scelerate vixit. IV. 206. a. An vita Christiana sit signum sufficiens pro impetranda absolutione, si aliud reddi amplius non possit. *ibid.* An essentia pœnitentiæ consistat in sola absolutione. *ibid.* An in veteri disciplina gravioribus criminibus, v. g. apostasiæ, mœchiæ, fornicationi, homicidio venia & pax, ac absolutio sit denegata. IV. 207. a. & b. & 210. b. An eadem olim sit negata ultimo mortis supplicio afficiendis. IV. 207. a. & b. Quid fuerit observatum desuper tempore Tertulliani. IV. 208. a. An Zephyrinus reconciliationem, absolutionem, & pacem tribuendo mœchis, relaxarit rigorem antiquioris disciplinæ. *ibid.* a. & b. An ideo Donatistis sit annumerandus. *ibid.* Damnavit Montanistas contrarium docentes, & rejicientes bigamiam. *ibid.* Quid dicendum desuper de S. Cypriano. IV. 208. b. Nec hic, nec Concilium Africanum negarunt pœnitentibus reconciliationem, & pacem in mortis articulo. IV. 208. b. & 209. a. Quid dicendum de Libellaticis, & Sacrificatis, *ibid.* Nullius in lapsis recipiendis pro Disciplinæ æquitate magis pugnavit, quam S. Cyprianus. IV. 209. a. S. Cyprianus reconciliationem concessit peracta pœnitentia, etsi satisfactio non necessario præmittatur absolutioni. IV. 209. b. Eadem satisfactio est præmissa ex consuetudine Ecclesiæ. *ibid.* In casu urgentis periculi potest absolutio dari sine satisfactione peracta. IV. 210. a. Cur absolutioni necessario præmittatur contritio, & confessio; & cur non satisfactio. *ibid.* Explicando antiquos Canones absolutio Canonica est distinguenda a Sacramentali. IV. 211. a. Si quis perseverat in odio non potest consequi effectum absolutionis. IV. 226. b.

Abstractivus. An creatura rationalis, imago Dei, possit quiescere in cognitione abstractiva Dei? V. 145. b.

Baptismi materia in Jordane est designata. III. 258. a. & b. Manichæi, & Pauliciani non adhibuerunt aquam in Baptismo, quia eam putabant a principio malo productam. III. 260. a. Seleuciani vel Hermiani pro aqua adhibuerunt ignem propter verba: *Ille vos baptizabit Spiritu S. & igni*. III. 260. b. An per ignem Baptismum contulerint Jacobitæ, Copti, Æthiopes, Cathari, & Messalini? *ibid.* Aliqui baptizabant per oleum, vinum, & cervisiam. *ibid.* Lutherus ait, ad Baptismum sufficere, quidquid balnei loco esse potest. *ibid.* Lutherus & Calvinus calumniantur benedictionem aquæ. *ibid.* Sola naturalis aqua Sacramenti Baptismatis materia est. III. 261. a. Figuræ materiæ Baptismi enumerantur. *ibid.* Aqua est typus passionis. III. 261. b. Cur aqua sit designata pro materia Baptismi? *ibid.* Baptismus causticus refutatur. III. 261. b. & *seq.* Liber cui titulus, *Prædicatio Pauli*, multa continet absurda. *ibid.* Arnoldus, & Theodoricus Catharorum antesignani igne illo, quo baptizari volebant, misere absumpti sunt. *ibid.* Quomodo intelligenda verba: *Ille vos baptizabit Spiritu S. & igne*. *ibid.* Qui omnem materiam rejiciunt in Baptismo, refutantur. *ibid.* Expositio illius: *Ex aquæ & Spiritu S.* a. Grotio facta reprobatur. III. 262. a. Quid dicendum de rescripto Stephani III. de infante in vino baptizato? III. 262. b. Non est Ecclesiæ Romanæ recens usus, sed Patrum traditione derivatus, ac retinendus, consecratio, ac benedictio aquæ Baptismo deservientis. *ibid.* Baptisteriorum antiquitas demonstratur. III. 263. a. Benedictio aquæ baptismalis approbatur miraculis. *ibid.* Fons baptismalis per 60. annos prope Magdeburgum incorruptus permanens adveniente Ministro Lutherano computruit statim. *ibid.* Omnis aqua naturalis est materia apta Baptismi. *ibid.* Quænam sit aqua naturalis? III. 263. b. Aqua naturalis, & materia sufficiens Baptismi non sunt sudor, lacrymæ, vinum, cervisia, lac &c. *ibid.* An aqua rosacea, vel e floribus, ac arboribus expressa sit materia sufficiens Baptismi? *ibid.* An similis aqua possit sub conditione adhiberi deficiente alia aqua? III. 264. a. Quale sit peccatum usurpare pro aqua benedicta non benedictam, cum benedicta haberi posset? *ibid.* Ablutio potest fieri per immersionem, affusionem, & aspersionem. III. 264. b. Græci Schismatici dixerunt, Baptismum per immersionem esse alium ab eo, qui in Ecclesia Romana fit per affusionem. *ibid.* A priscis Ecclesiæ sæculis obtinuit consuetudo baptizandi per immersionem trinam. *ibid.* Cur præscripta fuerit triplex immersio? *ibid.* & *seq.* Trina immersio nec usque ad sæculum XIII. ita communiter fuit recepta, ut Baptismus per affusionem aut aspersionem judicaretur invalidus. III. 265. a. Trinam immersionem circa annum sexcentesimum mutarunt Hispani in unam immersionem ob sectam Arianorum, approbante S. Gregorio M. III. 265. b. Epistola de una immersione est opus genuinum S. Gregorii. *ibid.* Baptismus valide confertur per immersionem, affusionem, & aspersionem; Ecclesia Romana bene præscripsit, ut fiat per immersionem, aut aspersionem: unde a Græcis nullo jure reprehenditur. III. 266. a. & b. Objectiones unam immersionem, aut affusionem simplam impugnantes solvuntur. III. 266. b. & *seq.* Mysterium quod latet in trina immersione, aut affusione, habetur etiam in una. *ibid.* Baptismus Clinicorum validus est. III. 265. a. & b. 266. b. & *seq.* Quid dicendum de Baptismo Novatiani in lecto baptizati? III. 266. b. & *seq.* Baptismus Eunomianorum fuit reprobatus non ob unam immersionem, aut affusionem, sed ob mutationem formæ. III. 267. a. Immersio fuit facta in nudo corpore per modum crucis. *ibid.* a. & b. Quomodo facienda trina immersio, aut affusio, & quomodo forma pronuntianda? III. 267. b. An liberum sit baptizanti eligere immersionem, aut affusionem, aut aspersionem? *ibid.* Eunomius in Baptismo non abluebat partes corporis inferiores, quia eas dixit execrandas, & procreatas a Deo malo. III. 268. a. Non est necessarium abluere totum corpus, sed sufficit, si caput aqua perfundatur. *ibid.* Ablutio capillorum, vestium, aut animi

nimi digiti non est sufficiens pro Baptismo. *ibid.* Qui in Baptismo abluit aliquam partem corporis a capite distinctam, cum posset abluere caput, graviter peccat. *ibid.* An validus sit Baptismus collatus in aqua ferventi, aut venenata, animo baptizandi, sed simul occidendi adhibita? *ibid.* a. & b. An valeat Baptismus, si baptizandus projiciatur in puteum vel flumen, unde emergere nequit? III. 268. b.

Baptismi forma. An in Baptismo Joannis sit adhibita aliqua forma? III.253.a. In Jordane designata est forma Baptismi. III.258.b. Non officit, quod apud Jordanem forma non fuerit pronuntiata, quia aliunde tota SS. Trinitas sufficienter est demonstrata. *ibid. & seq.* Forma Ecclesiæ Latinæ est legitima, antiquissima, & omnino certa, qua utitur in Baptismo, III. 269. a. Græcorum forma Baptismi enuntiativa est, non deprecativa: valida & ipsa est, nec a forma Latinorum substantialiter differt. *ibid.* Cur Græci dicant, *Baptizatur*, & cur non, *Ego te baptizo*. III. 269. b. Quamplures sunt Baptismi formæ ab hæreticis confictæ, quæ tollunt Sacramenti veritatem. III.270.a. Quædam omittunt invocationem SS. Trinitatis. *ibid.* Verbum *Ego* & *Amen* non spectant ad essentiam formæ Baptismi. *ibid.* Requiritur ad valorem Baptismi verbum, quo exprimitur actus baptizantis, scilicet *Baptizo*, vel *Baptizatur*. *ibid. & seq.* Hoc probatur ex Alexandri III. rescripto. III. 271. a. & b. Quando hoc decretum sit editum; & quomodo definitionis vim habeat? *Ibid.* b. Non requiritur, ut actus exprimatur in verbis formæ. III. 272. a. Non valet Baptismus absque expressa Sanctæ Trinitatis invocatione collatus. *ibid.* a. & b. *& seq.* Sociniani, Episcopius, Vossius, Zwinglius negant requiri ad essentiam Baptismi invocationem SS. Trinitatis. III. 271. a. Iidem tenent, valere Baptismum in Nomine Christi collatum; *ibid.* Quid de Baptismo in Nomine Christi collato teneat Scotus, Magister Sententiarum, Cajetanus? *ibid.* & 273. a. Quantum distent a Socinianis? *ibid.* neque ab Apostolis Baptismus absque invocatione SS. Trinitatis expressa collatus fuit. III. 271. a. & 273. b. Apostoli non baptizabant in Nomine Christi ob dispensationem aliquam a Christo obtentam. III. 273. b. & 277. a. Explicatur textus Scripturæ, qui videtur contrarius. III. 274. a. & b. Nec Gentiles, nec Judæi erant baptizati in solo Nomine Christi. III. 275. a. & b. & 277. a. Exponuntur textus SS. Pattum primo intuitu adversantium. III. 275. b. & 276. a. An Romani Pontifices olim approbarint Baptismum in solo Christi Nomine collatum. III. 276. b. Sententia dicens, valuisse Baptismum in Nomine Christi, non potest censura notari. III. 277. b. Validus est Baptismus, si loco verbi baptizo usurpatur verbum *mergo*, *abluo*, *tingo*, talis tamen mutatio esset peccatum grave. III. 278. a. An Baptismus valeat sine expressione subjecti per pronomen *te*, aut per nomen aliud? *ibid.* An valeat Baptismus, si loco *in Nomine*, dicatur *in Nominibus*? *ibid.* a. & b. An valida forma hæc, *Ego te baptizo in Nomine Patris, in Nomine Filii, in Nomine Spiritus S.* III. 278. b. An valida hæc forma: *Ego te baptizo in Nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*? III. 279. a. An valeat Baptismus sub forma, *Ego te baptizo in Nomine Patris, Filii, Spiritus S.* omisso *&*? III. 279. b.

Baptismi Minister. Jus baptizandi solemni ritu Episcopis principaliter datum est, deinde Sacerdotibus, sed non nisi auctoritate Episcoporum. III. 279. b. Ab initio Ecclesiæ soli Episcopi baptizabant. *ibid.* An Sacerdos sit Minister ordinarius, vel delegatus Baptismi? III. 280. a. & b. Diaconus non nisi ex delegatione potest solemni ritu Baptismum administrare. III. 280. b. An Diaconus absque delegatione baptizans sit irregularis? III. 281. a. Probatur contra Calvinum, & Græcos recentiores, quod in casu necessitatis homo quilibet etiam laicus possit absque solemni ritu administrare Baptismum. III. 279. b. & 281. b. Cur Concilium Eliberitanum potestatem baptizandi deneget bigamis, & iis, qui Baptismum integre non perceperunt? III. 281. b. Etiam feminæ possunt in necessitate baptizare. III. 282. a. Sephora filium suum circumcidit. *ibid.* Contra Marcionitas, Pepuzianos, & Collyridianos probatur, fœminas non posse solemni ritu baptizare. III.279.b. & 282. b. Si in necessitate adsint Clericus, Laicus, vir, & fœmina, quis debet dare Baptismum? III. 282. b. An laicus vel femina peccatum grave committant, si in necessitate baptizant præsente Clerico? III.283.a. An femina vel Sacerdos in necessitate baptizare debeat, si alia persona non adsit, & Sacerdos sit vinculo excommunicationis innodatus? *ibid.* Excommunicatus in necessitate baptizans non exercet actum Ordinis, nec fit irregularis. *ibid.* An in casu, quo plures in necessitate abluunt, & formam pronuntiant, Baptismum conferant? III. 283.b. An in casu necessitatis sit validus Baptismus, si duobus tantum præsentibus unus manibus truncatus formam proferret, & alter eliguis abluerer? *ib.* An quis in necessitate possit baptizare se ipsum? *ibid.* An laicus solemniter baptizans non solum committat peccatum grave, sed etiam irregularitatem incurrat? *ibid.* Parochus graviter peccat baptizando extra necessitatem domi, nisi sit proles Regis, aut Principis, quæ potest extra Ecclesiam baptizari. III. 284. a. Nequit baptizans accipere pretium pro collatione Baptismi. *ibid.* a. & b. Num impii & hæretici valide baptizent? *ib.* b. Quid sit anabaptismus? *ib.* Permulti hæretici Baptismum repetere consueverunt. *ibid.* Himerobaptistæ quotidie se abluebant non adhibita forma, sed per modum lustrationum Pharisæorum. *ibid.* Cælicolæ Mosaicos ritus, & Baptismum retinebant, & approbabant anabaptismum; quomodo vocetur Cælicola novi apud Donatistas Baptismi institutor? *ib.* Marcion Baptisma tertio repetendum statuit. III. 285. a. Montanistæ a Philastrio nuncupati rebaptizabant. *ibid.* Libellatici quoque, Novatiani, Donatistæ, & Ariani rebaptizabant. *ibid.* De auctore, & fortuna Anabaptistarum. *ibid.* Quidam veteres, præsertim Agrippinus, & Tertullianus voluerunt, hæreticos a Catholicis esse rebaptizandos. *ibid.* a. & b. Idem docuerunt Firmilianus & Cyprianus. III. 285. b. & 286. a. Firmiliani, & Cypriani Epistolæ tanquam genuinæ sunt recipiendæ. III.286. a. Firmilianus laudatur. *ib.* Firmiliano & Cypriano se opposuit Stephanus Papa. III.286. b. Eusebius non fuit commentor Historiæ Anabaptizantium. III. 287. b. De Epocha Anabaptismi. III. 287. a. S. Augustinus docuit, Cyprianum adhæsisse Anabaptizantibus. III. 288. a. Quantum Epistolæ S. Cypriani differant a Donatistis? *ibid.* Solvuntur objectiones probare volentium, S. Cyprianum non adhæsisse Anabaptizantibus. III. 289. a. & b. Concilium tertium Carthaginense vere est celebratum. III. 290. b. & 291. a. & b. Decreto Stephani probatum non fuit Baptisma omnium hæreticorum, sed consecratum verbis Evangelicis, id est in Nomine SS. Trinitatis collatum. III. 292. b. An validum Baptisma, si baptizans debita utatur forma, sed in Trinitatem, aut Christum non credat? *ibid. & seq.* Stephanus Papa neque Cyprianum, neque Firmilianum ob errorem Anabaptizantium a sui communione removit. III. 294. a. Sed excommunicationem minitatus est. *ibid.* Non est certum, quod Cyprianus, aut Firmilianus a propria de rebaptizandis hæreticis sententia recesserint. III. 295. a. An S. Basilius adhæserit rebaptizantibus? *Ibid.* Multa sunt, quæ Rebaptizantium, & præsertim S. Cypriani excusant errorem, maxime ante Stephani Papæ decretum. III. 295. b. Ex quo S. Cyprianus Decreto S. Stephani obluctatus sit, nequit inde labefactari Papæ in rebus fidei, & morum irreformabile judicium. III. 296. a. & b. Controversia S. Stephanum inter, & S. Cyprianum agitata tempore S. Cypriani non pertinebat ad fidem, sed ad disciplinam. III. 296. b. Decretum S. Stephani non fuit solemne, & ex Cathedra, dato etiam, quod materia anabaptismi fuerit jam tunc materia fidei? III. 297. b. Quando Papa loquatur ex Cathedra? *ibid.* Nonnulli sunt Patres, quorum de rebaptismo sententia est obscura admodum. III. 298. b. An rebaptizantibus adhæserit S. Dionysius Alexandrinus? *ibid.* An S. Athanasius? *ibid.* An Optatus Milevitanus? III. 299. b. An S. Cyrillus? III. 300. a. Concilium plenarium, de quo Augustinus adversus Donatistas affirmat, ad ejus auctoritatem, & robur productam antiquam unius Baptismatis consuetudinem, videtur esse Nicænum, sed non istud solum intelligit. *ibid.* a. & b. Præter Nicænum Canonem multæ aliæ Ecclesiasticæ definitiones probarunt Baptisma hæreticorum sub invocatione SS. Trinitatis collatum. III. 302. a. Imperatorum legibus proscriptus est rebaptismus. III. 302. b. Baptismus ab hæretico collatus confert characterem, sed an tribuat gratiam; & quando parvulis, quando adultis? III. 302. b. Valet Baptismus datus ab hæretico sub Nomine Trinitatis. *ibid.* Agrippinus fuit auctor Rebaptizantium. III. 303. a. Ministri impietas aut hæresis non obest valori Baptismi. *ibid.* a. & b. Baptismus sine fide subsistit. *ibid.* b. & *seq.* Unitas Ecclesiæ non tollit valorem Baptismi extra Ecclesiam suscepti. III.304. a. Quomodo Baptizati ab Hæretico Christum induant? *ibid.* Quomodo intelligendum illud? *Qui baptizatur a mortuo quid proficit lavatio ejus*? *ibid.* Tenet quoque Baptismus a Pagano sub præscripta forma collatus. III. 304. b. & *seq.* Quomodo Paganus possit dare Baptismum, cum non habeat? III. 305. a. De pœnis anabaptismum conferentis, & suscipientis. III. 305. b. Baptismus nunquam repetatur, nisi gravis emergat dubitatio, & tunc non, nisi sub conditione. *ibid.* Quid agendum, si ad Ecclesiam redeat Hæreticus, an baptizetur? *ibid.* An infans sit iterato baptizandus, si domi ab obstetrice urgente necessitate baptizatus sit? *ib.* An infantes expositi, & inventi cum schedula testante Baptismum esse collatum, sint iterum rebaptizandi? III. 306. a.

Baptismus Parvulorum, seu Pædobaptismus examinatur. III. 306. a. Waldenses, Petrobrussiani, Cathari, & Anabaptistæ negant, infantes posse baptizari ante usum rationis. *ibid.* An idem senserint Tertullianus, & Hieraciti? *ibid.* Salmasius, Vitringa, & Thereponus hæretici recentiores negant esse antiquam ab Apostolis desumptam consuetudinem Pædobaptismi, sed omnes esse baptizatos ætate jam adulta. *ib.* Licitum & congruum est infantes baptizare. III. 320. b. Non requiritur fides, aut consensus infantium ad Baptismum. *ibid.* & 307. b. & *seq.* Pelagiani concedunt, infantem baptizandum, sed non ut mundetur a peccato originali. III. 307. a. Solvuntur objectiones hæreticorum, quod parvuli ante usum rationis non sint baptizandi. III. 307. b. Parvulis prodest fides levantium, nequeunt tamen cum matre ante partum baptizari. *ibid.* & *seq.* Filii infidelium possunt baptizari, si ipsimet petant Baptismum. III. 309. b. Non licet parvulos infidelium baptizare parentibus invitis. *ibid.* & *seq.* Quid dicendum de facto Sisebuti, lege Visigothorum, Caroli Magni, Chilperici, & Dagoberti cogentium Judæos ad Baptismum? III. 311. a. & b. In quibus casibus licitum sit baptizare filios infidelium? III. 311. b. Infanti adhuc clauso in utero non prodest ablutio Matris, aut signum aliud, vel benedictio ei applicata. III 312. a. Nequit infans in utero Matris ante aperitionem partus baptizari. III. 312. b. Non dicitur infans proprie natus, nisi sit egressus ex utero Matris, vel inde extractus. *ibid.* Licet aperto uteri ostio infans possit per instrumentum aqua perfundi, attamen baptizari non debet, nisi secundum aliquam saltem partem corporis infans sit egressus ex alvo. III. 313. a. Quomodo S. Aloysius sit sanctificatus in utero Matris? III. 313. b. Mater prægnans viva non debet aperiri. III. 314. a. Monstra baptizari non debent, nisi humanam referant speciem. *ibid.* Quid si in monstro appareant gemelli, qualiter debet dari baptismus? *ibid.* a. & b. An baptizari possint filii spurii? III. 314. b. An baptizandi sint filii excommunicatorum? *ibid.*

Baptismus Adultorum. An S. Ambrosius primum sit baptizatus paucis ante Ordinationem diebus? III. 114. b. An Constantinus, Constantius, & Theodosius longe distulerint Baptismum? *Ibid.* Quo ætatis anno baptizatus S. Augustinus? *ibid.* Cur aliqui Baptismum distulerint? III. 315. a. Modo dilatio Baptismi reprobatur. *ibid.* Quid significet Catechumenus? quid Catechesis? III. 315 b. Catechumeni habebant tres classes audientium, competentium, & electorum. *ibid.* & *seq.* Quæ dispositio ad Baptismum requiratur in adulto? III. 316. b. In adulto ad Baptismum requiritur fides, spes, timor, pœnitentia, & charitas inchoata. *ibid.* Adulti solemniter baptizentur Sabbato S. Paschæ, vel Pentecostes. *ibid.* Ecclesia olim prohibuit collationem Baptismi solemnis in die Epiphaniæ, ob hæreticos dicentes Baptismum non conferre gratiam, nisi recipiatur in die Epiphaniæ. III. 317. a. An baptizandus Catechumenus adultus, si ante completum tempus catecheseos incidat subito in infirmitatem, ita, ut Baptismum amplius petere non possit. *ib.* Ad Baptismum etiam in adulto sufficit intentio interpretativa. *ibid.* An & quando baptizandi sint adulti amentes, & energumeni. *ibid.* An baptizari possit adultus infirmus, si scitur ante contractam infirmitatem peccatum grave commisisse, nec desuper pœnitentiam egisse, & si modo ob infirmitatem nec pœnitentiæ signum dare, nec Baptismum petere possit? *ib.* Adulti sine fide interna, & cum pec-

peccati mortalis affectu suscipientes Baptismum recipiunt characterem, sed non gratiam percipient, nisi deposito affectu peccati pœnitentiam egerint. III. 317. b. Peccata ante Baptismum commissa non sunt materia pœnitentiæ Sacramenti. *ibid.*

Baptismus mortuorum, & æris Campani. Cerinthiani, & Marcionitæ baptizabant vivos pro mortuis sine Baptismo defunctis. III. 318. a. Cataphrygæ, seu Montanistæ baptizabant sine baptismo mortuos. *ibid.* Idem fecerunt Archontici. *ibid.* Refutantur Cataphrygæ. III. 318. b. Impugnantur Cerinthiani, & Marcionitæ. *ibid.* Quomodo intelligendum illud: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis. Ibid.* Campanarum, quibus fideles ad Ecclesiam convocantur, usus est vetustissimus; quis earum usum introduxerit? III. 319. a. Campanæ non baptizantur, sed consecrantur, & cur? *ibid.* a. & b. Carolus M. reprobavit consecrationem Campanæ ritu non Catholico factam. *ibid.*

Baptismi necessitas. Baptismus omnibus est necessarius necessitate medii. III. 320. a. Adultis Baptismus est necessarius necessitate medii, & præcepti. *ibid.* Cornelius ante receptum Baptismum accepit Spiritum S. III. 320. b. Baptismus flaminis in adultis supplet Baptismum fluminis. *ibid. & seq.* In parvulis non suppleri Baptismum fluminis per votum parentum. III. 321. a. Martyrium quoque supplet Baptismi vicem non tantum in adultis, sed etiam in parvulis. III. 321. b. Quomodo intelligendum illud: *Martyrium sine charitate nihil prodest.* III. 322. b. Ad Martyrium requiritur ex parte Martyris Baptismus, aut votum illius, libera acceptatio mortis, ut sit membrum Ecclesiæ, charitas, contritio, aut confessio de peccato commisso, & ut nullum Sacramentum contemnat. III. 324. a.

Baptismi effectus. Baptismus causat gratiam sanctificantem. III. 325. b. In baptizatis manet concupiscentia, vel fomes ad peccatum inducens. *ibid.* Homo baptizatus dicitur regeneratus, & renovatus Spiritu S. *ibid.* Ob Baptismum datur aditus ad Sacramenta. III. 326. a. Pœnitentia sine Baptismo, aut illius voto non prodest. *ibid.* Baptismus plenariam tribuit remissionem pœnarum, an hoc etiam faciat votum Baptismi? *ibid.* Cur in baptizatis remaneat concupiscentia, mortis necessitas, & aliæ miseriæ vitæ? *ibid. & seq.* Plura, & majora confert Baptismus, quam contritio. III. 326. b. Baptismus imprimit characterem. *ibid.*

Baptismi solennis Cæremoniæ. Baptismi cæremonias S. Basilius universim egregie commendat. III. 330. b. Baptizare aliquem sine cæremoniis quando sit mortale peccatum. *ibid.* Quam male faciant Parochi, qui baptizant filios eorum Nobilium, qui neque sunt Reges, neque Principes, aut extra Ecclesiam Fontem baptismalem non habentem, aut etiam in illa Ecclesia, quæ habet Fontem, sed ad assecurationem, interea dum Patrinus expectatur, sine cæremoniis. *ibid.* Quæ nomina non sunt imponenda baptizandis. III. 331. a. & b. Quæ cæremoniæ insuper in desuetudinem abiere. *ibid.* b. Olim baptizatis data est Eucharistia. III. 327. a. Item mel, & lac. *ibid.* Baptizatis imponebatur sertum. *ibid.* Item baptizatis tradebantur decem siliquæ, calceamenta, & imago Agni Cælestis. *ib.* Recte usurpantur compatres, seu susceptores, vel Patrini in Baptismo. *ibid.* Quot sint Patrini? III. 327. b. Patrini sciant Symbolum Apostolorum, sint confirmati, & non sint parentes baptizandi, nec Monachi. *ibid.* Qualis obligatio Patrini? *ibid.* Quid notandum de nomine baptizandis imponendo? *ibid.* De abrenuntiatione Satanæ, exorcismis, & exsufflationibus in Baptismo faciendis. III. 328. a. De signo Crucis, manus impositione, sale, oleo Catechumenorum, & saliva, quibus in Baptismo utimur. III. 329. a. De unctione Chrismatis, linteo albo, & candela accensa, quæ adhibentur in Baptismo. III. 330. a.

Baptista. Qualis error Pharisæorum, Baptistarum, & Hemerobaptistarum circa Baptismum? III. 249. b.

Baptisterium ab Ecclesia separatum an gaudeat asylo? II. 216. b. *& seq.* Baptisteriorum antiquitas demonstratur. III. 263. a.

Baptizatus. Etiam filii baptizatorum contrahunt peccatum originale. II. 30. a. *per tot. cap.* IV. An non baptizari debeant comparere in judicio. II. 21. b.

Baptizo. Ob communicationem idiomatum Christus dicitur baptizatus, & baptizans. III. 78. b. An violetur Ecclesia, si puer non baptizatus, & necdum natus sepeliatur una cum Matre in Ecclesia? IV. 125. b. Ecclesia polluitur ob sepulturam notorie non baptizati. *ibid.*

Barabbas humani generis typum gessit. III. 163. a.

Bardesanista negans resurrectionem in hac carne nostra futuram damnatur undecimo fidei articulo. II. 285. b. Docuit corpus Christi esse formatum de cælo, æthere, sideribus. III. 27. b. vid. *Corpus.* Refutatur. III. 37. a.

Barlaamus. Monachi Barlaami historia. I. 56. b.

Bartholomæus (S.). Quid significet hoc nomen? & an idem sit ac Nathanael? III. 154. a.

Basilica. Nomine Templi veniunt Basilicæ, Dominica, Oratorium, Martyrium. IV. 124. b.

Basilides tribuens Christo corpus umbratile damnatur tertio fidei articulo. II. 281. b. Dicens, non Christum, sed Simonem Cyrenæum crucifixum, oppugnat quartum fidei articulum. II. 282. a. Contra hunc in Ecclesia asseritur potestas remittendi peccata. II. 285. b. Idem negans carnis resurrectionem refutatur. *ibid.* Docuit, Corpus Christi esse formatum de cælo, sideribus, æthere. III. 27. b. Vid. *Corpus.* Refutatur. III. 37. a.

Basilius M. (S.) nunquam dogma Catholicum violavit. I. 224. a. & b. An fuerit adspersus fuligine hæreseos Armenorum. I. 75. a. An adhæserit rebaptizantibus? III. 295. a. Quænam forma consecrationis habeatur in Liturgia S. Jacobi, S. Marci, S. Basilii, S. Chrysostomi, & S. Cyrilli? IV. 65. b. An docuerit iteranda Sacramenta Ordinis, & Baptismi collata ab hæretico? IV. 289. b. An huic consentiat S. Cyprianus & Firmilianus? *ibid.* In verbis, *Omnia vestra cum charitate fiant*, agnoscit præceptum opera deliberata referendi in Deum. V. 164. a.

Basnagius. Refutatur ejus opinio de Symbolo Apostolico. II. 279. b. & 280. b. Contra hunc defenduntur traditiones. II. 298. a. Contra hunc in materia de traditionibus defenditur S. Hieronymus. II. 302. a. Ipsemet stat pro traditionibus. II. 302. b.

Bassianus an invitus sit ordinatus? IV. 294. a. & b.

Beatificus. Quale objectum visionis beatificæ? I. 94. b.

Beatitudo Sanctorum erit inæqualis. I. 92. b. Causa moralis hujus inæqualitatis est meritum, effectrix lumen gloriæ. I. 93. b. An Angeli præter gratiam etiam habuerint beatitudinem ab initio? I. 256. b. *per totum cap.* VIII. Quæ dotes beatitudinis. *ibid.* In quo instanti eam meruerint Angeli boni. I. 260. b. Meruerunt eam ex gratia Dei. *ib.* Infantes sine Baptismo decedentes non potiuntur supernaturali beatitudine. II. 19. b. Nec naturali. II. 20. b. Beatitudo æterna quo sensu sit præmium condignum. II. 167. a. Beatitudo hominis in quo consistat? II. 230. b. *tot. cap.* V. Eam Mahumet constituit in carnis voluptatibus. II. 272. a. An beatitudo Sanctorum sit differenda usque ad Judicii diem? II. 304. b. & 305. a. Amor beatitudinis, sed non spes illius, datur in damnatis. II. 314. a. & b. Charitas beatitudinis non excludit se sola voluntatem peccandi. IV. 156. a. Charitas beatitudinis homini est congenita, & hæc potest esse sine charitate habituali, & sine cupiditate noxia. V. 98. b. *Coroll.* I. *ac* 106. b. & 107. a. 112. a. *ac* 116. a. Juxta Bajum nec Adamus supernaturalibus habitibus fidei, spei, & charitatis donatus fuit, nec egebat gratia supernaturali ad servandam legem, & consequendam beatitudinem. V. 135. b. *Coroll.* I. Contrarium docent Augustiniani. V. 136. a. *Coroll.* II. *ac* 132. a. *tot.* §. VII. *item* 140. b. §. III. & IV. Bellelli docet, Angelos, & Adamum sine gratia supernaturali non potuisse legem servare, aut beatitudinem consequi. V. 144. a.

Beatus. An corpora Beatorum post resurrectionem sint futura spiritualia, & oculi alterius naturæ, quam nunc sunt? I. 76. b. An Beatis clara Dei visio differatur usque post diem Judicii? I. 82. a. & 85. a. Beatorum felicitas non consistet in epulis, escis, carnis voluptatibus &c. *ibid.* Quid de moderno Beatorum statu senserint SS. Augustinus, Ambrosius, ac Bernardus? I. 88. b. & *seq.* Quid Joannes XXII. I. 91. a. De inæquali gloria Beatorum. I. 92. b. Quomodo Deum videant. I. 96. b. Beati vident in Deo Unitatem, & Trinitatem. I. 94. b. Nec non & omnia attributa. *ibid.* Quæ cognitio terræ, cæli, & rerum, quæ in terris fiunt, Beatis concedatur? *ibid.* Beati necessario amant Deum, alia autem objecta voluntarie. I. 257. b. Per hunc amorem nihil merentur. *ibid.* An sit eadem libertas amandi Deum in Beatis, ac in viatoribus? item an dæmones tam necessario peccent, quam Beati diligunt. *Ibid.* Quænam mirabilia excedant potestatem Beatorum? I. 272. a. & b. Immortalitas, & libertas Beatorum erit major immortalitate & libertate Adæ. I. 313. a. Vide *Sanctus.* An Christus ut viator habuerit scientiam Beatorum? III. 42. a. & 43. a. An cum hac stare potuerit summa tristitia in eodem Christo? *ibid.* Angeli & Beati vita functi non sunt Ministri ordinarii Sacramentorum, bene vero possent esse extraordinarii. III. 203. b. & 204. a. Character Sacramentalis manet in Beatis, & damnatis. III. 239. b.

Beelphegor est a Gentilibus Diis annumeratus. II. 271. a. Quis veniat hoc nomine? *ibid.* De ejus cultu. II. 330. a.

Beelzebub est princeps diabolorum, ac idem significat, ac *Deus musca*, & cur? I. 270. a. A Beelzebub cuivis homini deputatur Angelus malus? I. 270. b. Beelzebub est a Gentilibus Diis adscriptus. II. 271. b.

Beguardus. Error Beguardorum, quod Deus possit videri virtute naturali ab intellectu creato. I. 66. a.

Beguinus negat peccatum originale transire ad posteros Adæ. II. 1. a.

Behemoth quis sit? I. 248. b.

Belgium. Vid. *Holandia.*

Belial est princeps dæmonum in tertio ordine. I. 270. a.

Bellarminus (*Robertus*) S. R. E. *Card.* Ejus sententia de charitate Dei, tanquam Auctoris Naturæ. V. 115. a. Ejus sententia de Prædestinatione. I. 156. a. An Bellarminus, Toletus, & Vasquez docuerint, nullam tentationem vinci posse sine gratia. V. 87. a. & b. Bellarminus in sententia de statu naturæ puræ Bajum, Lutherum, & Calvinum hæreseos reos pronuntiat, quia putant, justitiam, & integritatem originalem non fuisse donum supernaturale. V. 123. a. & b. *ac* 129. a. Bellarminus admittit in homine appetitum innatum videndi Deum. V. 131. a. & b. Quid Bellarminus sentiat de concupiscentia? V. 133. b. *& seq.* Bellarminus quid de charitate Dei, ut Auctoris naturæ, sentiat? V. 158. b. Bellarminus, & Toletus ajunt, damnatam propositionem 29. Baji, quia putabat omne opus bonum conferre gratiam sanctificantem. V. 162. a. Pontificum potestas, prout a Bellarmino explicatur, *directa*, non *indirecta*, appellanda est, secundum Bossuetium. II. 341. b. Bellarmini liber *de Potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus* proscriptus fuit a Parlamento Parisiensi. II. 344. a. Et quibus sub pœnis. II. 356. a. Videtur adstruere potestatem, quam tribuit Summo Pontifici in seculares Principes, etiam in quolibet Episcopo. II. 34. 8. b. Bellarminus quid de Probabilismo scripserit ad Nepotem suum. II. 260. a. & b. 262. & 263. Quo cultu docuerit Angelos esse adorandos? I. 218. a. Propositio hæc Berti: *Gratia efficax est victrix delectatio, sive charitas, quæ superat contrariam cupiditatem;* non est ex Jansenio, sed ex S. Augustino desumpta. VI. 70. a. & b. Idem sentit Bellarminus. VI. 71. a. Quod Berti sententia, quæ negat esse in homine lapso potentiam proxime expeditam sine gratia efficaci ad opus supernaturale, non sit obnoxia errori Jansenii, probatur ex Bellarmino. VI. 78. b. Berti cum Jansenio non admittit solam indeliberatam delectationem, & necessitatem antecedentem, quæ sine deliberatione voluntaris est. VI. 96. a. Idem cum Berti judicat Bellarminus. VI. 96. b. Æquilibrium libertatis tamquam figmentum rejicitur a Bellarmino, Vasquez, & centum Episcopis Galliarum in acceptatione Constitutionis *Unigenitus.* VI. 98. b. & *seq.* Vid. S. *Augustinus.*

Bellelli (*P. Fulgentius*) rejecit propositionem 38. Baji in quocunque perverso sensu acceptam. V. 111. a. *tot. cap.* III. Bellelli admittit in homine concupiscentiam indeliberatam, a peccato immunem. V. 112. b. Nec in præcepto *non concupisces* comprehensam. *ibid.* Objectiones Anonymi contra Bellelli factæ examinantur, & solvuntur. V. 113. b. *tot.* §. VI. An secundum Bellelli attritio possit esse sine charitate Dei? *ibid.* Bellelli doctrina est prorsus eadem cum doctrina S. Fulgentii. V. 114. a. Bellelli optime exposuit propositionem 31. & 32. Baji. V. 115. a. & b. Commendantur habitus, & actus virtutum etiam separati a charitate. V. 98. b. *Corol.* I. *ac* 107. a. Ac in libro Bellelli, cui titulus, *Mens Augustini.* V. 112. b. Tales sunt actus fidei, spei, timoris, amoris initialis, attritionis. *ibid. tot. cap.* III. Anonymi in Bellelli multiplicatæ calumniæ. V. 111. a. *tot. cap.* III. Calumniam quoque mendaciter

daciter inflat. V. 114. b. Calumnias auget Anonymus. V. 120. Bellelli defenditur, quod non inciderit in errorem Baji docendo, creaturæ rationali inesse naturaliter appetitum ad ipsam visionem Dei intuitivam. V. 130. a. & b. Bellelli docuit, statum naturæ puræ esse impossibilem. V. 143. a. Sed non in sensu propositionis 27. Baji, *ibid. & seq. tot. cap.* III. Bellelli nullibi dona gratiarum inter naturæ proprietates connumerat. V. 143. b. *tot.* §. II. Bellelli gratiam sanctificantem in statu innocentiæ ad meritum vitæ æternæ necessariam esse docet. V. 144. a. *tot.* §. III. Bellelli agnovit gratiam, & alia dona supernaturalia, in prima Angelorum, & Adami conditione. *ibid. tot.* §. IV. Bellelli docuit, dona Adæ collata fuisse gratiam proprie dictam. V. 144. b. *tot.* §. V. Bellelli docuit, Angelos, & Adamum sine gratia supernaturali non potuisse legem servare, aut beatitudinem consequi. V. 144. a. Solvuntur objectiones Anonymi, quibus probare nititur, Bellelli deviasse ad sensum damnatæ propositionis 27. Baji. V. 145. a. *tot.* §. VI. Bellelli qualiter explicet præceptum referendi omnia opera in Deum? V. 176. b. Immerito Bajanista dicitur. *ibid.* Bellelli rejecit pravum sensum propositionis 35. & 36. Baji. V. 184. a. An Bellelli docuerit, Deum posse coli viribus naturalibus sine gratia? *ibid.* §. 1. Bellelli non docuit, omnia opera infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum esse vitia. *ibid.* §. II. Bellelli non consentit Bajo in materia de libero arbitrio. V. 184. b. §. III. An Bellelli Bajum sit secutus explicando textum; *Omne, quod non est ex fide, peccatum est?* V. 185. a. §. IV. Bellelli Bajo adversatur in sententia de operibus deliberatis in Deum referendis. *ibid.* §. V. Bellelli contra Bajum admittit fidem, spem, timorem sine charitate esse actus in substantia bonos. V. 185. b. & 188. b. Anonymi objectiones adversus Bellelli colliguntur, & exsufflantur. V. 186. a. §. VI. Bellelli sententia de attritione explicatur. V. 189. a. Doctrina, quod gratia efficax sit reponenda in delectatione victrici, quæ superat minores gradus concupiscentiæ, Catholica est, non Jansenianа. VI. 74. a. Sententia ad mentem Berti, & Bellelli explicata non tollit libertatem. VI. 76. b. & *seq.* Bellelli nullibi docuit delectationem victricem, seu gratiam efficacem inferre libero arbitrio necessitatem antecedentem. VI. 135. b. *tot.* §. I. Bellelli perspicue docet, gratiam sufficientem esse distinctam ab efficaci. VI. 136. a. *tot.* §. II. Illum criminatur Languetius, quod per gratiam parvam, & inefficacem, quæ sola secundum illum conceditur justis urgente præcepto, asserat nullam veram dari potentiam, sive proximam, sive remotam. VII. 33. b. Impugnatur Languetius. VII. 34. a. Vide *Languetius*. *Maffejus*. Idem docet, gratiam sufficientem esse præparatam omnibus hominibus etiam infidelibus, & peccatoribus. VI. 136. b. & *seq.* Docet omnes habere gratiam petendi gratiam sufficientem. *ibid.* Propugnat libertatem a necessitate esse necessariam ad meritum, & demeritum. VI. 137. a. & b. & 148. a. & b. Manifeste tenet, in Deo esse voluntatem salvandi omnes. VI. 138. a. Anonymus injuste objectat Bellellio delectationem invincibilem. VI. 138. b. & 143. a. & b. Sine causa carpit Anonymus in Bellellio, delectationem consistere in actibus indeliberatis. VI. 139. a. Anonymus ex systemate Bellelli necessitatem exsculpere conatur. VI. 139. b. Quomodo Bellelli explicet illud: *Sine gratia homo non potest operari bonum?* VI. 141. a. In quo sensu Bellelli vocet gratiam sufficientem gratiam *parvam?* VI. 142. b. Anonymus criminatur, Bellellium male uti exemplo oculorum in explicanda gratia. VI. 141. a. & b. Bellelli quomodo docuerit, non posse resisti gratiæ efficaci? VI. 144. b. Anonymus vult probare, Bellellium in sensu Jansenii explicare necessitatem absolutam, & conditionatam, antecedentem, & consequentem. VI. 145. a. & b. & *seq.* Anonymus rodit distinctionem Bellellii *in sensu composito, & diviso*. VI. 145. b. & 146. b. Anonymus ait, Bellellium non bene explicare necessitatem consequentiæ. VI. 145. b. & 147. a. Anonymus necessitatem actus secundi a Bellellio explicatam tanquam novitatem hæreticam arguit. *ibid.* Bellellio non nocet, quod doceat esse difficultatem conciliandi gratiam cum libertate. VI. 147. b. Bellelli in sententia de prædeterminatione physica Thomistas non afficit calumnia. *ibid.* Solvuntur objectiones Anonymi, quibus evincere vult, Bellellium docuisse quinque propositiones Jansenii. VI. 148. b. & *seq.* Contra Anonymum Bellelli defenditur authoritate Doctorum librum suum approbantium. VI. 158. b. & *seq.* Bellelli non negat gratiam sufficientem. VI. 159. a. Non incidit in errores Quesnellii. *ibid.* Non docuit, quod gratiæ efficaci resisti non possit. VI. 159. b. An dicat, primam gratiam esse fidem inchoatam. VI. 160. a. An docuerit omnia opera peccatoris esse peccata? VI. 161. a. & b. Non docuit timorem servilem esse vitiosum. VI. 161. b. Principium duarum delectationum Jansenisticum ab Anonymo describitur. VI. 163. b. In quo sensu Bellelli & Augustiniani duas delectationes admittant? VI. 164. a. & b.

Bellum An historia de bello Æthiopico sit fabula? II. 187. a. Non repugnat dilectioni gerere bellum justum. II. 325. a. Quænam conditiones ad bellum justum requirantur? *ibid.* Vid. *Arma*.

Benedico. Quale sit peccatum usurpare pro aqua benedicta non benedictam, cum benedicta haberi posset. III. 264. a.

Benedictio Sacerdotalis an umquam fuerit de essentia Sacramenti Matrimonii. IV. 329. a. & b. Est Sacramentale, non autem Sacramentum. III. 172. b. An verba Sacramentorum sint verba benedictionis, & verba vitæ secundum illud: *Calix benedictionis, cui benedicimus; & mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ?* III. 199. a. & b. Quænam benedictiones Sacramentalibus sint annumerandæ. III. 242. a. Vid. *Sacramentorum cæremoniæ*. Lutherus & Calvinus calumniantur benedictionem aquæ. III. 260. b. Benedictio aquæ baptismalis commendatur. III. 262. b. Vid. *Aqua*. Non est Ecclesiæ Romanæ recens usus, sed Patrum traditione derivatus ac retinendus, consecratio, & benedictio aquæ Baptismo deserviens. *ibid.* Benedictio aquæ Baptismalis approbatur miraculis. III. 263. a. Fons baptismalis per sexaginta annos prope Magdeburgum incorruptus permanens adveniente Ministro Lutherano statim computruit. *ibid.* Infanti adhuc clauso in utero non prodest ablutio Matris, aut signum aliud, vel benedictio ei applicata. III. 312. a. Benedictiones, in quibus adhibendum est Chrisma, non possunt fieri a Sacerdote simplici, sed ab Episcopo, sine speciali licentia Papæ. IV. 40. a. Græci complures docuerunt, non solum verbis Dominicis, verum etiam oratione, & benedictione Sacerdotis consecrationem fieri. IV. 65. a. An Christus per benedictionem panis in Emmaus factam consecrarit? IV. 66. a. Probatur adversus Lutherum, & Græcos, Christum non consecrasse, nec Sacerdotes modo consecrare per benedictionem antecedentem, ac gratiarum actionem, & preces subsequentes. IV. 65. b. & *seq.*

Benedictio olei infirmorum: Vid. *Unctio*. Benedictio Matrimonii laudatur. IV. 337. b.

Benedictus (S.) an in hac mortali vita Deum viderit. I. 80. a. & b.

BENEDICTUS XIV. P. M. Quo præclaro elogio Norisius a BENEDICTO XIV. P. M. honestetur. V. 63. Benedicti XIV. Constitutio, qua redarguit nonnullos Orientales damnantes secundas Nuptias. IV. 330. b. Benedicto XIV. irrogat injuriam, qui libros Berti Jansenismi, atque Bajanismi incusat, post tot discussiones in ventilandis, dijudicandisque Berti operibus, ejus jussu factas. VII. 17. Quare & qualiter Clemens VIII. & Benedictus XIV. præceperint, ut a Græcis confirmati denuo confirmarentur. IV. 20. b. Innocentius IV. Sacerdotibus Cypri, & Clemens VIII. Sacerdotibus Albaniæ, non autem omnibus Sacerdotibus Græcis interdixerunt administrationem Confirmationis. IV. 26. a. Quid desuper statuerit S. P. Benedictus XIV. *ibid.* Benedictus XIV. damnavit ritus Sinensium arcentes mulieres a Communione tempore, quo laborant menstruali morbo. IV. 109. a. Quam decisionem fecerit circa Matrimonia Hæreticorum? IV. 326. a. & b.

Benefactor. Injuria recenti Benefactori illata est circumstantia aggravans. IV. 184. b.

Beneficium vid. *Titulus*.

Beneplacitum Divinum an versetur erga salutem singulorum hominum? I. 127. a. Voluntas Dei dividitur in voluntatem signi, & beneplaciti. I. 127. a. & b. Et hoc in antecedens, & consequens. *ibid.* b. & *seq.*

Beneventana anni 1091. Synodus permisit Subdiaconum eligi posse in Episcopum, quibusdam servatis conditionibus. IV. 266. a.

Benevolentia. Dilectio significat gratiam, benevolentiam, amicitiam. II. 319. a. An benevolentia inter Deum, & hominem per dilectionem firmata sit vera amicitia? *ibid.*

Berengarius, seu *Beringerius* admisit quidem realem præsentiam Christi in Eucharistia, sed negavit transubstantiationem, unde ei tribuitur impanatio. IV. 71. a. Alii illius assectæ putabant, Christi Corpus in cælo collocatum non posse in terram deferri. *ibid.* Beringerius in variis Conciliis tres fidei formulas edidit, ac tandem resipuit. *ibid.* & 88. b. & *seq.* In Eucharistia sumi & contineri idem Corpus, quod de Beatissima Virgine MARIA conceptum ac natum est, probatur contra Berengarium. IV. 79. b. An bene dicatur, a nobis sumi *corpus crucifixum, sanguinem pro nobis effusum?* IV. 80. a.

Bernardinus Ochinus. Ejus error de summa Trinitate. I. 174. a.

Bernardus (S.) quid senserit de statu præsenti Sanctorum. I. 88. b. & *seq.* Num Millenariis consenserit. I. 91. a. An ejus Epistola ad Henricum Archidiaconum sit spuria? III. 276. b. Inungens energumenum, ipsum a dæmonis potestate liberavit. IV. 30. a. Mulierem a furore insaniente liberavit per absolutionem Sacramentalem. IV. 170. b.

Bersabea. Vid. *Urias*.

Berti (*Joannes Laurentius*). Ejus Libri de Theologicis Disciplinis a quibus Jansenismi incusati. I. 12. a. Subjecti severiori examini jussu Benedicti XIV. inventi sunt, ab intentata criminatione immunes. *ibid.* Nonnulli hortati sunt P. Berti, litteris ad ipsum datis, ut ex numero Ordinum, quibus Sacramenti ratio inest, quatuor minores, & Subdiaconatum expungeret: sed immerito. IV. 264. a. Theologi recentiores nonnulli ægre ferunt, P. Berti non adoptasse solam sententiam, quod Minister Sacramenti Matrimonii sit Parochus. IV. 329. a. P. Berti suscepit primam Communionem a suo Præceptore, simulque Parocho, in Missa, quæ celebratur in Nocte Dominicæ Nativitatis. IV. 322. b. Libri de Theologicis Disciplinis reprehenduntur a Languetio, tanquam renovantes errores Baji, Jansenii, & Quesnellii. VII. p. 17. Quam injuste ita reprehendantur, demonstratur. *ibid.* & *seqq.* Prodiere in lucem non furtivis typis, sed in urbe Roma, antea, & post editionem approbati; atque denuo ad trutinam discussi post Anonymi scripta contra illos impressa. *ibid.* Non negat Berti, Christum pro omnibus esse mortuum, imo tuetur, voluntatem Dei salvandi omnes esse veram, propriam, ac sincerام. VII. 22. a. Quo in sensu voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes appellet *metaphoricam*. *ibid.* a. & b. Fidei Professio P. Berti. VII. 48. b. Vide *Languetius*. *Besutius*, *Maffejus*, *Saleon*. Berti delatus fuit ab Archiepiscopo Rutheno, Joanne de Saleon, tanquam Jansenianus. VII. 56. b. Quam leviter scripserit Historiæ Litterariæ Auctor, Berti nullum derelictum esse locum justæ defensionis apud Deum, postquam Archiepiscopus Ruthenus anno 1750. edidit Pastorale Documentum. VII. 56. b. & 61. a. Berti quid sentiat de quinque propositionibus delatis Viennensi Universitati ab Archiepiscopo de Saleon. VII. 57. b. Vide *Augustinianus*. Berti expendit duas Languetii Epistolas ad Benedictum XIV. missas. 58. b. *tot. cap.* III. Oravit Berti Pontificem, ut si sua sententia falsa foret, illam proscriberet. VII. 60. a. Eodem hortante Pontificiæ exornavit Vindicias. *ibid.* Berti in insectando Probabilismo traductus malæ fidei a P. Hizlerio, an recte accusatus quod verba Cardinalis Bellarmini contra Probabilismum minus sincere retulerit. II. 260. & *seqq.* Et Thyrsi Gonzales. II. 260. 262. & 263. Et S. Joannis Chrysostomi. II. 264. a. Et Amadei Guimenii. *ibid.* b. Jansenianæ hæreseos accusationem P. Berti a se repellit. II. 265. a. Berti calumniatus, quod non agnovisset in justis gratiam proxime sufficientem ad orandum. II. 105. b. Dicunt plures, nullum esse præceptum de Sacramento Confirmationis recipiendo, & sic neminem peccare graviter secluso contemptu, si non confirmatur. IV. 31. a. Berti propugnat necessitatem. *ibid.* Non quidem medii. IV. 31. b. Sed præcepti, non tantum Ecclesiastici, verum etiam Divini. *ibid.* Non respectu omnium, sed eorum, qui coram tyranno debent profiteri fidem, aut qui graves contra fidem patiuntur tentationes. *ibid.* & 32. a. Berti dicit, Eucharistiæ Sacramentum consistere in accidentibus, & invisibili Domini nostri Corpore, & Sanguine. IV. 43. a. Neutrum tamen Sacramentum esse, si separetur ab altero. *ibid.* Probat, quod in opere suo de Theologicis disciplinis non inveniatur ulla nota Ba-

cis. III. 231. b. Quod Baptismus derivarit a moribus, & mersionibus Judæorum, putant Wolzogenius, Lightfootus cum aliquibus Christianis. *ibid. & seq.* Baptismus Christianorum nil habet commune cum lustrationibus Gentium, & mersionibus Judæorum. III. 252. a. & b. Quidam veteres præsertim Agripinus, & Tertullianus voluerunt, hæreticos a Catholicis esse rebaptizandos. III. 285. a. & b. Idem docuerunt Firmilianus, & Cyprianus. III. 285. b. *& seq.* Quomodo fiat justificatio in sensu Catholicorum, & quomodo fiat in sententia Baji? V. 100. a. Jansenius in prima propositione ait, aliqua Dei præcepta esse impossibilia hominibus justis: Catholici ajunt, nec ulli peccatorum esse aliqua præcepta impossibilia. VI. 84. b. Berti & Bellelli doctrina, quod gratia efficax sit reponenda in delectatione victrice, quæ superat minores gradus concupiscentiæ, Catholica est, non Janseniana. VI. 74. a. Idque docuerunt Norisius & Macedo. *ibid.* Ægidiani. VI. 74. b. Petrus Manso. *ibid.* Gonzalez de Albenda. VI. 75. a. Ulterius gratiam habere gradus fatentur Graveson. *ibid.* a. & b. Massouliè. VI. 75. b. *& seq.* Cui doctrinæ favet S. Thomas, *ibid.* Berti docet cum Catholicis, Christum pro omnibus omnino hominibus instituisse Sacramenta, ac remedia præparasse: remedia tamen, & gratias præparatas non omnibus actu applicari. VI. 91. a. Idem docuit Lemosius. VI. 91. b Gonet. VI. 92. b. Bannes Dominicus. *ibid.* Item & alii Doctores omnes conveniunt, quod omnibus omnino hominibus gratia sufficiens sit præparata: dissident vero in hoc, an omnibus hominibus dentur, & applicentur actu remedia sufficientia? VI. 93. a. Prius est dogma fidei, alterum placitum Scholarum. VI. 94. b. *& seq.* Vid *Fidelis*.

Causa: malum non est aliqua substantia, quæ deberet produci a causa summa efficiente. I. 38. b. Non dantur duæ causæ summæ, quarum una sit principium cujusque boni, altera malorum omnium effectrix. *ibid. & seq.* Causa secunda potest exire in actum sine prædeterminatione. I. 103. b. In quo sensu Pater dicatur causa. I. 214. b. Quænam causa effectrix peccati. An voluntas, concupiscentia, Deus &c. II. 82. b. *tot. cap.* IV. & V.

Causæ finalis, efficiens, meritoria ac formalis gratiæ explicantur. III. 228. b. Quid sit causa principalis, quid instrumentalis? *ibid. &* 235. a. Non Sacramenta, sed Christus est causa principalis gratiæ. III. 235. a. An Sacramenta sint causa instrumentalis gratiæ? *ibid.* An physica vel moralis? *ibid.* a. & b. Quid sit causa physica vel moralis? *ibid.* b. An directa, vel indirecta? *ibid.* An conditionalis? *ibid.* Quomodo intelligendum illud: *Tanta passi estis sine culpa: si tamen sine causa?* IV. 225. b.

Causticus: Baptismus Causticus refutatur. III. 262. a.

Cauteriatus: quid sit conscientia cauteriata? II. 244. b.

Celebratio: an Sacerdos in peccato gravi constitutus teneatur ante celebrationem confiteri, vel an sufficiat contritio? III. 209. b. Si urgente necessitate celebravit in peccato mortali sine prævia confessione, tenetur quamplurimum confiteri. *ibid.*

Celsus impugnavit Genealogiam Christi. III. 32. b.

Censuræ: quæ sint latæ censuræ in propugnantes sententiam probabilem relicta probabiliori vel æque probabili? II. 246. a. Vid. *Duacensis*. An absolutio a censuris possit dari per litteras absenti? IV. 180. b. *& seq.* Quomodo hæc absolutio distinguatur ab absolutione Sacramentali? IV. 181. b. *& seq.* An una censura possit tolli sine altera? IV. 183. b. An valeat Ordinatio facta ab Episcopo censura innodato? IV. 286. b. *& seq.* V. *Constitutio*.

Census. Quid dicendum de censu acto tempore Nativitatis Christi? III. 140. b. *& seq.* An indictus a Saturnino, vel Cyryno? *ibid.*

Cephas: huic S. Paulus restitit non animo simulato, sed vero ac sincero, dum præceperat legalium observationem. II. 197. a. *usque ad cap.* XI. Cephas, cui Paulus in faciem restitit, non est alius a Petro. II. 200. b. Cur S. Petrus vocetur Cephas? III. 154. a.

Cerdon negans carnis resurrectionem refutatur. II. 285. b.

Ceremonia: unde hoc nomen originem habeat? Ceremoniæ sunt Sacra omnia. III. 241. b. Quid apud Græcos sint Orgia? *ibid.* vid. *Sacramentorum Cæremoniæ*.

Ceres: de nomine, & origine Cereris? II. 270. a. Non potest annumerari Diis. *ibid.* Gentes putabant, Catholicos ut Deos colere Bacchum, & Cererem, quia ignorarunt, sub speciebus panis & vini adorari Deum præsentem in Eucharistia. IV. 75. b.

Cerevisia: an per cerevisiam jejunium violetur? II. 339. b. Aliqui baptizabant in oleo, vino, & Cerevisia. III. 260. b. Omnis aqua naturalis est materia apta Baptismi. III. 263. a. Quænam sit aqua naturalis? *ibid.* b. Aqua naturalis, & materia sufficiens Baptismi non sunt sudor, lacrymæ, vinum, cerevisia, lac &c. *ibid.*

Cereus: expositio Eucharistiæ fiat cum decenti ornatu altaris, cereorum splendore, & alicujus Ecclesiastici orantis præsentia. IV. 94. b. *& 95.* a.

Cereus Paschalis est Sacramentale, nec ex institutione Christi peccata dimittit. III. 188. a. & b. Quando inceperit usus Cerei Paschalis? & quid significet? III. 246. b. *& seq.* De Cereis imaginibus vulgo *Agnus Dei* dictis. III. 247. a.

Cerinthianus: Horum Auctor Cerinthus vixit tempore Apostolorum. III. 318. a. Cerinthiani, & Marcionitæ baptizabant vivos pro mortuis sine Baptismo defunctis. *ibid.* Impugnantur Cerinthiani, & Marcionitæ. III. 318. b.

Cerinthus: turpiter erravit circa visionem Dei Beatificam. I. 82. a. Fuit Author Chiliastarum, seu Milleniariorum. *ibid. & seq.* Ejus error refutatur. I. 84. a. & b. Ejus error de Summa Trinitate. I. 180. a. Item circa Verbum divinum. I. 188. b. Docuit, legalium observationem præter Evangelium ad salutem esse necessariam. II. 197. a. Denegabat Christo Divinitatem. II. 277. a. Distinguit Jesum a Christo. II. 281. b. Affirmans Christum esse natum ex semine Joseph impugnat tertium fidei articulum. *ibid.* Cerinthus B. Virgini denegat integritatem. III. 27. a. Refutatur. III. 27. b. Negans Christum fuisse unam personam damnatur. III. 56. b.

Certamen. Vid. *Bellum*, aut *Duellum*.

Certitudo: nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quod sit in gratia Sanctificante. II. 171. b. An homo possit habere certitudinem istam ex fide per Revelationem. II. 171. *& seq.* Certitudo spei christianæ est maxima multiplici ex causa. II. 315. a. At certitudo spei terrenæ est minima. *ibid.* Certitudo spei christianæ excludit timorem. II. 315. b.

Certus: quid sit conscientia certa? quid certa moraliter, & an hæc possit esse conjuncta cum errore. II. 244. b. V. *Opinio*.

Cervisia. Vide *Cerevisia*.

Cerussa: Vid. *Mulier*.

Cete: de creatione eorum. I. 284. b. An possint generari in montibus. *ibid.*

Chalcedonensis Concilii judicium circa damnationem trium capitulorum. II. 103. a. Hæc Synodus mentionem fecit de Ordine Lectorum. IV. 265. a.

Chaldæus populus quando ortus. I. 295. a.

Cham: Posteri Cham primi fuerunt Idololatræ. I. 32. a. & b. A posteris Cham originem habet magica ars. I. 276. b. An Cham fuerit Zoroaster, aut Saturnus Ægyptius. *ibid.*

Chananæus. An Melchisedech sit Chananæus? III. 95. a. & b. Quid significet nomen S. Simonis Chananæi? III. 154. b.

Chaos an fuerit ab æterno. I. 58. b.

Character: in quo sensu Filius divinus dicatur Character. I. 124. b. In adultis ad Sacramenti characterem recipiendum requiritur intentio saltem interpretativa. III. 227. a. Secundum Kemnitium, Wicleffum, Lutherum, Calvinum, & hæreticos Novatores cæteros character est commentum Scholasticum. III. 238. a. An sit denominatio extrinseca, an relatio realis, an qualitas physica? *ibid.* Certum est dari characterem. *ibid.* Imprimitur a Baptismo, Confirmatione, & Ordine. *ibid.* Character non est excogitatus ab Innocentio III. *ibid.* b. Baptismus, Confirmatio, & Ordo ob Characterem nequeunt iterari. *ibid. & seq.* Character Sacramentalis animæ inhæret, & est indelebilis. III. 239. a. Per peccatum non deletur. *ibid.* Per Baptismum constituimur filii, per Confirmationem Milites, per Ordinem Ministri. *ibid.* Character manet in Beatis, & damnatis. III. 239. b. Citra fidei periculum negari potest, characterem esse rem distinctam ab anima. *ibid.* An tonsura prima imprimat characterem? III. 240. b. & 241. b. Quis sit finis characteris? III. 241. b. Baptismus ab hæretico collatus confert characterem, sed an tribuat gratiam? & quando parvulis, quando adultis? III. 302. b. Adulti sine fide interna, & cum peccati mortalis affectu suscipientes Baptismum recipiunt characterem, sed non gratiam: gratiam perciperent, si deposito affectu peccati pœnitentiam egerint. III. 317. b. Baptismus imprimit characterem. III. 326. b. Confirmationis effectus est duplex gratia & character. IV. 33. a. In Confirmatione imprimi characterem negant hæretici, ac Armenopolus, Nicolaus Cabasila & alii. IV. 33. b. Refutantur. IV. 35. a. & b. Statuenda est inter characterem Baptismi, & Confirmationis aliqua connotativa distinctio. IV. 38. b. Character imprimitur per Ordinem. IV. 252. b. *& seq.* & 296. b. *& seq.* Uti & per Baptismum. IV. 253. a. Qui non deletur per hæresim vel Apostasiam. *ibid.* Et ideo Baptismus, & Ordo iterari nequeunt. *ibid.* An prima tonsura imprimat characterem, & iterari nequeat? IV. 260. b. An Ordines minores imprimant characterem. IV. 263. a. & b. An potestas consecrandi, & absolvendi sit unus, vel duplex Character? IV. 271. b. & 272. a. & b. An per Episcopatum imprimatur distinctus a Sacerdotio Character? IV. 272. b. *& seq.* An Character Episcopi deleatur per excommunicationem aut degradationem? IV. 287. a. An per schisma, aut Simoniam? *ibid.* a. & b. & 290. a. Quælibet ætas sufficit ad recipiendum Ordinis characterem. IV. 293. a. & b.

Carisius: quid de ejus symbolo dicendum. I. 211. a.

Crisma quid significet? IV. 254. b.

Caritas: est nomen appropriatum Spiritui Sancto. I. 215. a. Vid. *Amo*. Charitas habitualis sive gratia sanctificans non est homini debita. I. 324. a. *tot. cap.* I. II. & III. Qualem Charitatem admiserit Pelagius. II. 35. a. & 6. V. *Dilectio*. Gratia santificans est charitas per Spiritum S. diffusa in cordibus nostris. II. 153. b. An hæc distinguatur a gratia habituali. II. 54. a. An charitas sit persona Spiritus S. II. 153. b. Charitas Dei in adultis est dispositio ad justificationem. II. 159. a. Requiritur charitas habitualis ad opus de condigno meritorium. II. 165. b.

Charitas quæ in Christo fuerit? III. 51. a. An hæc fuerit causa, cur Christus peccare non potuerit? III. 52. a. An Christum Deum necessario charitate prosecutus sit, & tamen mereri potuerit? III. 53. b. Charitas Christi figurabatur per crematione adipis. III. 107. b. Ut Christi Passio consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona opera. III. 118. a. An per solam charitatem perfectam sine satisfactione Christi Deo reddatur omne, quod peccatum abstulit? III. 126. a. & b.

Adhibens in Sacramentorum administratione materiam, vel formam probabilem relicta probabiliori, ac tutiori peccat contra charitatem proximi. III. 200. b. Nisi excuset extrema necessitas. III. 201. a. Per charitatem disponitur homo ad gratiam. III. 228. b. In adulto ad Baptismum requiritur fides, spes, timor, pœnitentia, & charitas inchoata. III. 316. b. Quomodo intelligendum illud? *Martyrium sine charitate nihil prodest*. III. 322. b. Ad Martyrium requiritur ex parte Martyris Baptismus, aut votum illius, libera acceptatio mortis, ut sit membrum Ecclesiæ, charitas, contritio, aut confessio de peccato commisso, & ut nullum Sacramentum contemnat. III. 324. a.

Charitas qualiter peccata dimittat? IV. 176. b. & 177. b. Sententia, quod opera in se etiam bona, bona non sint, si non fiant ex charitate actuali, per quam referuntur in Deum, non est contenta in propositione 38. Baji. V. 84. a. & b. In sensu Baji, cui assentitur Quelnellius, omnes actus, qui non procedunt ex charitate habituali, sunt peccata, etsi sint actus fidei, spei, &c. V. 83. a. & b. *Tot. cap.* I. In sensu Baji actus amoris initialis, qui non procedit ex charitate habituali est peccatum. *ibid. Tot. cap.* I. Reprobatur ostendendo, quod actus charitatis ante justificationem elicitus non sit peccatum, sed tantum opus non meritorum vitæ æternæ. V. 92. a. *Tot. cap.* I. Gratia Spiritus S. movens ad actus charitatis non justificat peccatorem, sed ad justificationem disponit. V. 87. a. *Tot. cap.* I. Pro-

I. propositio Baji XXXVIII. hæc est : *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quæ mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur*. V. 43. a. Ejus sensus multiplex. *ibid. & sequent.* An loquatur de charitate actuali, vel habituali? *ibid.* Anonymus putat damnatam propositionem 38. Baji in sensu charitatis actualis. V. 84. b. Augustinenses putant, eam damnatam in sensu charitatis habitualis. V. 85. a. Augustinianos defendunt, Anonymum vero impugnant Theologi scribentes de damnata propositione 38. Baji ante Constitutionem *Unigenitus*. V. 85. a. *& seq. tot.* §. II. Anonymum refutant, & Augustinensibus patrocinantur rationes. V. 88. a. *& seq. tot.* §. III. Ostenditur etiam Auctores, qui scripserunt post constitutionem *Unigenitus* asserere articulum Baji. 38. in sensu charitatis habitualis, & gratiæ sanctificantis esse damnatum. V. 90. a. *& seq. tot.* §. IV. Augustiniani scribentes post constitutionem *Unigenitus* propositionem Baji in sensu charitatis habitualis acceperunt. V. 94. a. *tot.* §. V. Referuntur alii pravi sensus propositionis 38. Baji. V. 96. b. *tot.* §. VII. Solvuntur objectiones Anonymi probantis propositionem 38. Baji non esse damnatam in sensu charitatis, & cupiditatis habitualis. V. 98. b. *& seq. tot.* §. VIII. Anonymus objectiones sibi fingit, quas ipse non solvit. V. 103. a. Hæsitat de rebus certissimis. *ibid. & seq.* Quesnellius, & Bajus tantum duo principia admittunt, charitatem prædominantem, seu gratiam sanctificantem, & cupiditatem habitualem. V. 90. b. *& seq.* In quo sensu propositio hæc : *Amor, qui non ordinatur in Deum tanquam finem ultimum, vitiosus est*; sit Bajana? V. 201. a. Bajum, & Quesnellum loqui de charitate sanctificante, probat Instructio Pastoralis Gallicanæ Ecclesiæ. V. 90. a. Hæc Instructio magni est facienda. *ibid.* b. Refutatur querela Quesnelli, quod per calumniam dicatur, ipsum solam admittere gratiam, & charitatem sanctificantem. V. 92. b. Docentes, quod Quesnellii propositiones loquantur de charitate habituali, gravissimis nituntur fundamentis. V. 95. b. Eaque ex propositionibus ipsius Quesnellii desumuntur. *ibid.* Quesnellius docuit, primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, esse remissionem peccatorum. V. 96. a. Unde Augustiniani inter noxiam cupiditatem, & charitatem per Spiritum S. diffusam propugnant amorem medium, qui oritur ex inclinatione naturali, ut amor Beatitudinis, amor Parentum, imo & ipse amor Dei initialis. V. 97. a. Illa propositio Baji : *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*; varios continet errores. V. 98. a. ac p. 105. a. *& b.* An Jansenius agnoverit charitatem actualem ab habituali distinctam, vel idem senserit cum Bajo? V. 102. b. An & in quo differat Jansenius a Bajo, & Quesnellio? *ibid.* Inter justum, & peccatorem non datur medium, bene vero inter cupiditatem habitualem, & charitatem habitualem mediant actus fidei, spei &c. V. 183. b. Vocabulum charitatis tempore Baji denotabat charitatem sanctificantem. V. 88. b. Charitas beatitudinis homini est congenita, & hæc potest esse sine charitate habituali, & sine cupiditate noxia. V. 98. *Coroll.* I. ac p. 106. b. *& seq.* Item 112. a. ac 115. b. An secundum Bellelli attritio possit esse sine charitate Dei? V. 113. b. Bellarminus Robertus S. R. E. Card. ejus sententia de charitate Dei tamquam Auctoris naturæ. V. 115. a. Sententia, quod in Sacramento Pœnitentiæ requiratur charitas initialis, quæ tamen non semper justificationem conferat, non potest censura notari. *ibid.* b. Vindicatur definitio gratiæ, quæ constituitur in illuminatione mentis, & in inspiratione charitatis. V. 110. a. Laurentius Brançatus, Franciscus Macedo, Dionysius Petavius, Concilium Milevitanum, Stephanus Déchamps demonstrant gratiam ab Augustino constitui in inspiratione S. charitatis. *ibid.* Commendantur habitus, & actus virtutum etiam separati a charitate. V. 98. *Coroll.* I. ac. p. 107. a. Ac in libro Bellelli, cui titulus *Mens Augustini*. V. 112. b. *& seq.* Tales sunt actus fidei, spei, timoris, amoris initialis, & attritionis. *ibid. & seq. tot. cap.* III. Juxta Bajum nec Adamus supernaturalibus habitibus fidei, spei, & charitatis donatus fuit, nec egebat gratia supernaturali ad servandam legem, & consequendam beatitudinem. V. 135. a *Coroll.* I. Contrarium docent Augustiniani. *ibid. & seq. Coroll.* II. ac 132. a. *& seq. tot.* §. VII. Quo sensu proscripti sint articuli Baji XXXIV. & XXXVI. V. 157. a. Ex his propositionibus infert Vasquez, Bajum damnatum esse, quia nolebat bonam aliquam charitatem admittere, sine charitate justificante. *ibid.* b. Vasquesio assentiuntur alii Doctores, *ibid. & seq.* Quid Doctores senserint de propositione 34. Baji? *ibid. & seq.* Augustiniani docent, Deum nec ut Auctorem naturæ posse diligi sine gratia ab hominibus post lapsum Adæ. V. 158. a. *& seq.* Idem docent & alii de eadem charitate Dei ut Auctoris naturæ. *ibid. & seq.* Quomodo intelligenda verba illa : *Omnia vestra cum charitate fiant*? V. 163. b. An contineant præceptum omnia opera deliberata referendi in Deum? *ibid. & seq.* Qualiter spes sine charitate sit bona? V. 169. b. Qualiter fides sine charitate sit bona? *ibid.* Solvuntur objectiones Anonymi contra necessitatem gratiæ ad actum charitatis Dei prætensam. V. 171. a. Contra sententiam de operibus infidelium. *ibid.* b. Contra liberum arbitrium. V. 172. b. Contra fidem, spem, & timorem sine charitate elicitos. V. 174. a. Contra expositionem textus, *Sive manducatis, sive bibitis &c. ibid.* b. Contra præceptum referendi omnia opera in Deum. V. 175. a. Quoties teneamur elicere actum charitatis? V. 176. a. Quid Berti doceat de timore, spe, & fide a charitate separatis; an faveat Bajo? V. 178. b. *& seq.* ac 186. b. Berti non est Bajanista, nec rejicit omnem charitatem Dei naturalem. V. 179. b. Bellelli contra Bajum admittit, fidem, spem, timorem sine charitate esse actus in substantia bonos. V. 185. b. ac 188. b.

Propositio hæc Berti: *Gratia efficax est victrix delectatio, seu charitas, quæ superat contrariam cupiditatem*: non ex Jansenio, sed S. Augustino est desumpta. VI. 70. a. *& b.* Idem sentiunt Molinistæ cum Stephano Dechamps. VI. 70. b. Congruistæ cum Vasquesio. VI. 71. a. Bellarminus. *ibid.* Antoninus Massoulié Thomista, *ibid.* Reginaldus. VI. 71. b. Franciscus Macedo. VI. 72. a. Brancatus de Lauræa. *ibid.* Augustiniani omnes. VI. 73. a. Vid. *Gratia*. An Bellelli docuerit omnia opera peccatoris ex defectu charitatis esse peccata? VI. 161. a. *& b.* De Libero arbitrio hominis post lapsum docuit Bajus propositiones tredecim, in quibus evertit liberum arbitrium, dicit omnia peccatorum opera esse peccata sine charitate, quia proveniunt ex cupiditate noxia: ac quomodo Augustiniani istos errores declinent? VI. 170. a. *& b.* Bajus negat charitatem perfectam conjunctam etiam cum voto Sacramenti delere peccata. VI. 175. a. Enarrantur, & rejiciuntur propositiones Quesnelli de charitate, & cupiditate. VI. 82. b. 83. a. *& 87.* a. Vid. *Theologicus*, vel *Dilectio*, *Pœnitentia*, *Languetius*.

Charta. Ludere chartis reprobatur. II. 336. a.

Chemnitius. Contra hunc propugnantur traditiones. II. 298. a. Chemnitius interdum negat, interdum admittit Sacramentum Ordinis IV. 232. a. Negat Matrimonium esse Sacramentum. IV. 301. a. Refutatur. IV. 303. b. *tot. cap.* II. Vid. *Kemnitius*.

Cherub. Sub hoc nomine non venit Satan. I. 262. b. Ordo Cherubim explicatur. I. 269. a. Cur Angeli vocentur Cherubim. I. 241. a.

Childericus Rex Francorum an fuerit depositus auctoritate Romani Pontificis, substituto in ejus locum Pipino. II. 341. b. *& 347.* b. *& 348.* b. *& 349.* a.

Chiliasta. Chiliastarum, qui Regnum Dei in hac terra post Resurrectionem constituerant, conditor fuit Cerinthus. I. 82. a. An eorum error dederit occasionem repudiandi Apocalypsim. I. 84. a. Quid causam dederit aliquibus Patribus labendi in errorem Chiliastarum. I. 88. a. *& b.* Horum regnum temporale est quid commentitium. II. 284. a.

Chilpericus. Quid dicendum de facto Sisebuti, lege Visigothorum, Caroli M. Chilperici, & Dagoberti, cogentium Judæos ad Baptismum? III. 311. a. *& b.*

China. Quid dicendum sit de ritibus Chinensibus? II. 309. a. *& b.* Quid de cultu Confucii? *ibid.* Vide *Sinenses*.

Chirographus. In reconciliatione a peccatis sumus expiati, deleto per Passionem Christi peccatorum nostrorum chirographo. III. 108. b. Ut adeo Christus per suam mortem non declararit solum peccata dimissa, sed vere satisfecerit. *ibid.* Quid per chirographum intelligat Socinus? III. 109. a. Non Deus, sed Christus delevit chirographum. *ibid.* Solvuntur objectiones Socini. III. 113. a. *tot. cap.* V. *& tot. cap.* VII.

Chirotheca. Quid significent chirothecæ Episcopi. IV. 298. b.

Chiron quid sit in consideratione Thalmudistarum. I. 270. a.

Chocolata. An illius usus frangat jejunium? II. 339. a.

Chorea. Saltationes, quarum in sacris litteris fit mentio, damnant modernas plerasque choreas. II. 333. a. Ab antiquis Ethnicis saltatoribus edocemur, quantum dedecet inhonestas frequentare choreas. II. 333. b. Qui choreas immodice agit, & saltat, a culpa vix erit immunis. II. 334. a. Diebus festivis a choreis est omnino abstinendum. *ibid.*

Chorepiscopus non est Minister ordinarius Confirmationis. IV. 27. a. Licet possit conferre Ordines Minores, & Subdiaconatum. *ibid.* An habuerit ordinem specialem? IV. 256. b. De nomine *Chorepiscopus*. IV. 274. b. Distinguitur a Metropolitis, Exarchis, & urbium Præsulibus. *ibid.* Item a Primatibus, & Archiepiscopis. *ibid.* De ipsius origine. IV. 275. a. An Linus, Cletus, Clemens ante Papatum fuerint Chorepiscopi? *ibid.* An fuerint veri Episcopi, vel solum Presbyteri? IV. 275. b. Quid dicendum de Ordinatione Chorepiscoporum? *ibid.* An septuaginta Discipuli fuerint Episcopi? *ibid.* Quæ munera Chorepiscoporum? IV. 276. a. An, quando, & cur abrogati? *ibid.* An Abbates sint Chorepiscopi? IV. 276. b. An in Ecclesia Collegiata, Colonienſi, & Trevirensi adhuc sint Chorepiscopi? *ibid.*

Chorus. Quot sint Angelorum Chori, I. 269. a. An omnes Angeli cujuscunque Chori mittantur. I. 269. b. Quomodo hos choros constituat Thalmudistæ. I. 270. a.

Chrisma. Concilium Meldense de confectione Chrismati egit, non autem Confirmationem instituit. III. 192. a Calvinus per blasphemiam Chrisma nec unius stercoris facit. III. 194. a. An in Confirmatione Ecclesia mutaverit materiam impositioni manuum substituendo inunctionem Chrismatis? III. 196. b. *& seq.* De unctione Chrismatis, linteo albo, & candela accensa, quæ adhibentur in Baptismo. III. 330. a. Interdum Confirmatio dicitur Chrisma. IV. 1. b. Explicatur hoc vocabulum. IV. 2. a. Per impositionem manuum, & unctionem Chrismatis olim recipiebantur hæretici revertentes. *ibid.* Vide *Confirmatio*. Per oleum in altari sanctificatum non intelligitur Eucharistia, sed Chrisma. IV. 6. a. Illud conficere docuit Concilium Meldense. IV. 8. b. Vid. *Confirmationis materia*. An verum Balsamum sit adeo pertarum, ut nequeat sufficiens haberi pro confectione Chrismatis? IV. 16. b. An sit de fide, quod ad confectionem Chrismatis requiratur Balsamum? *ibid.* Nomine Chrismatis non semper venit unctio Sacramentalis. IV. 22. b. *& 23.* a. Quomodo Græci conficiant Chrisma? IV. 15. a. *& b.* An Balsamum oleo sit permiscendum necessitate præcepti, aut omnino Sacramenti? IV. 15. b. *& 16.* a. An valeat Confirmatio facta in oleo, & non in Chrismate? *ibid.* Pius IV. concessit Episcopis Indiæ, ut Balsamo Indico, quod verum est Balsamum, confirmarent. IV. 16. a. *& b.* An Sacramentum Confirmationis sit iterandum, si est collatum in oleo simplici benedicto? IV. 15. a *& seqq.* Quid desuper statuerit Innocentius III. *ibid.* Consecratio Chrismatis jure ordinario pertinet ad Episcopos. IV. 16. b. *& 17.* a. *& b. & 18.* a. An de jure extraordinario licentia consecrandi Chrisma possit dari Sacerdoti simplici? IV. 17. a. An Eugenius IV. eam dederit Fratribus Minoribus Missionariis Indiæ? *ibid.* An Sacerdos simplex olim confecerit Chrisma auctoritate Apostolica? IV. 24. a. Aut saltem Confirmationem contulerit? *ibid.* Vid. *Confirmationis ritus*. Hæretici culpant salutationem, quæ fit S. Chrismati in feria V. hebdomadæ majoris ab Episcopo, & Sacerdotibus. IV. 39. b. Hæc salutatio est ceremonia vetustissima, minime adoratio absoluta. *ibid.* Ostenditur, quod salutatio etiam possit fieri rei inanimatæ. *ibid.* Chrisma singulis annis est innovandum, veteri combusto. *ibid.* Chrismatis benedictio an olim fieri potuerit ab Episcopo quocunque tempore. IV. 18. a. Chrisma diligenter custodiatur. *ibid.* Quam

sit vetusta consuetudo illam faciendi tantum feria IV. majoris hebdomadæ. *ibid.* An in Sacramento Confirmationis Chrisma requiratur tantum de necessitate præcepti, an vero etiam de necessitate Sacramenti. *ibid.* Quinam sint usus Chrismatis? IV. 40. a. Benedictiones, in quibus adhibendum est Chrisma, non possunt fieri a Sacerdote simplice, sed Episcopo sine speciali licentia Papæ. *ibid.* An eodem modo benedicatur, sicut oleum infirmorum? IV. 236. a. An valeat extrema unctio collata cum Chrismate? IV. 237. a.

Chrismatio una erat facta ab initio Ecclesiæ, quam deinde Innocentius I. divisit in frontalem, quæ est Sacramentalis, & verticalem, quæ est Ceremonialis Baptismi. IV. 28. a. Impositio manus, per quam olim hæretici recipiebantur in Ecclesiam, non erat repetitio Sacramenti Confirmationis. IV. 35. b. Sirmondus, Maldonatus, Morinus contrarium sentientes refutantur. *ibid.* Idem dic, si redeuntibus ad Ecclesiam adhibita fuit chrismatio. *ibid.* Unctio, vel manus impositio non fuit confirmatoria, sed reconciliatoria in signum pœnitentiæ. IV. 36. a. Chrismatio in Confirmatione consueta habet originem mysticam. IV. 39. a. Chrismatio non descendit e moribus Gentilium, pugiles perungentium. *ibid.*

Christianus. Cur prohibitum sit Christianis comedere de immolatis simulacrorum, sanguine & suffocato? II. 200. a. Eos in sua lege posse salvari, concedit Mahumet. II. 272. b. Hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* Vid. *Fides*. Christi Divinitas, & Incarnatio a Christiano negari non potest. II. 275. a. *tot. cap.* IV. In quo sensu Socrates, & Heraclitus possint dici Christiani? II. 276. b. Christianus culpabiliter ignorans Mysteria Trinitatis, & Incarnationis non potest salutem consequi. II. 306. a. Idem scire debet memoriter Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam. *ibid.* Licitum est Christiano fugere tempore persecutionis. II. 309. a. Christianus amet cantum gravem, & honestum. II. 335. a. Non legat carmina Poetarum. II. 335. b. Nec eorum fabulas, si limites honestatis excedunt. *ibid.* Christianis prohibetur torneamentum, Troiæ lusus, ac quælibet decursio ludicra. II. 336. b. Cur Christiani dicantur confessi? IV. 164. b. An omnes Christiani sint, vel fuerint, aut esse possint Ministri Pœnitentiæ? IV. 190. b. Ægrotus Christianus utatur Medico Christiano. IV. 199. b. Christiani omnes olim faciebant Unctiones oleo ab Episcopo benedicto. IV. 231. b. & 242. a. & b. Non omnes Christiani sunt Sacerdotes. IV. 254. b. Vid. *Donatista*. Qualiter differant Matrimonia hæreticorum, & Christianorum? IV. 306. a. Matrimonium fidelis cum infideli reprobatur. IV. 305. a. & 313. a. & 319. b. & *seq.* Inter Christianos Matrimonia Servorum sunt rata, etsi Domini sint inviti. IV. 317. a. Matrimonium Christiani cum hæretico est illicitum, sed non invalidum. IV. 324. b. & *seq.* Cur similia Matrimonia ab Ecclesia pro validis agnoscantur? IV. 324. b. Quando possint permitti? IV. 325. a. Vid. *Catholicus*. *Fidelis*.

Christianus Francus. Ejus error de summa Trinitate. I. 274. a. Vid. *Catholicus*.

Christipara cur B. Virgo non vocetur a Symbolo Nicæno. I. 211. b.

Christus. Error Cerinthi constituentis Regnum Christi in terris post Resurrectionem. I. 82. a. Papias pro Regno Christi constituit mille annos post Resurrectionem in terris. *ibid.* De Christi libertate supposito etiam præcepto Patris. I. 124. b. Pro omnibus mortuus est. I. 128. a. Christi merita sunt prædestinationis nostræ causa. I. 156. b. & *seq.* Christi Domini præcepta non possunt esse obnoxia mutationibus. IV. 265. a.

An apparuerit Christus, vel Deus, vel Angelus, quando in veteri testamento legitur, Deum apparuisse. I. 189. a. *usque ad cap.* IX. Vid. *Filius*, vel *Verbum*. Christus est verus Deus, æqualis Patri, hoc probatur diversimode. I. 194. b. *usque ad cap.* XII. Christus est sicut Pater Deus summus, ac Patri consubstantialis. *ibid.* Afferuntur circa hoc objectiones, & solvuntur. I. 197. a. *per tot. cap.* XII. Quomodo intelligenda verba Christi: *Pater major me est*? I. 197. b. Item & ea verba: *Doctrina mea non est mea*; ac ea: *Ascendo ad Patrem meum*, &c. ubi etiam alii textus explicantur. I. 198. a. Quomodo Christus ignoraverit extremi Judicii diem. I. 220. a. An Christus statim in primo instanti meruerit. I. 261. a. Quo die fuerit natus, & mortuus, I. 288. b. Et quo anno mundi sit natus. I. 290. b. De æra vulgari Christi. *Ibid.* An etiam Christus sit factus ad imaginem Dei. I. 305. b.

Cur non contraxerit peccatum originale. II. 14. b. Ejus divinitatem negat Paulus Samosatensis. II. 27. a. Quod promeruerit unionem hypostaticam, docet Origenes. *ibid.* a. & b. Christi gratia mentem illuminat, & voluntatem adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. II. 34. a. Christi gratia ad initium fidei necessaria est. II. 67. a. *tot. cap.* IV. Christus pro omnibus omnino hominibus est mortuus, II. 96. a *usque ad cap.* IV. An Christus pro aliquibus sit mortuus titulo speciali. II. 97. b. Cur Christus non sit pro omnibus eodem modo mortuus. *ibid.* Quomodo redemptio a Christo facta se extendat ad omnes homines. *ibid.* & *seq. usque ad cap.* V. Quomodo pro omnibus orarit. *ibid.* Quomodo potuerit mereri, cum non potuerit peccare. II. 132. b. Justificatio nostra non sit per extrinsecam imputationem justitiæ Christi. II. 153. a. & *pag.* 155. a.

Christus in quo sensu factus sit maledictum? II. 184. b. & 185 b. & *seq.* Lex vetus ducit ad Christum. II. 184. b. Per Sacrificia veteris legis est destructa idololatria, & Christus signatus. II. 194. b. An per mortem Christi lex Mosaica, & legalia fuerint abrogata? II. 195. a. An sit mentitus, fingendo se longius ire? II. 199. a. Aut dum videbatur Magdalenæ hortulanus? *ibid.* Non hunc, sed ejus simulacrum esse crucifixum, credunt Mahumetani. II. 272. a. Testimonia vet. testamenti de Christo sunt antiqua, ac divina. II. 273. b. Veritas Religionis Catholicæ apparet ex miraculis Christi. *ibid.* & 275. a. Hujus Incarnatio, & Divinitas a fideli negari non potest. II. 275. a. *tot. cap.* IV. Christo ignorantiam affingunt Lutherus, & Zwinglius, qui etiam blasphemat, eundem in cruce desperasse. II. 277. b. Errores, qui aggrediuntur Jesum Christum, secundo, & subsequentibus articulis damnantur. II. 281. a. & *seq.* Explicatur hoc nomen *Christi*. *ibid.* De Dominio Christi. *ibid.* b. Est Patri consubstantialis. *ibid.* Christus a Jesu est indistinctus. *ibid.* Christus unctus est Propheta, Sacerdos & Rex. II. 281. b. Cur vocetur Dominus? *ibid.* Christi conceptio est divinitus peracta. *ibid.* Corpus Christi a Spiritu S. est fabricatum intra secreta uteri virginalis. *ibid.* Non habuit corpus ex semine S. Joseph, nec de cælo delapsum. *ibid.* Nec umbratile. *ibid.* Sed B. Virgo fuit vere, ac proprie Dei Genitrix. *ibid.* Christus passus est, & quidem in corpore vero, ac doloribus obnoxio. II. 282. a. Marcion, Menander, & Aphthardocitæ contrarium docentes quarto fidei articulo damnantur. *ibid.* Cur dicatur, quod Christus sit passus sub Pontio Pilato? *ibid.* Cur supplicium crucis elegerit? *ibid.* Anima Christi fuit sensu, & ratione prædita. *ibid.* Fuit in Christo perfecta humanitas ex corpore & anima. *ibid.* Ejus sepultura probat Incarnationem. *ibid.* Christus vere descendit ad inferos. *ibid.* & *seq.* An Patribus in Iymbo prædicaverit Evangelium, & eos baptizaverit. II. 283. a. Quando, & quomodo Christus resurrexerit. II. 283. b. Quomodo ascenderit ad cælos? *ibid.* & *seq.* Quomodo Christi Ascensio differat a raptu Eliæ? *ibid.* Corpus Christi non esse in sole positum, probatur contra Seleucianos. II. 284. a. Quomodo sedeat ad dexteram Patris? *ibid.* Quomodo sit venturus judicare vivos, & mortuos? *ibid.* & *seq.* Cur post Resurrectionem manducarit? II. 288. b. Christus acceptavit testimonium ab homine. II 296. b. & *seq.* Eundem esse adorandum, habere duas voluntates, habetur ex traditione. II. 299. a. In veteri testamento necessaria erat fides in Christum tanquam Mediatorem, sed non explicita in ejus divinitatem, ac in individuam Trinitatem. II. 306. a. & *seq.* An etiam Christus potuerit orare, *Dimitte nobis debita nostra*? &c. II. 318. a. In quo sensu dixerit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*? II. 322. a.

Qualis Sanguis ex aperto Christi latere profluxerit? III. 168. a. Quid de eo sentiant Calvinus & alii? *ibid.* An fluxerit promiscue cum aqua, vel separatim? *ibid.* An Longinus latus domini aperuerit? *ibid.* a. & b. Sacramenta novæ, & antiquæ legis significant Christum, & gratiam, sed hæc signa erant Christi venturi, illa redemptionis peractæ. III. 171. a. Sacramenta vet. legis commemorabant fœdus a Deo cum populo initum, denotabant justitiam, & fidem, & prænuntiabant Christum, & gratiam Evangelii. *ibid.* a. & b. Sacramenta novæ legis commemorant Passionem Christi, denotant gratiam, sanctitatem, & remissionem peccatorum: prænuntiant vitam æternam. *ibid.* Quodlibet Sacramentum administratur nomine Christi: unde effectus non tribuit Minister pius, nec impedit Minister malus. III. 171. b. An Sacramenta veteris legis potuerint conferre gratiam Passione Christi necdum peracta? III. 175. a. Sacramentalia ex institutione Christi non dimittunt peccata. III. 188. a. & b. Quomodo intelligendum illud Christi? *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. III. 189. a. An ante definitionem Tridentini negaverit Petrus Lombardus Extremam Unctionem esse institutam a Christo; & an S. Bonaventura ante illud putarit Confirmationem esse institutam post mortem Apostolorum in Concilio Meldensi, Pœnitentiam autem ab Apostolis? III. 192. a. Post Tridentinum certum est, Christum instituisse omnia Sacramenta. *ibid.* An ex eodem sit de fide, Sacramenta omnia esse immediate instituta a Christo. *ibid.* ac 193. b. Christus omnia Sacramenta novæ legis per se ipsum immediate instituit. III. 192. b. Apostoli autem fuerunt eorum administratores, & promulgatores. *ibid.* Concilium Meldense docuit, Chrisma conficere, non autem Confirmationem instituit. III. 192. a. S. Jacobus Extremam Unctionem promulgavit, non instituit. *ibid.* Hæretici negant aliqua Sacramenta esse immediate, vel mediate instituta a Christo, excepto Baptismo, & Eucharistia. III. 294. a. An communicari queat creaturæ hypostatice Deo non unitæ potestas instituendi Sacramenta? III. 192. a. & b. & 194. a. & b. In institutore Sacramentorum triplex est distinguenda potestas auctoritatis, excellentiæ, & Ministerii. III. 194. a. An Christus omnium Sacramentorum materiam & formam ita determinarit, ut Ecclesia eam mutare non possit? III. 196. a. & b. An idem dicendum de ritibus? III. 196. b. & *seq.* An solius Christi sit, materiam & formam Sacramentorum determinare aut mutare? III. 196. a. & b. Formæ Sacramentorum non tantum excitant ad fidem, sed etiam Christi gratiam, & Sanctitatem conferunt. III. 197. b. Christus est Minister Principalis Sacramentorum. III. 203. b. Effectus Sacramentorum dependet a Christo, & non a probitate vel improbitate Ministri. II. 171. b. & 206. a. *tot. cap.* XIV. Ritus externi non habent a solo Christo, quod sint Sacramentales, nisi accedat intentio Ministri. III. 217. b. Sacramenta vet. legis conferebant gratiam per accidens, mediante scilicet fide in Christum venturum. III. 230. a. & b. An Sacramenta veteris legis habuerint gratiam ex opere operato ex meritis Christi prævisis, sicut Sacramenta novæ legis ex operibus Christi peractis? III. 231. b. Sacramenta novæ legis ex merito Passionis Christi justificandi vim habent. III. 232. a. Quomodo Sacramenta novæ legis processerint ex latere Christi? *ibid.* Non Sacramenta, sed Christus est causa principalis gratiæ. III. 235. a. Qualiter per Baptismum Christus induatur. III. 250. b. & *seq.* Melanchthon, Calvinus, Brentius, Magdeburgenses, Beza, Vossius, & alii tribuunt Baptismo Joannis tantam virtutem, quantam Baptismo Christi. III. 252. b. Multiplici titulo Baptismus Joannis discrepabat a Baptismate Christi. III. 253. a. *tot. cap.* II. An Christo baptizato cessaverit Baptismus Joannis? *ibid.* a. & b. Christi Baptismus valet ad ablutionem culpæ: Baptismus Joannis contulit solum munditiam legalem, remissionem vero peccatorum nonnisi ratione pœnitentiæ, & fidei suscipientium. III. 253. & *seq.* Tridentinum anathema dixit iis, qui non majorem vim tribuebant Christi Baptismo, quam Baptismo Joannis, non vero iis, qui tenent, etiam per Baptismum Joannis esse dimissa peccata. III. 255. a. Vindicatur in hoc S. Augustinus. *ibid.* An Joannes, vel saltem Apostoli ante Passionem Christi baptizarint in Nomine SS. Trinitatis. III. 255. b. & *seq.* Cur Christus a Joanne baptizari voluerit? III. 257. a. An ante passionem Christi, quando Christus baptizatus est a Joanne, fuerit

Baptismus institutus? III. 257. b. Ante mortem Christi Apostoli baptizabant Baptismo Christi, non Joannis. *ibid.* Christus sanctificavit aquas Jordanis per Baptismum suum. III. 258. a. Christus baptizatus baptizavit Joannem in Jordane. III. 258. b. *& seq.* In Baptismo ante mortem Christi collato datur Spiritus S. invisibiliter: in die Pentecostes autem visibiliter. *ibid.* Christus manu propria baptizavit B.V. Mariam, S. Joannem, & Petrum. *ibid. &* 306. a. Quomodo dicamur baptizati in morte Christi? III. 258. b. *& seq.* Quomodo Sacramenta fluxerint ex latere Christi in morte aperto, si jam antea Baptismus erat institutus? *ibid.* Cur Baptismus dicatur institutus, quando Christus baptizavit Joannem, & cur non dicatur instituta pœnitentia, quando Christus Magdalenæ peccata dimisit? *ibid.* Christus baptizatus est per immersionem. III. 264. b. Sociniani, Episcopius, Vossius, & Zwinglius negant, requiri ad essentiam Baptismi invocationem SS. Trinitatis. III. 271. a. Iidem tenent, valere Baptismum in Nomine Christi collatum. *ibid.* Quid de Baptismo in nomine Christi collato teneant Scotus, Magister Sententiarum, Cajetanus? III. 271. a. *&* 273. a. Quantum distent a Sociniaris? III. 273. a. Apostoli non baptizabant in nomine Christi ob dispensationem aliquam a Christo obtentam, III. 273. b. *&* 277. a. Explicatur textus Scripturæ, qui videtur contrarius. III. 274. a. *&* b. Nec Gentiles, nec Judæi erant baptizati in solo Nomine Christi. III. 275. a. *&* b. *&* 277. a. Exponuntur textus SS. Patrum primo intuitu adversantium. III. 275. b. *& seq.* An Romani Pontifices olim approbarint Baptismum in solo Christi Nomine collatum? III. 276. b. *& seq.* Sententia dicens valuisse Baptismum in Nomine Christi, non potest censura notari. III. 277. b. An validum Baptisma, si baptizans debita utatur forma, sed in Trinitatem aut Christum non credat? III. 292. b. *& seq.* Quomodo baptizati ab Hæretico Christum induant? III. 304. a.

buit fieri ex præscripto legis die octavo. III. 179. b. Et quidem hæc lex obligat adultos, & parvulos. *ibid. & seq.* Verba illa: *Masculus, cujus &c. peribit de populo suo*; significant mortem perpetuam. III. 180. a. Moyses; quia neglexit circumcisionem filii sui, incurrebat vitæ periculum. *ibid.* Quod circumcisione remissum fuerit peccatum accedente fide, probatur ex S. Augustino & aliis. III. 178. a. *& seq. usque ad cap.* V. Sicque fuerit verum Sacramentum. *ibid.* An infantes ante circumcisionem ob necdum completum octiduum decedentes perierint? III. 183. b. Quid de fœmellis? *ibid.* An Abraham per fidem, vel per circumcisionem fuerit liberatus a peccato originali? *ibid. & seq.* An & cur Judæi circumcisionem omiserint in deserto? III. 184. a. An circumcisio contulerit gratiam ex opere operato? Affirmat Scotus. III. 233. b. *& seq.* An circumcisio vi institutionis suæ deleverit peccatum originale? *ibid.* Negat S. Thomas. III. 234. b. Sententia auctoris. III. 234. a. & b. *& seq.* Sicut circumcisio est signum pacti Abrahami cum Deo initi, ita Eucharistia est signum testamenti novi. IV. 81. a.

Circumstantia. Ob circumstantias materia levis potest fieri gravis. II. 208. a.

Circumstantiæ quænam sint in confessione exponendæ? IV. 183. b. *& seq.* An speciem mutantes, aut idem peccatum intra eandem speciem aggravantes. IV. 184. a. An talis circumstantiæ consuetudo? IV. 184. b. Quænam sint circumstantiæ aggravantes? *ibid.* An etiam circumstantiæ peccatum imminuentes sint aperiendæ? IV. 185. a.

Cisterciensis Ordinis Abbates an habeant potestatem ordinandi Subdiaconos, & Diaconos? IV. 185. a.

Citatio. Quomodo faciendæ, & legendæ citationes in jure canonico? II. 218. b. Quomodo in jure civili? II. 221. b.

Civilis. Homines habent facultatem liberi arbitrii in civilibus, & moralibus etiam post Adæ lapsum. II. 73. a. *tot. cap.* II. & III. Quid sit lex humana civilis? II. 174. b. Quid jus civile? *ibid.* An debeat promulgari in singulis Provinciis? II. 203. a. *& seq.* An post promulgationem statim obliget? *ibid.* An ad hanc requiratur acceptatio populi? II. 204. a. *& seq.* Quæ distinctio inter hanc & Ecclesiasticam? II. 204. b. Lex etiam civilis obligat in conscientia. II. 206. a. *& seq.* Hoc negarunt Waldenses. *ibid.* Et Gerson. *ibid.* An etiam cum periculo vitæ? II. 207. b. *& seq.* An possit præcipere actum internum? II. 208. b. Potestas civilis, & spiritualis possunt simul stare. II. 211. a. Ut fit in Papa *ibid.* Potestas civilis tenetur arma tractare ad nutum Papæ. II. 212. b. Potestas civilis nequit minuere immunitatem Ecclesiasticam. II. 215. a. *& seq.* Traduntur quædam rudimenta de legibus civilibus. II. 219. b. Quid dicendum de legibus civilibus Atheniensium, & Atticorum? *ibid.* Quid lex civilis statuat de Matrimonio? *ibid. & seq.* Leges Romanorum dividuntur in regias, tribunicias, curiatas, plebis scita, triumphales, sacratas, satyras, &c. II. 220. a. Quid lex Julia? *Ibid.* Quid lex civilis Romanorum statuat de Religione, & cultu parentum? *ibid.* Quid de homicidio? *ibid.* Quid de fornicatione, & libidine? *ibid.* Quid de furto? II. 220. Quid de conviciis, falso testimonio, & calumnia? *ibid.* An concordantiam habeant leges Atticæ, & Athenienses cum Romanis? *ibid.* Leges civiles antiquæ cohærent cum libris Exodi, Genesis, & Levitici. II. 221. a. Ac derivantur a lege Hebraica. *ibid.* Præter leges civiles dantur etiam statuta. *ibid.* Quinam horum statutorum compilatores præcipui? *ibid.* Quibus partibus constet lex civilis? II. 221. b. Quomodo legendæ, & faciendæ citationes Juris civilis? *ibid.* Quæ leges civiles contineantur in Codice? *ibid.*

Civis. Vid. *Romanus*.

Civitas Refugii quid sit? II. 213. b. Primo fuit hæ civitates constitutæ ab Ethnicis. II. 215. b. Tales civitates in Vulgata nostra recte numerantur quatuor. II. 216. b. Asylum est jus antiquissimum. *ibid.* Dividitur in sacrum & profanum. *ibid.* Quæ loca gaudeant asylo? *ibid.* Quinam non gaudeant jure asyli? *ibid.* An Baptisteria Ecclesiæ non conjuncta gaudeant asylo? *ibid. & seq.* An palatia Episcoporum, & Cardinalium? an hospitalia auctoritate Episcopi erecta? an Religiosæ domus, & Monasteria? II. 217. a. De asylo Idololatrarum, gentilium, & Judæorum. II. 217. a. Vid. *Urbs*.

Clandestinus. Vid. *Matrimonium*.

Clandestina Conjugia. An is validum contrahat matrimonium, qui suo domicilio retento profiscitur ad locum, ubi non est promulgatum Tridentinum, ut clandestinum conjugium ineat. IV. 328. b. Clandestina conjugia quid sint? IV. 323. a. Denuntiationes seu proclamationes matrimonio sunt præmittendæ. *ibid.* Earum tamen omissio non irritum reddit Sacramentum. *ibid.* Matrimonia hæc ante definitionem Ecclesiæ erant valida. *ibid.* Et adhuc sunt in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum. *ibid.* Etsi clandestina matrimonia ante Tridentinum rata fuerint, ea tamen semper Ecclesia detestata est. *ibid.* a. & b. Tridentinum potuit annullare, & actu annullavit matrimonia clandestina. IV. 323. b. Ecclesia per hoc non mutavit substantiam, sed hanc reliquit in contractu civili, prout antea erat. *ibid. & 324.* a. & b. Hoc impedimentum saluberrime est statutum. *ibid.*

Clavis. Eucharistia olim asservabatur in turribus & columbis, item & pastophoriis. IV. 92. b. Cura clavium ad Eucharistiam asservandam diligenter geratur. IV. 93. a.

Clausura an possit deferi a Moniali ob grave periculum? II. 207. b. Violatio clausuræ Monialem in malum finem est casus Papæ reservatus. IV. 193. a.

Clavus. Quot claves Christus fuerit ligno crucis affixus? III. 165. a. & b.

Clemens Romanus. Constitutiones Apostolicæ falso inscribuntur Clementi. IV. 7. a. & b. An ante Papatum fuerit Chorepiscopus. IV. 275. a.

Annuntiatio circa Constitutiones Apostolicas, ejus nomine editas. I. 183. b.

S. Clemens Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur. I. 220. a.

Clemens V. Ejus decretales enarrantur. II. 218. Dividuntur. *ibid.* An is sit compilator Canonum Apostolorum. II. 219. a. Clemens V. abrogavit Decretalem Bonifacii VIII. *Unam sanctam*. II. 357. b. *& seq.*

Clemens VI. an exauctoraverit Ludovicum XIV. Imperatorem. II. 348. a.

Clemens VIII. Quare & qualiter Clemens VIII. & Benedictus XIV. præceperint, ut a Græcis confirmati denuo confirmarentur. IV. 20. b. *& seq.* Innocentius IV. Sacerdotibus Cypri, & Clemens VIII Sacerdotibus Albaniæ, non autem omnibus Sacerdotibus Græcis, interdixerunt administrationem confirmationis. IV. 25. b. *& 26.* a. b. Quid desuper statuerit S. P. Benedictus XIV.? *ibid.*

Clemens XI. dicendo, quod in resurrectione Domini forma servi sit reversa in formam Dei, non incidit in errorem Eutychetis. III. 73. b. *& seq.* In Constitutione *Unigenitus* damnavit propositiones Quesnellianas, in quibus continentur propositiones Baji. V. 90. a.

Clemens XIII. Vide *Venetorum Respublica*, & *Genuensium Respublica*.

Cleophas. An Christus Cleophæ & alteri discipulo euntibus in Emmaus porrexerit panem Sacramentalem? IV. 101. b.

Clericatus. An licitum sit a Clericatu recedere? IV. 295. a.

Clericus (*Joannes*) immerito S. Clementem Alexandrinum judicavit Arianum. I. 220. a. Clericus librum edidit sub nomine Joannis Thereponi contra S. Augustini scripta. I. 136. b. *& 137.* a. An neget peccatum originale transire ad posteros Adam. II. 1. b. Contra hunc defenditur S. Augustinus. II. 185. *& seq.*

Clericus legitime possidet bona temporalia. II. 213. b. *& seq.* Illius bona gaudent immunitate a tributis. *ibid.* Hanc nequit minuere Princeps sæcularis. II. 215. a. *& seq.* Quo jure Clerici gaudeant immunitate? II. 215. a. *& 213.* b. *& seq.* Nequit renunciare privilegio. II. 241. b. Quinam veniat nomine Clericorum? II. 222. a. Quinam amittant privilegium *Canonis*. *ibid.* Quinam gaudeant privilegio *fori*? *ibid.* Sub quibus conditionibus Clericus conjugatus, aut in minoribus constitutus gaudeat privilegio fori, & canonis? *ibid.* Est excommunicatus, si intersit congressioni feræ cum homine. II. 337. a. De habitu Clericorum. II. 338. De eorum se inebriantium pœnis. II. 338. b. Ex diversis Clericorum officiis non recte infertur Ecclesiasticorum Ordinum diversitas. IV. 265. b.

Si in necessitate adsint Clericus, laicus, vir, & fœmina, quis debet dare Baptismum? III. 282. b. *& seq.* An laicus vel fœmina peccatum grave committant, si in necessitate baptizant præsente Clerico. III. 283. a.

Hujus percussio est casus Papæ reservatus. IV. 193. a. An etiam Clerici debuerint subire publicam pœnitentiam? IV. 223. a. Quinam veniant nomine Clerici? IV. 251. a. Unde hoc nomen habeat originem? IV. 255. b. In Clericis cincinnus res est turpissima. IV. 260. a. De eorum tonsura. Vid. *Tonsura*. An sola prima tonsura initiatus possit alios Clericos suspendere? IV. 260. a. Vid. *Ordinis subjectum*. An olim præcipue apud Græcos Clerici ordinati sint per saltum? IV. 298. a. Ordines gradatim sunt recipiendi. *ibid.* De pœnis ordinatorum per saltum. *ibid.*

Clerus. In feria V. Cœnæ Domini Communio fiat ab universo Clero ministrata a celebrante. IV. 112. a. *& b.* Vid. *Episcopus*.

Cletus an ante Papatum fuerit Chorepiscopus? IV. 275. a.

Clinicus. Baptismus Clinicorum validus est. III. 265. a. *& b. & 266.* b. *& seq.* Quid dicendum de Baptismo Novatiani in lecto baptizati? III. 266. b. *& seq.*

Coactio. Quid sit libertas a coactione, & an hæc æque adversetur voluntati, ac adversatur necessitas. II. 73. b. Libertatem a coactione admittunt Lutherus & Calvinus, non autem libertatem indifferentiæ seu a necessitate. *ibid.* Et propterea tenent sententiam Jansenii damnatam. II. 95. a. *& b.* Coactio tollit voluntarium. II. 224. a. Jansenius admittit, quid sola necessitas coactionis adimat libertatem. V. 80. b. Sancti necessario amant Deum, & tamen non patiuntur coactionem. VI. 82. a. Berti ait, non sufficere ad merendum, vel demerendum libertatem a coactione, sed requiri etiam libertatem a necessitate. VI. 108. a. *& seq.* Idem sentit Bellelli. VI. 137. a. *& seq. & 148.* a. *& seq.* Denegatur in libris Berti delectatio illa gradibus superior, quæ ita sit invincibilis, & necessitatem inferens, ut sub illa voluntas a sola coactione sit libera. VI. 114. b. *tot.* §. I.

Cocolata. Vid *Chocolata*.

Codex. Quæ leges civiles contineantur in Codice? II. 221. b.

Cœlibatus. An ob hujus observantiam subdiaconatus sit ordo sacer? IV. 267. b.

Cœmeterium. An Ecclesia polluatur, si mors, vel sanguinis effusio fiat extra januam Ecclesiæ in portæ limine, in sacrario, turri, cœmeterio? IV. 125. b.

Cœna. Eucharistiæ sacramentum est institutum in postrema cœna consummato Paschate Judaico. IV. 43. b. Qualis hymnus fuerit dictus post cœnam ultimam? IV. 53. a. Christus in Eucharistia est præsens, quamdiu durat accidentia, & non in solo usu, aut actione cœnæ. IV. 92. a. Aliquibus in locis in Africa, & Gallia introducta est consuetudo sumendi Communionem sumpto prandio, præcipue in feria V. Cœnæ Domini. IV. 108. a. In feria V. Cœnæ Domini Communio fiat ab universo Clero ministrata a celebrante. IV. 22. a. *& b.* Vid. *Eucharistia*.

Cogitatio. Deus cognoscit intimas cogitationes nostras. I. 99. b. An Angeli intueantur cogitationes nostras. I. 253. a. Et an id fiat virtute sensibili, vel spirituali. I. 254. b. Quomodo Angelus manifestet alteri angelo cogitationes suas. I. 255. a. *per tot. cap.* XI. An sex dies creationis mundi sint accipiendi pro diversis cogitationibus Angelorum. I. 272. a. Cogitatio sancta & delectatio an debeat præcedere, ut possit peccatum imputari? II. 258. *& seq.*

Cognatio. Peccatum grave committit, qui non confirmatus agit Patrinum. IV. 40. a. Contrahit tamen cognationem spiritualem, & ad quos hæc cognatio extendatur? *ibid.* a. *& b.* Cognatio est Triplex, naturalis, legalis & spiritualis. IV. 318. a. Consanguinitas naturalis quid sit? *ibid.* Quid sit stipes, radix, vel truncus? IV. 318. b. Vir & uxor faciunt stipitem, vel truncum unum. *ibid.* In consanguinitate dantur gradus, & lineæ. *ibid.* Quid sint? *ibid.* Quid linea recta; quid transversa sive collateralis? *ibid.* Quomodo gradus distinguantur? *ibid.* Inter quos gradus Ecclesia prohibeat matrimonium? *ibid.* Qui gradus jure naturali dirimant matrimonium? *ibid.* Quinam jure civili; quinam Divino? *ibid.*

Quid

Quid cognatio legalis; quinam possint filios adoptare? IV. 319. a. An frigidi, & naturaliter impotentes possiat adoptare? *ibid.* An Eunuchi, an mulieres? *ibid.* Adoptio est duplex, arrogatio scilicet, & simplex adoptio: quale jus tribuat arrogatio? *ibid.* Quale simplex adoptio? *ibid.* Quid requiratur ad arrogationem, & quid ad simplicem adoptionem? *ibid.* An sola cognatio legalis ex arrogatione dirimat matrimonium? *ibid.* Inter quos gradus dirimat? *ibid.* An hoc impedimentum maneat soluta adoptione? *ibid.* Quid sit cognatio spiritualis; in quibus gradibus Baptismus, & Confirmatio dirimant matrimonium? *ibid.* a. & b. An parentes levantes prolem hoc impedimentum contrahant? IV. 319. b. Ad quos extendatur cognatio spiritualis? *ibid.*

Cognitio. Quomodo Angelica cognitio peragatur. I. 252. a. *per tot. cap.* IX. An ea fiat per species acceptas a rebus. I. 252. b. Vel per lucis æternæ participationem. *ibid.* Quotupliciter se hæc lux creaturæ rationali communicet. *ibid.* Quid sit cognitio vespertina, & matutina Angelorum. *ibid. & seq.* An Angelorum cognitioni subsint cogitationes nostræ. I. 253. a. Et an id fiat virtute sensibili, vel spiritali. I. 254. b.

Cognosco. An Angeli cognoscant necessario futura. I. 256. a. An futura contingentia, & libera. *ibid.* An Angeli cognoscant veritates universales. I. 258. a. An creatura rationalis, imago Dei possit quiescere in cognitione abstractiva Dei? V. 145. b.

Cognitus: Prædestinati etiam dicuntur cogniti. I. 37. b.

Cognosco. An Angeli cognoscant necessario futura. I. 256. a. An futura contingentia, & libera. *ibid.* An Angeli cognoscant veritates Universales. I. 258. Cognosco. Vide *Comprehendo*, vel *Video*. Quomodo Deus cognoscat creaturas. I. 103. a. & b.

Cohabitatio. An pars innocens possit facere propria auctoritate divortium etiam quod cohabitationem. IV. 336. b.

Coitus. Quale discrimen inter coitum hominum, & animalium? IV. 301. a. Ad matrimonii substantiam non pertinet coitus carnalis. IV. 307. a. & b. Nec consensus in illum. IV. 307. b. & 309. b. Nec inde sequuntur aliqua absurda. *ibid.* Matrimonium cum secunda contractum non firmatur, si vivente prima vir habeat coitum cum secunda. IV. 321. a. Affinitas ex quali coitu oriatur? *ibid.* Ad quot gradus hæc affinitas extendatur ex coitu licito, ac illicito? *ibid.* b.

Collatinus fuit primus Consul Romanus. I. 290. b.

Colloquor. Quomodo Angeli colloquantur ad invicem. I. 255. a. *per tot. cap.* XI.

Collum. E si olim licitum fuerit, Eucharistiam in itinere collo appensam secum deferre, aut in domibus asservare, id tamen nunc est prohibitum. IV. 95. a. Olim etiam in collo dabatur extrema unctio. IV. 237. a.

Collyridianus. Contra Marcionitas, Pepuzianos, & Collyridianos probatur, fœminas non posse solemni ritu baptizare. III. 279. b. & 282. b.

Coloniensis I. Synodus anni 1536. quid senserit de Sacramenti Matrimonii Ministro. IV. 329. a. & b. An in Ecclesia Collegiata Coloniensi adhuc sint Chorepiscopi? IV. 276. b.

Columbæ. Eucharistia olim asservabatur in turribus, & columbis, & in pastophoriis. IV. 92. b. Cura clavium ad Eucharistiam asservandam diligenter geratur. IV. 93. a.

Coma. Publice pœnitentibus interdictum erat comas alere. IV. 221. b. Vid. *Cincinnus*.

Comessatio non erat publice punita. IV. 223. a.

Commemoratio. Quomodo intelligendum illud? *Hoc facite in meam commemorationem*. III. 204. b. In quo sensu Eucharistia dicatur commemoratio? IV. 83. a. & b.

Commodum. Vid. *Bonum*.

Communicatio fuit quintus gradus pœnitentium. IV. 2. a. & b.

Communicatio Idiomatum datur in Christo. III. 78. a. Vid. *Idioma*.

Communico: Erat olim consuetudo dandi Eucharistiam intinctam communicantibus & infirmis. IV. 53. a.

Communio. An Papa possit dispensare in communione bonorum? II. 179. b. Quid significet communio Sanctorum? II. 285. a. Vid. *Eucharistiæ Communio*. Communionis sacrilegæ comparationes. IV. 72. b. Sacrificium, quod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit, non est improprie tale consistens in sola Dominici Corporis distributione, & Communione, sed vera oblatio est, ac proprie dictum Sacrificium. IV. 114. a. Non est prohibitum celebrare Missam, etsi nullus adsit communionem recepturus præter sacrificantem. IV. 120. a. & b. Solvuntur objectiones hæreticorum volentium Missam privatam sine fidelium communione non posse esse licitam. IV. 121. a. & b. An Sacerdos celebrans teneatur in Missa privata communionem porrigere laicis, si petant? IV. 122. a. Communio frequentissima, & quotidiana non præcipitur, sed suadetur: neque ad hanc singuli, præsertim laici, sunt sufficienter dispositi, etsi obtinuerint lethalium criminum remissionem, Confessione præmissa. IV. 110. b. Opus P. Pichon, in quo oppositum tradebatur, a pluribus Galliarum Episcopis fuit condemnatum. *ibid.* Ejusdem humilis, atque prudens retractatio. *ibid. & seq.* Non semper Sacerdos celebrans tenetur ad Eucharistiam porrigendam. IV. 122. b. In Nocte Dominicæ Nativitatis fieri nequit distributio Eucharistiæ. *ibid.* Neque in Oratoriis privatis fieri potest Communio, nisi accedat Apostolicæ Sedis Indultum. *ibid.* Vid. *Benedictus XIV.* Communio interdicta erat adulterium committentibus. IV. 179. b. Quando urget præceptum Communionis, urget etiam præceptum confitendi mortale. IV. 196. b. Etiam in primitiva Ecclesia huic est præmissa Confessio. IV. 199. b. Quid antiqui Canones intelligant per Communionem? IV. 211. a. & b. Vid. *Eucharistia*.

Communio in Paschate potest peti a Sacerdote improbo, dummodo sit toleratus, & alius non adsit. III. 211. a. Vid. *Eucharistia*.

Communis, Leges debent respicere bonum commune. II. 175. b.

Communitas. Lex sit lata pro communitate. II. 175. a. Communitas potest ferre legem. II. 176. a.

Comœdia. Apud Gentiles in comœdis viri erant separati a mulieribus. II. 331. a. & *seq.* Viri & fœminæ non poterant promiscue theatrum conscendere ad exhibendam aliquam comœdiam, vel tragœdiam. *ibid.* Comparatione antiquarum despiciendæ magis sunt nonnullæ comœdiæ recentiores. II. 331. b. Exhibitio dividitur in tragicam, comicam, satyricam, & mimicam. *ibid.* Histriones inverecundi, aliique inhonestæ comœdiæ actores sunt hominum iniquissimi, & infamia notandi. *ibid. & seq.* Ingredientes theatrum, ludicramque scenam spectantes peccant gravissime, nisi comœdia, quod raro contingit, sit honestissima. II. 332. a. In larvis modo major est luxuries, quam olim erat apud superstitiosos. II. 332. b.

Compater. Recte usurpantur compatres, seu susceptores, vel patrini in Baptismo. III. 327. a. & b. Quot sint patrini? III. 327. b. Patrini sciant Symbolum Apostolorum, sint confirmati, & non sint Parentes baptizandi, nec Monachi. *ibid.* Qualis obligatio patrini? *ibid.* Vid. *Patrinus*. An usus Compatrum descendat a tempore Apostolorum pro recipiendo Sacramento confirmationis? IV. 40. a. Compater non potest esse Pater, Mater, Vitricus, aut Noverca. *ibid.* An compater unus possit plures tenere confirmandos? *ibid.*

Competens, Catechumeni habebant tres classes, audientium, competentium, & electorum. III. 315. b. & *seq.*

Complex an olim in confessione potuerit manifestari, ac etiamnum possit? IV. 186. a. Ac quando? *ibid.* Confessarius audiens confessionem Sacramentalem complicis in peccato turpi quas pœnas incurrat? IV. 195. a. & 196. a. & b.

Compositio. An in Deo detur compositio intrinseca, vel rationis? I. 52. a.

Compositus, An Christus possit dici compositus, & unio hypostatica compositio? III. 91. a. & b.

Comporatio. Quantum sit se-lus se comportationibus inebriare? II. 338. b. Præcipue in Clericis. II. 339. a.

Comprehendo. Deus se ipsum cognoscit, & comprehendit. I. 98. a. Vide *Creatura*.

Comprehensio, Quæ requirantur ad comprehensionem alicujus rei? I. 69. b. S. Chrysostomus negat possibilem esse comprehensionem Dei a Creatura; de Visione autem possibilitatem adstruit. I. 73. b. Similiter facit Theodoretus. I. 74. a. Quibus accedit S. Hieronymus. I. 74. b.

Conceptio Christi divinitus est peracta, II. 281. b.

Concilium. Transfusio peccati originalis in posteros Adæ probatur ex Conciliis cum solutione objectionum. II. 5. a. *per tot. cap.* II. An licita sit appellatio a sententia Papæ ad futurum Concilium. II. 100. b. De judicio Concilii Chalcedonensis circa damnationem trium Capitulorum. II. 103. a. Plura Concilia usa sunt traditione ad condemnationem hæresum. II. 299. a.

An a Concilio generali possit damnari Papa. III. 46. b. An concilium sit supra Papam? *ibid.* An concilium possit errare errore facti? *ibid.* Quid dicendum de sententia excommunicationis lata in Honorium I. Papam a concilio. *ibid.* Quid dicendum de concilio Chalcedonensi? III. 65. b. In hoc damnatus est Nestorius, cum Eutychete, Theodoretus vero denuo in suam sedem restitutus. III. 71. b. Theodosius Imp. urgente Eutychete convocavit concilium prædatorium Ephesinum, in quo S. Flavianus ob accepta vulnera obiit. *ibid.* a. & b. Concilium Lateranense absolvit Petrum Lombardum Magistrum Sententiarum de hæresi accusatum. III. 184. b. & *seq.* An S. Bonaventura putarit confirmationem institutam post mortem Apostolorum in Concilio Meldensi? III. 192. a. Concilium Meldense docuit Chrisma conficere, non autem confirmationem instituit. *ibid.* Concilium Arelatense non erat plenarium. III. 300. b. & 301. a. Cur Concilium Eliberitanum potestatem baptizandi deneget bigamis, & iis, qui Baptismum integre non receperunt? III. 281. b. Concilium tertium Carthaginense vere est celebratum. III. 290. b. & *seq.* Concilium plenarium, de quo Augustinus adversus Donatistas affirmat, ad ejus auctoritatem & robur productam antiquam unius Baptismatis consuetudinem, videtur esse Nicænum, sed non istud solum intelligit. III. 300. a.

Concilium Aurelianense an reprobarit admixtionem aquæ vino consecrando? IV. 62. a. & b. Concilium Meldense non instituit Sacramentum Confirmationis, sed institutum præsupponens docuit conficere Chrisma, & præscripsit ritus observandos in confirmatione. IV. 8. b. Concilium Florentinum quando sit finitum; est magnæ auctoritatis. IV. 14. b. Concilium Nicænum damnavit Photinum. IV. 22 b. Præter Episcopum etiam simplex Sacerdos potest ex dispensatione, vel facultate extraordinaria conferre Sacramentum Confirmationis. IV. 24. a. & *seq.* Id probatur ex Concilio Florentino contra Herminier. *ibid.* Idem ex Tridentino, ac S. Gregorio M. *ibid.* Dogma transubstantiationis antiquius est Concilio Lateranensi. IV. 86. b. Concilium Tridentinum ordinat, ut prima tonsura initiandi prius confirmentur: an hoc sit de consilio vel præcepto? IV. 32. b. & *seq.* Vid. *Constantiensis*.

Concilium Milevitanum demonstrat gratiam ab augustino constitui in inspiratione Sanctæ charitatis. V. 110. b.

Concio. An, & quo pacto possit de prædestinatione Sanctorum haberi Concio? I. 63. b. & *seq.*

An Zenonis Episcopi Veronensis Conciones sint apocryphæ. I. 184. a. Formæ Sacramentorum non sunt promissionis, aut concionis, sed consecrationis. III. 197. b. Vid. *Concionator*. An munus habendi conciones sit actus ordinis? III. 210. a. Cur ad valorem Sacramentorum requiratur intentio, & cur non ad valorem concionis? III. 216. a. Munus habendi concionem non competit lectori. IV. 262. a. An hoc competat Subdiacono? IV. 267. b. An Diacono? IV. 268. a. An Sacerdotium sit solum ob munus concionandi? IV. 272. a.

Concionator an peccet graviter, si in peccato gravi constitutus concionem verbi divini habet? III. 209. b.

Concrematio. Vid. *Crematio*.

Concubina. De pœnis Sacerdotis concubinam alentis. III. 209. b. An & quæ Sacramenta possint peti a Sacerdote concubinario. III. 211. a. Cur uxores secundariæ antiquorum Patrum vocentur in scriptura concubinæ? IV. 332. a.

Concubinarius. Neganda est S. Communio publicis concubinariis. IV. 105. b.

Concubitus cum muliere non fuit peccatum dæmonum. I. 263. a. An generatio hominum in Paradiso esset facta per concubitum carnalem. I. 314. b. *tot. cap.* XI. Vid. *Coitus*.

Concupiscentia quid sit? est pœna peccati Adæ. I. 320. a. An sit peccatum. I. 324. b. Qualiter explicetur a S. Augusti-

no,

no, qualiter a Pelagianis, & Manichæis. I. 325. a & *seq. cap.* I. II. & III. An possit vinci sine gratia. *ibid.* Concupiscentia nostra an sit peccatum originale. II. 11. a. Quid sit *in*, & *cum* peccato. II. 12. a. In peccato originali est pœna peccati, peccatum, & causa peccati. II. 14. a. Seminatrix concupiscentia transfudit peccatum originale in posteros, II. 14. b. Vincitur per gratiam efficacem. II. 40. b. Et causa efficax peccati. II. 82. b. *tot. cap.* IV. & V. Concupiscentia an tollat voluntarium aut liberum. II. 225. a. Est pœna peccati originalis. II. 240. a. An in Christo impotentia peccandi proveniebat a carentia concupiscentiæ? III. 51. b. In baptizatis manet concupiscentia, vel fomes ad peccatum inducens. III. 325. b. Cur in baptizatis remaneat concupiscentia, mortis necessitas, & aliæ miseriæ vitæ. III. 326. a. & b. Aliqui requirunt ad pœnitentiam charitatem Dei initialem, qua diligitur super omnia ita, ut non sufficiat attritio servilis, nec charitas concupiscentiæ, aut spei. IV. 144. a. & b.

Juxta Bajum cupiditas, seu concupiscentia naturalis, quam homo invitus patitur, est peccatum. V. 97. a. cupiditas indeliberata, cui homo libere non consentit, non prohibetur præcepto *non concupisces*. *ibid.* In quo sensu concupiscentia ab Augustiniano, & Tridentino dicatur peccatum? *ibid.* Illa propositio Baji: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*. Varios continet errores. V. 98. a. *ac* 105. a. & *seq.* Bellelli admittit dari in homine concupiscentiam indeliberatam, a peccato immunem. V. 112. b. Nec in præcepto *non concupisces* comprehensam. *ibid.* Quid Norisius scripserit de concupiscentia? V. 132. b. Non est in Bajo damnata eorum opinio, qui tradunt, non posse creaturam rationalem condi a Deo cum perduelli concupiscentia. V. 132. a. *tot.* §. VII. Concupiscentiam esse in se malam, ait Contensonius, Du Hamel, Herminier, Petavius, & Augustiniani. V. 133. a. Appetitus tendens in objectum secundum sensum delectabile non est ipsa concupiscentia, ut putant Pelagiani. *ibid.* a. & *seq.* Quid S. Thomas sentiat de concupiscentia? *ibid.* b. Quid Soto sentiat de concupiscentia? *ibid.* Quid Bellarminus sentiat de concupiscentia? *ibid.* & *seq.* Ex concupiscentia, & morte tanquam effectibus ostenditur contra Pelagianos peccatum originale. V. 134. b. & *seq.* Idem probatur contra Manichæos. V. 135. a Mors, & concupiscentia nequeunt Deum habere Auctorem, sed sunt pœna peccati. V. 135. b.

Berti, & Bellelli doctrina, quod gratia efficax sit reponenda in delectatione victrice, quæ superat minores gradus concupiscentiæ, Catholica est, non Jansenia. VI. 74. a. Idem docuerunt plures Doctores. *ibid.* & *seq.* Solvuntur objectiones Anonymi contra gradus concupiscentiæ, & gratiæ allatæ. VI. 106. b. & *seq.* Affirmatur dari gradus in concupiscentia, & delectatione. VI. 118. a. & b. Bajus docet, pravos concupiscentiæ motus etiam indeliberatos esse peccata. VI. 171. a. Propositio hæc Berti: *Gratia efficax est victrix delectatio, sive charitas, quæ superat contrariam concupiscentiam*, non ex Jansenio, sed S. Augustino est desumpta. VI. 70. a. & b. Idem sentiunt alii Doctores. *ibid.* & *seq.* Omnia peccata proveniunt ex mala concupiscentia, & delectatione. VI. 72. b. Vid. *Gratia*. Quid Quesnellius teneat de concupiscentia, & charitate? VI. 182. b. De libero arbitrio hominis post lapsum docuit Bajus propositiones tredecim, in quibus evertit liberum arbitrium, dicit omnia peccatorum opera esse peccata, si fiunt sine charitate, quia proveniunt ex concupiscentia noxia; ac quomodo Augustiniani istos errores declinent? VI. 170. a. & *seq.*

Concursus simultaneus, quo Deus conservat causas a se productas, non vocatur in dubium. I. 103. b. Concursus Populi in magna festivitate non excusat ab integritate confessionis. IV. 187. a.

Condignus. Meritum *de condigno*. V. *Meritum*.

Conditio. Ad generationem in divinis non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio originis. I. 194. a. Quænam conditiones legis. II. 175. a. & *seq.* Conditionis error in Matrimonio est substantialis. IV. 316. a. & b. Quid sit intelligendum hoc impedimento. IV. 317. a. Olim civili jure conjugia servorum erant nulla. *ibid.* De pœna liberæ nubentis scienter servo. *ibid.* An liberti & libertinæ conditio annullet contractum Matrimonii. *ibid.* Cum his nequibant Senatorum filii, aut filiæ contrahere. *ibid.* Inter Christianos Matrimonia servorum sunt rata, etsi Domini sint inviti. *ibid.* Quid si autem pars libera nesciat conditionem alterius? aut si hac comperta alteram carnaliter cognoscat. *ibid.* a. & b. An proles sit libera nata ex uno parente servo. IV. 317. b.

Conditio. Quando valeat Matrimonium sub conditione contractum. IV. 316. b. & *seq.* Quid si una pars ante purificatam conditionem contrahat cum alia. *ibid.* An Matrimonium sub conditione initum causet impedimentum publicæ honestatis. *ibid.* Quid de conditione turpi, aut impossibili. IV. 317. a. Aut substantiæ Matrimonii repugnante. *ibid.* Quæ conditiones Matrimonii substantiæ repugnent. *ibid.* An integritas creationis debita fuerit creaturæ innocenti, ac conditio naturalis? an vero donum naturæ superadditum beneficentia conditoris? V. 119. n. III. & *seq.*

Conditionatus. Futura conditionata cognoscit Deus. I. 98. b. & *seq.* Conditionata explicantur. *Ibid.* & 114. b. & *seq.* An ea cognoscantur per scientiam mediam? I. 115. b. Usque ad sæculum octavum nunquam fuit audita forma conditionata. III. 202. a. Postea autem fuit adhibita in administratione Sacramentorum, probata, & recepta. *ibid.* b. Licitum est uti forma conditionata, præsertim in Baptismo, & Pœnitentia. *ibid.* Sed quando. *ibid.* De intentione conditionata. Vid. *Intentio*, vel *Causa*.

Condonatio. Reparatio hominis non fuit condonatio, sed actus judicii, & justitiæ. III. 110. a.

Condono. An Deus olim condonarit peccata sine ulla satisfactione? III. 117. a. & b. Quomodo Deus peccata condonet? *ibid.* An Deus peccasset contra justitiam, si sine pœna condonasset peccata nostra? III. 102. b. & *seq.*

Confessarius non potest absolvere eum, qui sequitur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, si hanc opinionem nolit dimittere. II. 259. b.

Sacerdos peccati mortalis sibi conscius, ac celebrare coactus, non habita copia confessarii, tenetur ex præcepto quamprimum confiteri. IV. 109. a.

An teneamur confiteri peccata confessario aliunde jam nota. IV. 183. b. Non potest quis confessionem dividere sua peccata mortalia duobus vel pluribus confitendo, sed nulli omnia. IV. 186. b. An possim uni confiteri peccatum grave, deinde alteri levia. *ibid.* Quo jure teneatur ad sigillum Sacramentale. IV. 188. a. Quæ pœna in fractores sigilli sit lata. *ibid.* An possit hoc violare, si secus ipsi immineret grave damnum. *ibid.* a. & b. An confessarius possit Episcopo revelare impedimenta pœnitentium contrahentium, si ea sciat e confessione, aut irregularitates ad S. Ordines accedentium. *ibid.* An potuerit violare sigillum in confessione publica. *ibid.* An compellatur mentiri, vel pejerare, si interrogetur de crimine sibi e confessione noto. *ibid.* An confessarius nec possit revelare crimina e confessione sibi nota, quæ sunt nociva toti communitati: v. gr. conspirationem, eversionem civitatis. IV. 188. b. An teneatur ad sigillum, si non absolvit pœnitentem. *ibid.* An is teneatur ad sigillum, qui se fingit confessarium. *ibid.* Confessarius audiens confessionem Sacramentalem complicis in peccato turpi contra sextum præceptum incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & invalide absolvit. IV. 193. a. & 196. b. Qualis confessarius possit eligi ab eo, qui habet licentiam ex Indulto Apostolico eligendi, quem voluerit. IV. 195. a. De scientia, & prudentia confessarii. *ibid.* b. Quæ pœnæ statutæ confessario ad turpia in confessione sollicitanti. *ibid.* & *seq.* Quid sit sollicitatio in confessione. IV. 195. b. De illius sagacitate. IV. 196. a. Quibus indiciis possit agnoscere, peccatorem esse indispositum ad absolutionem recipiendam. *ibid.* Quomodo confessarius cum rudibus instituat examen. *ibid.* Quænam caveat in examine. *ibid.* Si audiat peccatum, quod absolvere non potest, non ultra pergat. *ibid.* Confessarius per absolutionem non declarat peccata a Deo jam esse dimissa, sed ipse auctoritate a Deo accepta eadem peccata relaxat. IV. 166. a. & 200. a. & b. & 202. a. & b. Et vere exercet actum judicialem. *ibid.* Erga consuetudinarios, & occasionarios Confessarius non sit nimis facilis, nec nimis difficilis. IV. 204. b. & *seq.* Increpantur confessarii, qui omnes indiscriminatim absolvunt. IV. 204. b. Quando absolutionem neget, quando det, quando differat. IV. 205. a. Si negat, vel differat, inculcet contritionem. *ibid.* In mortis articulo potest nemini etiam perditissimo negare absolutionem, si petat. *ibid.* An ægrotus sit absolvendus, si subito destituatur loquela, ac omni sensu exteriori, si prius petiit confessarium, ac Pœnitentiæ signa dedit. *ibid.* b. Quid si nec ante dederit signum, Christiane tamen vixerit. *ibid.* & *seq.* Quid si vixerit scelerate. IV. 206. a. An & qualiter injungere possit satisfactionem. IV. 212. a. & b. An etiam debeat. IV. 213. b. Cur confessarius non possit sine injuncta satisfactione peccata dimittere, ut fecit Christus. IV. 214. a. Errat confessarius, pro gravissimis peccatis leves injungendo satisfactiones. IV. 215. b. Confessarius sciat antiquos Canones de Pœnitentia. IV. 216. a. Satisfactio est determinanda judicio confessarii. *ibid.* Potest diminuere satisfactionem ob vehementiam contritionis, aut si pœnitens jam ultro aliqua opera bona perfecit, aut si est ægrotus. IV. 216. b. Confessarius in pœnitentia injungenda attendat personarum conditionem, qualitatem, ætatem, sexum, ac deliberationem. *ibid.* Quæ opera pro satisfactione imponat. *ibid.* & *seq.* An ob peccata publica possit publicam satisfactionem imponere. IV. 217. a. Si confessarius peccatori gravi levem imponit pœnitentiam, pœnitens aliam ultro addat. IV. 217. b. An confessarius possit immutare pœnitentiam ab alio injunctam. IV. 218. b. An ad hoc necessaria sit iteratio confessionis. *ibid.* De situ, & habitu confessarii. IV. 227. a.

Confessio Augustana, & Zuvinglius negant in Missa fieri Sacrificium. IV. 113. a. Missas privatas calumniantur Novatores hæretici, easque quæstus causa introductas asserunt Confessionis Augustanæ compilatores. IV. 119. b. Vi Confessionis Augustanæ administratio Sacramentorum ad Sacerdotes, & horum ordinatio ad Episcopos, non autem ad Magistratum sæcularem, & plebem spectat. III. 204. a. Vid. *Pœnitentia*. Quas calumnias protulerint in Cæremonias Confessio Augustana, & Calvinus? III. 252. b. Non ausi sunt Melanchthon, Œcolampadius, & Confessio Augustana cum aliis hæreticis negare, crimen esse, non servare cæremonias. III. 243. b.

Confessio Sacramentalis est præceptum leve. II. 202. b. An Sacerdos in peccato mortali constitutus debeat præmittere celebrationi confessionem, vel an sufficiat contritio? III. 209. b. Si urgente necessitate celebravit in peccato mortali sine prævia confessione, tenetur quamprimum confiteri. *ibid.* An contritio sine voto confessionis tribuat remissionem peccatorum? III. 228. a. Quorum Sacramentorum receptioni præmittenda sit confessio? *ibid.* Qualis confessio spectet ad Sacramentalia. III. 242. a. Ad Martyrium requiritur ex parte Martyris Baptismus, aut votum illius, libera acceptatio mortis, ut sit membrum Ecclesiæ, charitas, contritio, aut confessio de peccato commisso, & ut nullum Sacramentum contemnat. III. 324. a. Adulti sacramentalem confessionem præmittant receptioni confirmationis. IV. 30. a. An habens peccatum mortale ex præcepto teneatur præmittere confessionem, vel an sufficiat contritio? *ibid.* An Regulares in Paschate nequeant communionem dare, aut confessiones audire fidelium? IV. 99. b. An Sacerdos possit negare communionem peccatori occulto, si petat in loco privato, ac Sacerdos peccatum sciat ex sola confessione? IV. 105. b. & *seq.* Communicans non sit sibi conscius peccati mortalis. IV. 109. a. Unde præmittatur confessio necesse est, ita ut non sufficiat contritio. *ibid.* Per confessionem sacrilegam non satisfit præcepto Ecclesiastico de facienda confessione in Paschate. IV. 109. a. & b. Actus pœnitentis contritio, confessio, & satisfactio sunt quasi materia pœnitentiæ. IV. 142. a. Lutherani duas pœnitentiæ partes constituunt, terrorem conscientiæ incussum ex agnitione peccati, & fidem conceptam ex Evangelio, seu absolutione, qua quis credit, sibi remissa esse peccata. *ibid.* Quod ad pœnitentiam salutarem dictæ requirantur tres partes, contritio, confessio, & satisfactio, conveniunt Catholici declarantes illud exemplo filii prodigi, publicani, & Ninivitarum. *ibid.*

Confessio datur triplex, fidei, laudis, & peccatorum. IV. 164. a. Explicantur. *ibid.* a. & b. Cur Symbolum Apostolorum vocetur

cetur confessio. *ibid.* b. Laudis & fidei confessio potest esse sine confessione peccatorum, sed non vicissim. *ibid.* Vocatur etiam Exomologesis. *ibid.* Quomodo differant confessio Sacramentalis, & forensis. *ibid.* Judæi erant adstricti confessioni peccatorum. *ibid.* Item & Ethnici. *ibid.* Quomodo Judæi & Ethnici eam faciant. *ibid.* Soli Hæretici eam rejiciunt ut legem gravissimam, ac tyrannicam. IV. 165. a. Enumerantur hi hæretici. *ibid.* Aliqui eam ab Ecclesia introductam calumniabantur. *ibid.* Lutherani & Calvinistæ rejiciunt auricularem confessionem. *ibid.*

Confessionis necessitas. Confessionem Sacramentalem esse præscriptam præcepto Divino, probatur ex S. Litteris. IV. 165. a. Ex iisdem probatur, eam debere esse auricularem. *ibid.* b. Cur sine confessione peccata non remittat Pœnitentia, sicut facit Baptismus. IV. 166. b. Confessionis auricularis necessitas probatur majorum traditione, & continuo Ecclesiæ usu. *ibid.* Hujus necessitas probatur ipsorum testimonio. IV. 170. a. Propter pudorem non est omittenda peccatorum confessio. IV. 167. b. *& seq.* Non differatur usque ad articulum mortis. IV. 169. b. Sacramentalis confessio commendatur ex miraculis. IV. 170. b. Probatur, hanc jam in usu fuisse ante Innocentium III. IV. 166. b. *& 170. b. & seq.* Quid dicendum de facto Nectarii Episcopi, & Eudæmonis confessionem prohibentium. IV. 170. b. *& seq.* Hanc ante apostasiam concessit Novatianus. IV. 171. b. Deinde vero negavit. IV. 165. a. Cur etiam in Confessionibus publicis confessarius teneatur ad secretum. IV. 172. a. Confessio publica qualiter erat præcepta. *ibid.* An sufficiat confessio soli Deo facta. IV. 166. b. *tot. cap.* I. Solvuntur objectiones contra confessionis Sacramentalis necessitatem allatæ. IV. 170. b. *& seq.* Hujus necessitas probatur ex Gratiano, & Ducibus Scholarum. IV. 174. b. Sententia, quod contritio justificet, non excludit Confessionem. *ibid.* *& 200. a. & b.* Sed eam in voto includit. IV. 176. a. Solvuntur objectiones ex Gratiano, S. Thoma, S. Bonaventura, & Scoto desumptæ. IV. 174. b. *& seq.* Confessio peccatorum est necessaria necessitate medii. IV. 176. a. *& seq.* Christus dimisit peccata sine confessione. IV. 176. b. *& 177. a.* Cur non omnes in necessitate sint Ministri Pœnitentiæ & confessionis, sicut in Baptismo. *ibid.* Cur in lege nova, & non in veteri sit præcepta peccatorum occultorum confessio. *ibid.* Necessaria est ad confessionem Sacramentalem manifestatio omnium peccatorum, sive hæc sit publica, sive privata. IV. 178. b.

Confessio publica aliquando fuit in usu. *ibid.* Hæc aliquando erat præcepta ab Ecclesiarum Pastoribus. IV. 179. a. An fuerit Sacramentalis? *ibid.* Confessio publica non semper est suadenda, minus ad eam obligat lex Divina aut Ecclesiastica. IV. 178. b. *& 179. a. & b.* Probatur confessioni publicæ semper esse præmissam secretam. IV. 179. a. *& b.* Quæ peccata in confessione publica exponebantur? *ibid.* *& 223. a.* An distinguatur ab exomologesi? IV. 179. b. Confessionis generalis de peccatis totius vitæ est consuetudo antiquissima, & laudabilis. IV. 180. a. Quomodo fiat? *ibid.* Confessio per nutus est valida, sed tunc tantum, si non adsit usus linguæ. *ibid.* b. Unde S. Franciscus non probavit Fratris confessionem per nutus amore silentii factam. *ibid.* Quid dicendum de confessione per litteras facta? *ibid.* Qualem absolutionem curatus dare possit ad similem confessionem. IV. 181. b. Exempla contraria loquuntur de absolutione a Censuris, non de Sacramentali. IV. 180. b. *& seq.* confessio significatur per leprosos mundatos, & Lazarum suscitatum. IV. 181. a. In quo sensu utilior sit confessio tempore necessitatis facta laico præsenti, quam Sacerdoti absenti per litteras? *ibid.* Quid dicendum de confessione scripta, quam pœnitens præsens dat confessario exprimens signum doloris? IV. 181. b. Cur valeat Matrimonium inter absentes, & cur non confessio? *ibid.* Quid dicendum de confessione, quam Moniales faciebant Sacerdoti per Superiorissam? IV. 182. b.

Confessionis conditiones, quæ & quot sint. IV. 182. b. Necessaria est confessio omnium mortalium, quorum memoria habetur. IV. 177. b. *& seq. & 182. b. & 183. a. & b.* Peccata venialia sunt materia sufficiens confessionis, ac recte & utiliter in confessione exponuntur. IV. 178. b. *& 183. a.* Sed non sunt materia necessaria. *ibid.* Quæ remedia præter confessionem, quibus delentur venialia? IV. 183. a. An Ecclesia possit præcipere confessionem venialium certis temporibus, v. gr. in Paschate peragendam, si non commisit mortale per totum annum? *ibid.* Religiosis, & Monialibus injungitur confessio saltem in mense semel peragenda. *ibid.* An idem peccatum possit bis confessione expiari, cum secunda vice non tribuat remissionem peccatorum; & quæ utilitas talis repetitionis? IV. 183. b. An exprimenda in confessione ea peccata, quæ confessario jam aliunde sunt nota? *ibid.* An peccata in confessione per oblivionem omissa, sint in alia confessione exponenda? *ibid.* Nequit unum mortale per confessionem remitti sine altero. IV. 178. b. *& 183. b.* Cur hoc fiat in judicio sæculari? IV. 183. b. Quænam circumstantiæ peccatorum exponantur confessione? *ibid.* *& seq.* An illæ, quæ speciem mutant? IV. 184. a. An illæ, quæ peccatum intra eandem speciem aggravant. *ibid.* An talis circumstantia sit consuetudo? IV. 184. b. Quænam sint tales circumstantiæ? *ibid.* An etiam circumstantiæ peccatum imminuentes sint aperiendæ? IV. 185. a. An peccata dubia sint in confessione exponenda? *ibid.* Lutherus in hoc contrarius damnatur a Leone X. *ibid.* An peccatum dubium sit materia sufficiens absolutionis, si aliud non habeatur? IV. 185. b. Cur scrupulosi non permittantur confiteri peccata dubia? *ibid.* An complex in confessione olim potuerit manifestari, ac etiamnum possit? IV. 186. a. Ac quando? *ibid.* Plura habens peccata mortalia nequit aliqua confiteri confessario A. aliqua confessario B. IV. 186. b. An possit quis uni confiteri peccatum grave, deinde alteri venialia? *ibid.* Quænam causæ excusent ab integritate confessionis? *ibid.* *& seq.* Confessio sit libera, & quænam causæ integritatem impediant? IV. 187. a. Quæ dissuadeant confessionis dilationem? *ibid.* Confessioni præmittendum est examen, & quomodo? *ibid.* a. *& b.* Confessio sit verax. IV. 187. b. Quale sit peccatum mentiri in confessionali. *ibid.* In confessione pœnitens se non excuset, nec alios accuset. *ibid.* *& seq.* Confessio debet esse secreta. IV. 188. a. Vid. *Sigillum*. Datur causa excusans ab integritate confessionis, sed non datur causa excusans a sigillo, etsi æqualiter obligent integritas & sigillum Jure Divino. *ibid.* a. *& b.* Confessio sit conjuncta cum spe veniæ. IV. 189. a. Ex hujus defectu confessio Judæ proditoris fuit infructuosa. *ibid.* An possit dari confessio valida, & informis. IV. 189. b. Quid sit confessio cum fictione suscepta. *ibid.* An ad confessionem sufficiat attritio formidolosa. *ibid.* An sufficiat ad confessionem validam & fructuosam, ut quis confiteatur peccata memoriæ occurrentia, ac de iis tantum conteratur, si plura commisit. *ibid.* Est quasi materia Pœnitentiæ. *ibid.* *& seq.*

Confessionis Minister. Lutherus dixit omnes habere potestatem absolvendi, qui gerunt munus Pastoris, etsi hoc faceret diabolus in specie humana. IV. 190. b. Refutatur. *ibid.* *& seq.* Calvinus exceptis fœminis & laicis eam omnibus tribuit. IV. 190. b. Waldenses eam tribuunt omnibus fidelibus pie viventibus, & denegant eam Sacerdotibus improbis. *ibid.* Quomodo hi hæretici explicent illud: *Quæcumque solveritis* &c. *ibid.* Flagellantes unde sic dicti. *ibid.* Perierunt absolutionem a laicis. *ibid.* An Diaconi in absentia Sacerdotis absolvere potuerint urgente necessitate. *ibid.* *& 191. b.* An unus possit simul a pluribus absolvi. IV. 190. b. *& 192. b.* Episcopi, & Sacerdotes tantum sunt Ministri Sacramenti Pœnitentiæ. IV. 165. b. *& 190. b. & seq.* Confessio olim Diacono facta in absentia Sacerdotis tempore mortis non fuit Sacramentalis. IV. 190. b. *& 191. b.* Plures in mortis articulo absente Sacerdote confessionem deposuerunt apud laicos, sed non erat necessaria ad salutem, nec Sacramentalis. IV. 192. a. An nec utilis. *ibid.* Quomodo intelligendum illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. IV. 192. b. Sacerdos, ut sit Minister legitimus extra mortis articulum debet habere jurisdictionem, & approbationem ab Episcopo. IV. 193. b. Sacerdos in ordinatione accipit potestatem absolvendi, per jurisdictionem autem, & approbationem acquirit subditos, in quos exercere possit potestatem. *ibid.* An Sacerdos sine ista approbatione & jurisdictione nec veniale peccatum dimittere possit. *ibid.* Regulares fiunt ministri respectu suorum confratrum per approbationem suorum Superiorum. *ibid.* Ut possint excipere confessiones secularium, debet accedere approbatio Episcopi illius Diœcesis, in qua volunt confessiones excipere. *ibid.* Quid insuper in Regulari requiratur, ut possit excipere confessiones Monialium. IV. 194. a. An Parochus possit audire confessiones in alia Parochia, anque is amissa Parochia amittat jurisdictionem. *ibid.* Etiam Regulares subire tenentur examen Episcopi, si hujus idoneum videatur pro danda approbatione. *ibid.* An is, qui injuste in examine est reprobatus, possit excipere confessiones. *ibid.* Episcopus potest facultatem audiendi confessiones sæcularium, aut etiam Monialium Regularibus coarctare, revocare, aut suspendere. *ibid.* An hoc etiam procedat de Monialium confessione jurisdictioni Regularium subjectarum. IV. 193. b. *& seq.* An examen subire etiam debeat is, qui in aliqua Academia est laurea decoratus, vel Doctoris munere fungitur. IV. 194. a. Confessarius audiens confessionem complicis in peccato turpi quas pœnas incurrat. IV. 195. a. *& 196. b.* Quæ pœnæ sint latæ in confessarium sollicitantem ad turpia in confessione. IV. 195. b. Quot modis sollicitatio possit fieri in confessione. *ibid.* Confessarius audiens peccatum sibi reservatum desistat ab ulteriori auditione. IV. 196. a.

Confessionis tempus. An quis post lapsum in peccatum grave illico teneatur ad confessionem. IV. 196. b. Et in quibus casibus. *ibid.* Cur teneamur ad confessionem semel in anno peragendam. IV. 197. b. Præcepto annuo confessionis satisfacit, qui confitetur Regulari, & non Parocho suo. *ibid.* Quisnam in Decreto Conc. Lateran. intelligatur nomine, *Proprii Sacerdotis*. IV. 198. a. Per confessionem sacrilegam non satisfit præcepto confessionis annuæ. IV. 199. a. Veteres dabant operam, ne confessio certis temporibus intermitteretur. *ibid.* a. *& b.* Eadem jam fuit præmissa Communioni in prima Ecclesia. IV. 199. b. Medicus tenetur monere ægrotum ad confessionem. *ibid.* Frequens confessio suadetur. *ibid.* Item & generalis semel in vita. IV. 200. a. Quid dicendum de confessione, & absolutione puerorum. IV. 203. b. An actus Pœnitentis sint materia essentialis confessionis Sacramentalis. IV. 206. a. Cur absolutioni necessario præmittatur contritio, & confessio; & cur non satisfactio. IV. 210. a. An confessio debeat repeti, si confessarius velit immutare pœnitentiam ab alio injunctam. IV. 218. b. Quænam crimina publica confessione non puniebantur. IV. 223. a. An etiam Clerici delinquentes debuerunt facere confessionem publicam. *ibid.* Confessiones laicorum, maxime mulierum fiant in patenti loco. IV. 227. a. Non autem in Sacristia. *ibid.* Qualiter instructum sit confessionale. *ibid.* An ortum solis, aut post hujus occasum non audiantur confessiones mulierum. *ibid.* De situ, & habitu confessarii. *ibid.* Ac Pœnitentis. *ibid.* Confessionis consummativam est Extrema Unctio. IV. 228. a. An is, qui potest deponere confessionem, teneatur jure Divino suscipere Extremam Unctionem. IV. 248. a.

Confessionale qualiter sit instructum. IV. 227. a.

Confessor. Quinam sint Martyres, & quinam confessores? III. 322. b. *& seq.*

Confidentia. Baptismus dicitur sigillum fidei ob invocationem SS. Trinitatis, & professionem Incarnationis Dominicæ, non vero ob singularem confidentiam Hæreticorum. III. 251. a.

Confirmatio probatur, quod sit Sacramentum. III. 184. b. Quomodo hoc Sacramentum sit necessarium? III. 191. b. Eandem Melanchthon vocat otiosam ceremoniam. III. 194. a. Majorem blasphemiam ei infert Calvinus. *ibid.* Vitcleffus dicit eam a diabolo introductam. *ibid.* Meldense Concilium de confectione Chrismatis egit, non autem confirmationem instituit. III. 192. a. Volunt hæretici confirmationem nec mediate institutam a Christo. III. 194. a. An S. Bonaventura putarit confirmationem esse institutam post mortem Apostolorum in Concilio Meldensi; Pœnitentiam autem ab Apostolis? III. 192. a. An in confirmatione Ecclesia mutarit materiam, impositioni manuum substituendo inunctionem Chrismatis? III. 196. b. *& seq.* Confirmationi præmittatur confessio. III. 228. a. Confirmatio imprimit characterem. III. 238.

Decipitur quisquis ait, Berti existimare, aliqua præcepta esse justis impossibilia. VI. 115. b. *tot.* §. III. Imo non justis tantum, sed etiam cuilibet fideli, ac impio præcepta esse possibilia, docet. *ibidem.* Vid. *Catholicus*, vel *Christianus*.

Fides. Huic non repugnat Theologia Scholastica, nec tollit illius meritum. I. 6. b. In rebus de fide credendis conveniunt Theologi. I. 7. a. Quomodo articulus fidei differat a dogmate catholico? I. 10. b. Fidei propositiones referuntur ad septem gradus. *ibid. & seq.* Prædestinatio non fit ob præscientiam fidei. I. 139. a.

Recensentur tres fidei formulæ Sirmienses Arianorum, & an subscripserit aliquam Liberius Papa? I. 228. a. *& seq.* Non est de fide, Angelos esse creatos ante cælum & terram. I. 247. b. *& seq.* Nec, eos esse creatos in cælo empyreo. I. 248. a. *& seq.* Non est de fide, ignem infernalem esse materialem. I. 266. b. *& seq.* Vid. *Religio*, vel *Articulus*.

An fides, & votum a parentibus habitum prosit infantibus. II. 20. b. An initium fidei sit ex nobis. II. 27. b. *& seq. & 56. a. ac 59. a.* Christi gratia ad initium fidei necessaria est. II. 67. a. *tot. cap.* IV. In quo sensu fides sit primus effectus gratiæ. II. 68. b. An Semipelagiani non admiserint ullam gratiam necessariam ad initium fidei. *ibid. tot. cap.* V. & 95. b. Quæstiones circa dogmata fidei dicuntur quæstiones Juris, II. 100. a. In his non potest errare Papa, vel Ecclesia. *ibid. & seq. tot. cap.* V. & VI. An opera in se bona infidelium sint peccata ob defectum fidei. II. 116. b. *& seq.* An infideli ad non peccandum sit necessaria fides habitualis. II. 117. b. *& seq.* Non est de fide, quod omnes actu recipiant gratiam sufficientem omnibus præparatam. II. 132. a. *& seq.* Contra Calvinum, & Lutherum asseritur necessitas dispositionis faciendæ ab adultis ad fidem suscipiendam. II. 158. b. *& seq.* Fides est prima dispositio ad justificationem. II. 159. a. Quæ cum timore & spe debet esse conjuncta. *ibid.* Non sola fides justificat. II. 159. b. *tot. cap.* V. & VI. Qualis fides sit initium justificationis nostræ. II. 160. b. Ad fidem necessaria sunt bona opera. II. 158. b. & 162. a. *tot. cap.* IV. V. & VI. Quid sit certitudo fidei. II. 171. b. An homo sine speciali revelatione possit habere certitudinem fidei, quod sit in gratia sanctificante. *ibid. & seq.* Quinam habuerint per revelationem istam certitudinem fidei. *ibid. & seq.*

Vid. *Theologicus*. Non sola fides justificat. II. 202. a. Quanti facienda sine dilectione? II. 230. a. Quomodo distinguatur a scientia, & opinione probabili? II. 247. a. & 289. b. *& seq.* Vera fides non inventur inter Gentes, & Idololatras. II. 268. a. *tot. cap.* I. Nec apud Turcas, aut Mahumetanos. II. 271. b. *tot. cap.* II. In fide catholica posse obtineri salutem æternam, concedit Mahumet. II. 272. b. Hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* Factæ a Mahumetanis contra fidem veram objectiones solvuntur. *ibid. & seq.* Fides Christiana est evidenter vera. II. 273. a. *tot. cap.* III. Fides Catholica probatur ex Vaticiniis Vet. Testamenti, postea in Christo completis. *ibid.* b. Et hæc vaticinia sunt vera, antiqua, Divina, nec a Christianis conficta. *ibid.* Veritas veræ fidei commonstratur ex Historia Evangelica. *ibid.* Ex miraculis Christi. *ibid. & seq.* Ex modo promulgationis Evangelii. II. 274. a. Et aliis rationibus. *ibid.* Necessaria est fides explicita in Christum. II. 275. a. *& seq.* Veræ fidei veritates fundamentales non inveniuntur apud Hæreticos. II. 277. b. Quinam actus fidei interni, & externi? *ibid.* Fidei Catholicæ Symbolum tanquam Apostolicum est recipiendum. II. 278. b. *tot. cap.* VI. Vid. *Symbolum*. Unde nomen *fidei* ortum habeat? II. 289. a. Cur dicatur *Substantia rerum sperandarum*? *ibid.* Quomodo ea, quæ evidenter scimus, possint esse objectum fidei? *ibid.* b. An assensus fidei sit liber, supernaturalis, ac discursivus? *ibid.* An in rebus fidei detur evidentia Divini testimonii, & revelationis, & evidentia objecti, seu rei revelatæ? II. 290. a. Objectum materiale fidei est omnis veritas a Deo revelata. *ibid.* Quodnam sit objectum necessarium, & per se, ac quodnam accidentale fidei. *ibid.* An objecta fidei successu temporis creverint, aut mutata fuerint? *ibid.* An objectum formale fidei sit veracitas Dei, aut revelatio Divina? II. 290. b. Quid fides actualis, & habitualis? *ibid.* An hæc fides habitualis sit in pueris, ac dormientibus? *ibid.* Hæc nullo peccato nisi infidelitatis, & hæresis deletur. *ibid. ac* 312. a. & b. Quid fides informis, & formata: quid infusa? quid acquisita? quid viva, quid mortua? II. 290. b. Manichæi, Abaelardus, Socinus fidei fundamentum, & resolutionem ponunt in humana ratiocinatione. II. 291. a. Refutantur. *ibid. & seq.* Quæ sit regula, & norma fidei? II. 290. b. *& seq. tot. cap.* II. & III. Sola scriptura ad dirimendas controversias fidei neglecta auctoritate Ecclesiæ nequit esse regula sufficiens. II. 292. a. *& seq.* Privatus spiritus non potest judicium idoneum ferre de dogmatibus fidei. II. 294. a. *& seq. tot. cap.* III. & IV. Etiam traditiones sunt regula fidei. II. 298. a. *& seq.* An is salutem consequatur, qui ex ignorantia inculpabili non profitetur explicite Verbi Divini Incarnationem, aut individuam Trinitatem, si hanc fidem habeat in animi præparatione? II. 306. a. Fidelis aliunde a natura capax hæc mysteria ignorans nec gratia Sacramentorum, nec gloria ob culpabilem ignorantiam donari meretur. *ibidem.* Idem vi Juris Ecclesiastici tenetur memoriter scire Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam. *ibidem.* In adultis necessaria est fides interna. *ibid.* Quoties requiratur repetitio interna fidei? *ibid.* In veteri testamento necessaria erat fides Mediatoris, sed non *explicita* in ejus Divinitatem, ac individuæ Trinitatis Mysterium. *ibid. & seq.* Quomodo intelligendum illud: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ leges sunt, faciunt?* II. 306. b. In novo testamento necessaria est fides explicita Incarnationis, ac Trinitatis. *ibid.* Tam ad salutem, quam ad justificationem obtinendam. *ibid. & seq.* An non sufficiat ad salutem fides in Deum remuneratorem? II. 307. a. An fides explicita sit necessaria Gentili, Pagano, cui Evangelium non est annuntiatum? an puero in sylvis enutrito? an muto, ac surdo? *ibid.* b. An non sufficiat fides in voto, sicut sufficit Baptismus? *ibid.* An observans legem naturalem cum ignorantia invincibili fidei salutem consequatur? *ibid.* An & quomodo infantes post Baptismum habeant fidem necessariam, si moriantur ante usum rationis? *ibid.* An sufficiat ad salutem dilectio Dei super omnia sine fide explicita? *ibid. & seq.* Qui ignorat Mysteria Trinitatis, & Incarnationis est incapax absolutionis. *ibid.* Nunquam licitum est negare fidem. II. 308. a. *& seq.* Non est licitum tyranno interroganti fidem occultare. *ibid.* Non est licitum, usurpatione rituum, ciborum, vestium, ac nominum, quæ sunt signum superstitiosi cultus, fidem callide simulare. *ibid.* b. An in persecutione fidei licitum sit Christiano, vel Episcopo fugere? II. 309. *& seq.* An fides distinguatur a gratia sanctificante, & charitate? II. 312. a. & 290. b. Quomodo sine dilectione fides sit mortua? II. 312. a. An charitate extincta extinguatur & fides. *ibid.* An S. Thomas nolens credere resurrectionem prorsus amiserit fidem. II. 312. *& seq.* Per quam incredulitatem fides amittatur. *ibid.* In Judæis, infidelibus, hæreticis est fides materialis. II. 313. a. Sed non formalis, ac supernaturalis. *ibid.* Unde proveniat hæreticorum in fide variatio, ac inconstantia. *ibid.* Nequit fides esse vera ac firma sine Ecclesiæ fundamento, aut revelatione speciali, aut virtute miraculorum, aut sine ullo hominum ministerio. *ibid.* An negato uno articulo tota fides amittatur. *ibid.* b. An fides maneat in animabus beatorum, ac damnatorum. II. 313. b. Quomodo intelligendum illud: *Et dæmones credunt*. *ibid.* Qualis distinctio inter fidem dæmonum, & hominum. *ibid.* Quomodo spes distinguatur a fide, & charitate. II. 314. a. An fides & spes maneat in animabus purgatorii. *ibid.* b. In Symbolo, & Oratione Dominica exercetur fides. II. 314. a. & 318. b. *& seq.*

Quibus argumentis Gentiles ad Christianam fidem sint pertrahendi? III. 22. a. *tot. cap.* X. Probatur diversimode, quod fides Catholica sit vera. *ibid.* An hanc receperit Pilatus? III. 23. b. Solvuntur Gentilium objectiones contra fidem Catholicam. III. 24. b. *tot. cap.* XI. An fides fuerit in Christo? III. 51. a. Nil contrarium fidei Incarnationis docuit S. Cyrillus. III. 59. b. *& seq.* Quid dicendum de professione fidei Zenonis? III. 92. b. *& seq.* An Christus dicatur Salvator, quia per resurrectionem suam nos in fide confortavit? III. 113. b. *& seq.* Ut Passio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona opera. III. 117. a. & b. Resurrectio Christi fuit necessaria ad fidei confirmationem. III. 119. b. An Christus, an Petrus, an fides vocetur *Petra*? III. 154. a.

Quænam novitas repugnet fidei? III. 169. b. An in statu naturæ post lapsum Adæ fuerint Sacramenta, vel sufficiens fuerit sola fides, quocunque signo manifestata? III. 173. b. An in hoc statu naturæ parvulos salvos reddiderit fides parentum? *ibid.* Circumcisio erat signum protestativum fidei. III. 178. a. Probatur ex S. Augustino, & aliis, quod circumcisio accedente fide deleverit peccatum originale, ac fuerit verum Sacramentum. *ibid. usque ad cap.* V. An fides exterius manifestata fuerit remedium pro fœmellis, & parvulis ante circumcisionem decedentibus? III. 183. b. An Abraham per fidem, vel circumcisionem fuerit liberatus a peccato originali? *ibid.* Non sola fides justificat, sed necessaria sunt Sacramenta aliqua ad salutem. III. 191. a. An sit de fide post definitionem Tridentini omnia Sacramenta esse immediate instituta a Christo? III. 192. a. & 193. b. Aliqui hæretici putant, in collatione Sacramentorum verba non proferri per modum formæ, sed per modum concionis ad excitandam fidem. III. 196. a. Ex illo hæreticorum: *Sola fides justificat*; plurimi errores ortum trahunt. III. 197. b. Formæ Sacramentorum non tantum excitant ad fidem, & Christi gratiam promittunt, sed etiam immutant materiam, & sanctitatem efficiunt. *ibid. & seq. ac* 228. a. *& seq.* Et sic non sola fides justificat, ut volunt Calvinus, & reliqui Hæretici. *ibid.* Parvuli non nanciscuntur usum rationis, quando baptizantur, ut possint habere fidem. III. 198. b. & 227. a. Hæretici, ut Calvinus, Lutherus, Kemnitius &c. negant, requiri in Ministro intentionem, quia Sacramentorum virtus non dependet ab intentione Ministri, sed a fide suscipientium, quæ sola justificat. III. 211. b. *& seq.* Refutantur. III. 212. a. Non requiritur in Ministro administrante Sacramenta fides, ut credat actionem, quam peragit, esse sacram; minus ut credat, ea actione infundi gratiam; sed ut velit facere, quod facit Ecclesia. III. 213. a. & 225. a. Unde valet Baptismus a Pagano, Pelagiano, Ariano, Sociniano, Calvino, & Luthero collatus, licet negent, vel ignorent virtutem Sacramenti. III. 213. a. & b. *& seq. usque ad cap.* XVII. Dummodo serio animo agant, non irrisorio modo. *ibid.* Fides requiritur in adultis ut dispositio ad justificationem. III. 228. b. *& seq.* & 233. a. Non autem ut causa formalis gratiæ, unde in parvulis eadem non requiritur. *ibid.* Hæreticorum objectiones præcipue Melanchthonis, Calvini & Vossii, volentium solam fidem justificare, coercentur. III. 229. a. & b. Sacramenta vet. legis per accidens mediante fide in Messiam venturum conferebant gratiam. III. 230. a. & b. Citra fidei periculum negari potest, characterem Sacramentalem esse rem distinctam ab anima. III. 239. b. Socinus docuit, per Baptismum nil aliud intelligi, quam prædicationem,

tionem, ita ut Joannis Baptismus nil aliud fuerit, quam ejus prædicatio. III. 250. a. Docuit insuper, Baptismum esse publicam protestationem fidei, non tamen esse simpliciter necessarium. *ibid.* Refutatur. *ibid. & seq.* Baptismus dicitur sigillum fidei ob invocationem SS. Trinitatis, & professionem Incarnationis Dominicæ, non vero ob singularem confidentiam hæreticorum. III. 251. a. Christi Baptismus valet ad ablutionem culpæ: Baptisma Joannis conferebat solum munditiam legalem, remissionem vero peccatorum, nonnisi ratione pœnitentiæ, & fidei suscipientium. III. 253. b. *& seq.* Ex quo S. Cyprianus Decreto S. Stephani obluctatus sit, nequit inde labefactari Papæ in rebus fidei & morum irreformabile judicium. III. 296. a. Controversia S. Stephanum inter & S. Cyprianum agitata tempore S. Cypriani non pertinebat ad fidem, sed ad disciplinam. III. 296. b. Decretum S. Stephani non fuit solemne, & ex cathedra, dato etiam, quod materia anabaptismi fuerit tunc jam materia fidei. III. 297. b. Baptismus sine fide subsistit. III. 304. a. Martyrium inferens debet esse persecutor, nam illicitum est se ipsum occidere pro fide. III. 323. a. Non requiritur fides, aut consensus infantium ad Baptismum. III. 307. a. & b. *& seq.* Parvulis prodest fides levantium, nequeunt tamen cum matre ante partum baptizari. III. 308. a. In adulto ad Baptismum requiritur fides, spes, timor, pœnitentia, & charitas inchoata. III. 316. b. Adulti sine fide interna, & cum peccati mortalis affectu suscipientes Baptismum recipiunt characterem, sed non gratiam: gratiam percipient, si deposito affectu peccati pœnitentiam egerint. III. 317. b. Causa motiva Martyrii est fides, sive alia virtus. III. 323. b. An ad Martyrium requiratur, ut etiam in persecutore sit voluntas occidendi ob fidem Catholicam? III. 324. a. Hæretici & Schismatici Martyrio non possunt coronari, etsi mortem subeant ob aliquam virtutem, aut veritatem fidei. III. 324. b.

An sit de fide, quod ad confessionem chrismatis requiratur balsamum? IV. 16. a. An fidei dogma sit, unctionem chrismatis pertinere ad confirmationis essentiam? IV. 14. a. Quod Episcopus sit minister ordinarius confirmationis, salva fide negari non potest. IV. 21. b. Idem de Sacerdote simplici teneri nequit. *ibid.* Est præceptum suscipiendi confirmationem, sed non respectu omnium, sed eorum, qui coram tyranno debent profiteri fidem, aut qui graves contra fidem patiuntur tentationes. IV. 31. a. & b. An Græci vel Latini omnium primi in Bulgaria fidem disseminarint? IV. 25. b. *& seq.* Nicolaus I. jussit de novo confirmari Bulgaros consignatos a Græcis per Photium missis. *ibid.* In confirmatione datur Spiritus S., ut fideles fortiter confiteantur fidem? IV. 34. a. Etiam aqua vino permixta convertitur in Christi sanguinem. IV. 63. a. & b. An hoc sit de fide certum? *ibid.* Calvinus putat verba consecrationis esse proferenda *historice*, *recitative*, ac *narrative*, solum ut excitetur fides. IV. 65. a. Calvinus docuit, Corpus Christi in Eucharistia fieri præsens sola manducantium fide. IV. 71. a. & b. Per verba *panis vitæ* in cap. 6. Joannis intelligitur Eucharistiæ Sacramentum continens Corpus & sanguinem Christi, & non fides. IV. 76. b. Lutherani duas pœnitentiæ partes constituunt, terrorem conscientiæ incussum ex agnitione peccati, & fidem concepram ex Evangelio, seu absolutione, qua quis credit, sibi remissa esse peccata. IV. 142. a. Terror incussus ex agnitione peccati nequit esse pars pœnitentiæ. *ibid.* a. & b. Nec fides modo a Lutheranis explicato. IV. 142. b. An detestationem peccati præcedat fides, spes, & aliqua charitas? *ibid.*

Quid sit confessio fidei? IV. 164. b. Confessio fidei, & laudis potest esse sine confessione peccatorum, sed non vicissim. *ibid.* Quomodo hæc peccata dimittat? IV. 176. b. & 177. b. Qui laborat vincibili ignorantia Mysteriorum fidei, est incapax absolutionis. IV. 204. a. An habitus fidei amittatur per peccatum? IV. 225. a. Et quomodo per pœnitentiam restituatur? *ibid.* Cur forma extremæ unctionis dicatur *oratio fidei*? IV. 231. a. & 241. a. & b. Fidem Christianam confirmat continuata Episcoporum successio. IV. 278. a. An Princeps teneatur ad matrimonium, si secus fides pateretur detrimentum? IV. 303. b. Ob apostasiam a fide potest fieri divortium. IV. 336. b.

In sensu Baji actus fidei ante charitatem sanctificantem elicitus est peccatum. V. 83. b. *tot. cap.* I. II. & III. Reprobatur ostendendo, quod actus fidei ante justificationem elicitus non sit peccatum, sed tantum opus non meritorium vitæ æternæ. V. 92. a. *& seq. tot. cap.* I. Gratia Spiritus S. movens ad actus fidei non justificat peccatorem, sed ad justificationem disponit. V. 87. a. *& seq. tot. cap.* I. Quesnellius idem cum Bajo docuit, eodemque modo impugnatur. V. 90. a. *& seq.* Inter justum, & peccatorem non datur medium, bene vero inter cupiditatem habitualem, & charitatem habitualem mediant actus fidei, spei &c. V. 103. b. Juxta Bajum nec Adamus supernaturalibus habitibus fidei, spei, & charitatis donatus fuit, nec egebat gratia supernaturali ad servandam legem, & consequendam beatitudinem. V. 135. b. *Coroll.* I. Contrarium docent Augustiniani. *ibid. Coroll.* II. *ac* 132. a. *tot.* §. VII. Baji propositio 28. & 29. damnata nullum opus bonum admittit sine fide perfecta, & gratia sanctificante. V. 161. b. *& seq.* Expositio Augustinianorum textus: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*: non convenit cum dogmate Baji. V. 161. b. & 172. a. S. Augustinus eum explicat de fide Christiana. V. 162. a. & 172. a. Idem faciunt & alii Doctores. *ibid.* Textus ille nequit intelligi de fide Divina. V. 172. b. Opera Infidelium, quæ fiunt sine fide imperfecta, ac gratia actuali, perraro evadunt peccati maculam. V. 168. b. Qualiter fides sine charitate sit bona? V. 169. b. Solvuntur objectiones Anonymi contra necessitatem gratiæ ad actum charitatis Dei prætensam. V. 171. a. Contra sententiam de operibus Infidelium. V. 171. b. Contra liberum arbitrium. V. 173. a. Contra actus fidei, spei, & timoris sine charitate elicitos. V. 174. a. Contra expositionem textus: *Sive manducatis, sive bibitis &c.* V. 174. b. Contra præceptum referendi omnia opera in Deum. *ibid. & seq.* Berti non explicat in sensu Baji textum illum: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. V. 178. a. & b. Quid Berti doceat de timore, spe, & fide a charitate separatis? an faveat Bajo? V. 178. b. *& seq.* & 182. a. An Bellelli Bajum sit secutus explicando textum, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*? V. 185. a. §. IV. Bellelli contra Bajum admittit fidem spem, timorem sine charitate esse actus in substantia bonos. V. 185. b. & 188. b.

Catholici Doctores omnes conveniunt, quod omnibus omnino hominibus gratia sufficiens sit præparata: dissident vero in hoc, an omnibus hominibus dentur, & applicentur actu remedia sufficientia? VI. 93. a. Prius est dogma fidei, alterum placitum Scholarum. VI. 94. a. Semipelagianos probabiliter admisisse gratiam internam ad initium fidei, dici potest sine timore censuræ. VI. 109. b. *& seq.* An Bellelli dicat, primam gratiam esse fidem? VI. 160. a. Examinantur, & oppugnantur propositiones Quesnellii agentes de fide. VI. 179. a.

Fidei Professio. Vide *Languetius*. *Berti*.

Fiducia non est prima dispositio ad fidem. II. 139. a.

Spes Christiana convertitur ab hæreticis in superbam fiduciam. II. 277. b. Non potest in hæreticis esse vera fiducia. II. 314. b. Quid in oratione promoveat fiduciam. II. 317. b. Vid. *Spes*.

Figura. Vet. Legis figuræ non erant Sacramentum, tales erant serpens æneus, virga Moysis, arca fœderis, transitus maris rubri. III. 172. b. Baptismi typus fuerunt diluvium Noe, & mare rubrum. III. 250. a.

Filiatio. Est proprietas notionalis. I. 214. b. An distinguatur a spiratione. I. 236. b.

Quot in Christo dentur filiationes? III. 86. a. & b. Quid requiratur ad filiationem? III. 88. a.

Filius. Quare Filius Divinus non generet. I. 186. b. Vid. *Verbum*, vel *Christus*. Deo Patri est Filius ab eo genitus, id est, non adoptione & gratia, sed generatione, ac natura. I. 191. a. *per tot. cap.* IX. Ubi etiam ejus Divinitas probatur. *ibid.* Christus est Filius Unigenitus. I. 192. a. *& seq.* Cur dicatur Primogenitus? *ibid.* b. Objectiones Wolzogenii circa generationem Filii solvuntur. I. 193. b. *per tot. cap.* X. Deus Pater non alium Deum, sed Filium genuit. I. 193. b. An Filius Divinus possit dici genitus ex essentia Patris. *ibid.* Est æque æternus non obstante generatione, ac est Pater. I. 194. a. Ad hujus generationem non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio originis. *ibid.* An Deus Pater adhuc generet filium. *ibid.* An Deus Pater generet necessitate, & voluntate. *ibid. & seq.* An Filius possit dici genitus ex Patris consilio. I. 194. b. An Filii intellectus sit etiam intellectus Patris. *ibid.* Filius Divinus est summus Deus, sicut Pater, eidemque in omnibus æqualis, ac consubstantialis. I. 194. b. *per tot. cap.* XI. Solvuntur circa hoc objectiones. I. 197. a. *per tot. cap.* XII. Quomodo intelligenda verba Filii divini: *Pater major me est*: ubi etiam plures similes textus explicantur. I. 197. b. Nicena synodus jure utebatur vocabulo ὁμοούσιον. I. 200. a. Filius divinus non est Pater Spiritus Sancti. I. 204. b. Spiritus S. per obumbrationem Virginis non est factus Pater Filii Divini. I. 205. a. Spiritus S. a Patre & Filio procedit. I. 207. b. *per tot. cap.* XVII. Ostenditur, quod Filius Dei in scriptura significetur per vocabulum *Verbum*. I. 188. b. Objectiones negantes Processionem Spiritus S. a Patre & Filio solvuntur. I. 209. a. *per tot. cap.* XVIII. Merito fuit Symbolo contra Græcos Schismaticos adjecta particula *Filioque*. I. 210. b. Quando hæc vox sit Symbolo adjecta. I. 212. a. Quo sensu Filius, & Spiritus S. dicantur missi. I. 212. a. *per tot. cap.* XX. Pater nec a Filio, nec a Spiritu S. mittitur. *ibid.* b. Quomodo Filius sit missus a Spiritu S. *ibid.* Spiritus S. est missus a Patre & Filio. *ibid.* Quæ nomina propria Filio. *ibid. & seq.* Quæ minus propria? *ibid.* & 214. b. Patri, & Filio convenit esse principium Spiritus S. *ibid.* S. Ignatius Martyr suis in Epistolis Filii Divinitatem asseruit. I. 216. a. *tot. cap.* I. De quibus Epistolis sit quæstio. *ibid.* Probatur, has Epistolas esse partum genuinum S. Ignatii. *ibid. & seq.* Divinitatem Filii propugnavit S. Justinus. I. 218. a. *& seq.* Similiter fecit S. Irenæus. I. 219. b. *& seq.* Tertullianus probabilius Filio Divinitatem adjudicat. I. 225. a. Eandem propugnarunt S. Cyprianus, Lactantius, & Arnobius. I. 226. a. Quid dicendum de Eusebio Pamphilo. *ibid. & seq.* An & quomodo Filius habeat potentiam productivam. I. 233. b. *& seq.* Quale habeat Principium. I. 233. a. *& seq.* & 235. b. An Filius & Spiritus S. essent duæ personæ distinctæ, si Spiritus S. a solo Patre procederet. I. 236. b. *& seq.* An filiorum generatio in Paradiso esset facta per complexum carnalem. I. 314. b. *tot. cap.* XI. An eadem generatio in Paradiso esset facta cum iisdem circumstantiis, ut modo contingit. *ibid.*

Etiam filii baptizatorum contrahunt originale peccatum. II. 10. a. *tot cap.* IV. Quot modis nomen *Filii* Scriptura sumat. II. 11. b. An filii contrahant peccata parentum. II. 17. a. An filii decedentes sine Baptismo sint salvandi, si parentes loco eorum habuerunt votum suscipiendi illum. II. 20. b. & 26. a. Vid. *Parvulus*.

Quomodo filii Adæ potuerint inire matrimonium cum propriis germanis sororibus? II. 180. a. & b. Ariani negantes Filium Dei esse Patri consubstantialem condemnati sunt in Synodo Nicæna. II. 299. a. In proximorum ordine respectu filiorum sunt parentes primi. II. 323. b. Et vicissim. *ibid.* Deus autem in dilectione & parentibus, & filiis præferendus est. *ibid.* Præter parentes, & filios diligenda est uxor. II. 323. b.

Quomodo intelligendum illud: *Filius hominis, qui est in cælo*? III. 56. a. An etiam Pater, & Spiritus S. eandem potuissent assumere carnem, ut fecit Filius, & tamen unus dici homo. III. 77. a. Cur filius, & non alia persona naturam induerit nostram? III. 77. b. Per communicationem idiomatum bene dicitur Filius Dei est crucifixus, Filius hominis descendit de cælo. III. 78. a. & b. An Christus possit dici Filius Dei adoptivus? III. 81. b. *& seq.* Saltem secundum humanitatem? III. 83. a. & b. Quis sit filius adoptivus? III. 84. a. An Christus sit Filius Dei naturalis? *ibid.* a. & b. In quo sensu Christus dicatur prædestinatus Dei Filius? III. 86. b. *& seq.* Cur Christus dicatur natus de Spiritu S. & cur non Filius illius? III. 88. a. Quid requiratur, ut quis dicatur Filius alterius? *ibid.* Christus jam ante mortem declaratus est a Patre Filius Dei. III. 117. a.

Filius. An Zaleucus Locrensis sit laudandus, quod, dum filio utrum-

utrumque oculum eruere deberet, sibi unum, filio alterum effoderit? III. 118. b. & seq. Quis sit filius adoptivus. III. 84. a.
Per baptismum constituimur filii Ecclesiæ. III. 239. a.
Quod ad pœnitentiam salutarem requirantur tres partes contritio, Confessio, & satisfactio, conveniunt Catholici declarantes illud exemplo filii prodigi, publicani, & Ninivitarum. IV. 242. a. Epulæ Atreæ, & Thyesteæ nomen habent ab Atreo, qui Thyesti fratri filios epulandos apposuit. IV. 75. a.
Filii communiter loquendo graviter peccant matrimonium ineuntes parentibus invitis. IV. 310. a. & b. Horum tamen consensus non est de substantia Matrimonii, *ibid.* Quando non peccent taliter contrahentes. *ibid.* An filii ita contrahentes possint exhæredari? IV. 311. a. An filii ex Matrimonio ficte contracto suscepti sint legitimi? IV. 312. a. Vid. *Proles*. Quinam possint filios adoptare? IV. 319. a. Quid dicendum de sponsalibus ante septennium a parentibus loco filiorum contractis? IV. 326. b.
Finalis causa gratiæ quæ? III. 228. b.
Finis quis sit actus humani? II. 225. b.
Voluntas non ex electione, sed ex necessitate appetit finem ultimum. VI. 99. a. Ex electione autem, & libertate indifferentiæ fertur in media, *ibid.*
Finitus. An peccatum mortale sit malitiæ finitæ, vel infinitæ. II. 237. a. Vid. *Infinitus*.
Firmamentum. Notanda aliqua de eo. I. 283. b. & *seq.*
Firmamentum, quod est sedes beatorum, quantum a nobis distet? II. 283. b.
Firmilianus. Quidam veteres præsertim Agrippinus, & Tertullianus voluerunt hæreticos a Catholicis esse rebaptizandos. III. 285. a. & b. Idem docuerunt Firmilianus & Cyprianus. III. 285. b. & *seq.* Firmiliani & Cypriani Epistolæ tanquam genuinæ sunt recipiendæ. III. 286. a. & b. Firmilianus laudatur. III. 286. a. Firmiliano, & Cypriano se opposuit Stephanus Papa. *ibid.* Stephanus Papa neque Cyprianum, neque Firmilianum a sui communione removit. III. 294. a. Sed excommunicationem minitatus est. *ibid.* Non est certum, quod Cyprianus aut Firmilianus a propria de rebaptizandis Hæreticis sententia recesserint. III. 295. a.
An docuerit iteranda Sacramenta Ordinis, & Baptismi collata ab Hæretico? IV. 289. b.
Flabellum. Vid. *Diaconus*.
Flagellantes quare sic dicti? IV. 190. b. Confessi sunt laicis, *ibid.* Refutantur. *ibid.*
Flagellatio. Numerus verberum in flagellatione Christi qualis fuerit? III. 161. b. & *seq.* An flagellatio sit facta ab uno lictore? *ibid.* An solum fuerint triginta novem verbera? III. 162. a. Flagellatio fuit pœna acerbior, quam erat fustuarium. *ibid.* Fustuario plectebantur homines liberi, & pauperes, non vero Romani cives: servi autem flagellis. *ibid.* Quæ forma flagellorum. *ibid.* In flagellatione servorum non erat præscriptus certus verberum numerus. *ibid.* Christus flagellatus est more Romanorum, non Judæorum. III. 162. b.
Flamen. Baptismus flaminis in adultis supplet Baptismum fluminis. III. 320. b. & *seq.*
Flammeum. De flammeis nuptialibus. IV. 338. b.
Flavianus (*S.*) impugnans Eutychetem in Latrocinio Ephesino ob vulnerum acceptorum atrocitatem obiit. III. 71. a. & b.
Flavius. Testimonium Flavii Josephi de Messia est autographum. III. 20. b. *tot. cap.* IX.
Fletus fuit primus gradus pœnitentiæ publicæ. IV. 2. a. & IV. 220. b.
Flexibilis. De Angelorum flexibili voluntatis arbitrio. I. 257. b. *per tot. cap.* XIII.
Florentinus. Vid. *Concilium*. Florentina Synodus anni 1439. an inter Ordines recenseat minores Diaconatu. IV. 264. b.
Florianus negat post hanc vitam futurum judicium. II. 284. a.
Flos. An aqua rosacea, vel ex floribus, ac arboribus expressa sit materia sufficiens Baptismi? III. 263. b. An similis aqua possit sub conditione adhiberi deficiente alia aqua? III. 264. a.
Flumen. An valeat Baptismus, si baptizandus projiciatur in puteum, vel flumen, unde emergere nequit? III. 268. b. Baptismus flaminis in adultis supplet Baptismum fluminis. III. 320. b. & *seq.* In parvulis non suppletur Baptismus fluminis per votum parentum. III. 321. a. & b.
Fodio. An bene legatur: *Foderunt manus meas, & pedes meos*. III. 164. b.
Fœdus. In quo sensu sanguis Christi dicatur sanguis fœderis. III. 113. b. & *seq.*
Circumcisio est signum fœderis, quod Deus iniit cum semine Abrahæ. III. 175. b. & *seq.* Vid. *Figura*.
Fœmina. An etiam hæc sit facta ad imaginem Dei. I. 305. b. Vid. *Fœmina*.
Etiam fœminæ possunt in necessitate baptizare. III. 282. a. Contra Marcionitas, Pepuzianos, & Collyridianos probatur, fœminas non posse solemni ritu baptizare. III. 279. b. & 282. a. & b. Si in necessitate adsint Clericus, laicus, vir, & fœmina, quis debet dare Baptismum? III. 282. b. & *seq.* An laicus vel fœmina peccatum grave committant, si in necessitate baptizant præsente clerico? III. 283. a. An fœmina vel Sacerdos in necessitate baptizet, si alia persona non adsit, & Sacerdos sit vinculo excommunicationis innodatus? *ibid.* Pelagiani concedunt infantem baptizandum, sed non, ut mundetur a peccato originali. III. 307. a.
Fœnerator annumeratur raptoribus. II. 193. a.
Non ordinetur. IV. 296. a.
Fœtus excussio olim puniebatur pœnitentia publica. IV. 223. a.
Fomes. An in Christo impotentia peccandi proveniebat a carentia fomitis peccati. III. 51. b.
Fons. In quo sensu Pater cælestis dicatur fons. I. 214. b.
Solem quiescere in fonte, ad quem Alexander M. pervenit, docent Mahumetani. II. 272. a.
Benedictio aquæ baptismalis approbatur miraculis. III. 263. a. Fons baptismalis per sexaginta annos prope Magdeburgum incorruptus permanens, adveniente Ministro Lutherano statim computruit. *ibid.* De Benedictione fontis baptismalis facit mentionem etiam Tertullianus. III. 330. b. & 331. a.
Fontana (*Jacobus*) auctor Operis inscripti, *SS. D. N. Domini Clementis P. XI. Constitutio Unigenitus Theologice propugnata*, demonstrat, Quesnellium admisisse solam charitatem habitualem, & justificantem. V. 92. a. & b. Fontana concedit, posse refelli propositiones Quesnellianas præscindendo a quæstione de statu naturæ puræ. V. 121. *num.* VIII. Fontana affirmat, eundem Quesnellium negasse in statu innocentiæ gratiam supernaturalem. V. 128. b. Fontana quale judicium tulerit de Theologis Augustinianis? V. 166. b.
Forma & venustas corporis Christi qualis fuerit. III. 36. a. Quod in resurrectione Domini forma servi sit reversa in formam Dei, non est dogma Eutychianum. III. 74. a. Forma habet varias significationes, *ibid.*
Forma Confirmationis. Vid. *Confirmationis forma*. Forma Matrimonii quænam sit. IV. 329. b. & 330. a. & b. Vid. *Materia*.
Formalis. Quæ sit formalis malitia peccati? I. 106. b.
Formalis causa gratiæ quæ? III. 228. b.
Formatus. Quid fides formata? II. 290. b.
Formosus. Ejus historia, & ordinationes examinantur. IV. 289. b.
Formula fidei. Vid. *Fides*.
Fornicarius. Extra casum necessitatis non licet petere Sacramenta a Ministro fornicario. III. 210. b. Quæ Sacramenta possint in necessitatis casu peti a fornicario? *ibid.* Qualis sit necessitas? *ibid.*
Fornicatio. Quomodo intelligendum mandatum Oseæ datum de sumenda sibi uxore fornicationum? II. 180. b. & 181. a. An prohibeatur præcepto sexto? II. 193. a. Quid de hac statuat lex civilis Romana? II. 220. b.
Quanto rigore disciplinæ sit punita in primitiva Ecclesia. IV. 207. a. & b. De pœna Sacerdotis in fornicationem lapsi. IV. 211. b. Vid. *Ecclesia*. Hujus concupiscentia non fuit publice punita. IV. 223. a. Quomodo ob fornicationem possit matrimonium solvi. IV. 334. a. & b. Hæc præbet occasionem divortio. IV. 336. b. Vid. *Divortium*. Cur tanquam causa divortii sola adducatur in Scriptura fornicatio. IV. 337. a.
Fortitudo ut virtus cardinalis varias alias sub se complectitur. II. 230. a.
Fortuna. Error fortunæ an annullet matrimonium. IV. 316. b.
Forum. Quid sit privilegium *fori*? II. 222. a. Et qui illo gaudeant. *ibid.*
Fossarii qui essent. IV. 265. a. & b. An fuerint Ordine insigniti. IV. 256. a. & b.
Fractio. An essentia Sacrificii consistat in consecratione, vel in fractione specierum, & earum sumptione? IV. 116. a. De fractione panis Eucharistiæ. IV. 111. a.
Franciscus David. Ejus error de summa Trinitate. I. 174. a.
Franciscus (*S.*). Quando Tertiarii S. Francisci gaudeant fori privilegio? II. 222. a.
An voluerit, ut a Fratribus Minoribus quotidie solum una missa celebraretur? IV. 121. a. & b.
Non probavit confessionem per nutus factam amore silentii. IV. 180. b.
Frater. Ad instantiam Fratrum Minorum Bajus est reprobatus ab Academia Parisiensi. II. 88. b.
Magis est diligendus frater Religiosus, quam carnalis. II. 324. a.
Quomodo Christus pro nobis animam suam posuerit, & quomodo nos pro fratribus debeamus animas ponere. III. 115. a. & b. Quomodo intelligendum illud: *Frater non redimit, redimet homo*. III. 125. b. Quotupliciter quis dici possit frater alterius. III. 29. a. An Christus habuerit fratres, qui essent filii Josephi, ex alia uxore, quam B. Virgine generati. *ibid.* a. & b. An Jacobus sit frater Christi Domini. III. 29. b.
An Eugenius IV. dederit licentiam consecrandi Chrisma Fratribus Minoribus Missionariis Indiæ? IV. 17. a. Plures Romani Pontifices concessere Fratribus Minoribus Missionariis in Regionibus Indiæ Orientalis, & Septentrionis facultatem administrandi confirmationem. IV. 24. b. & *seq.* Ac conferendi ordines minores. IV. 25. a. An S. Franciscus voluerit, ut a Fratribus Minoribus quotidie solum una missa celebraretur? IV. 121. a. & b. Vid. *Minores*.
Fratres Poloni. Eorum objectiones circa generationem æternam Patris solvuntur. I. 193. b. *per tot. cap.* X.
Christus in cælo non immolatur, ut putant Poloni Fratres. III. 107. b. & 116. b. & *seq.* Hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronis. III. 107. b. & *seq.* Item ex Patribus. III. 112. a. & *seq.* Solvuntur objectiones. III. 113. b. & 124. a. & *seq.*
Fraudator vectigalium annumeratur raptoribus. II. 193. a.
Fridericus II. an ab Innocentio IV. fuerit depositus. II. 348. a. An dederit coadjutorem Regi Lusitaniæ. *ibid.*
Frigidus. Deum habere manum frigidam, docent Mahumetani. II. 272. a.
Frigidus an possit filios adoptare? IV. 319. a.
Frisia. Vid. *Holandia*.
Frons. Græci in confirmatione inungebant frontem, oculos, nares, os, aures, & pectus. IV. 40. b. Quam habeant hæ unctiones significationem? *ibid.* Juxta aliquos Græci etiam inungebant manus, & pedes. *ibid.* Apud Latinos in confirmatione frons sola inungitur, & cur? *ibid.*
Frons in extrema unctione etiam olim inungebatur. IV. 237. a. & b.
Frontalis. Chrismatio una erat ab initio Ecclesiæ, quam deinde Innocentius I. divisit in frontalem, quæ est Sacramentalis, & verticalem, quæ est Cæremonialis Baptismi. IV. 28. a.
Fruitio. Quid in sententia Augustiniana sit fruitio? V. 114. a.
Frumentius non laicus fuit, dum in India sacrificabat, sed Sacerdos & Episcopus. IV. 97. a.
Fruor. Quid proprie sit frui? II. 229. a. Hominis actus principaliores sunt uti, & frui. *ibid.*
Fucus. Vid. *Mulier*.
Fuga an licita sit Christiano, & etiam Episcopo tempore persecutionis. II. 309. a. & *seq.*
Fulgentii Bellelli (*P.*) Doctrina est prorsus eadem cum doctrina S. Fulgentii. V. 114. a. S. Fulgentius quomodo explicet illud: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. V. 162. b.
Fulgentius (*S.*). Vid. *P. Fulgentius*.
Fullo (*Petrus*) asseruit *Deum esse crucifixum*, unde & trisagio addidit: *Qui crucifixus est pro nobis*. III. 91. b. Ejus vita describitur. *ibid.* & *seq.*
Funambulus. Horum ars tanquam periculosa rejicitur. II. 334. a.

Fundamentum quale requiratur ad opinionem probabilem. II. 245. a. Quid sit fundamentum grave requisitum ad opinionem probabilem? *ibid.* An hoc fundamentum tale permaneat in concursu alterius fundamenti æque probabilis, aut probabilioris? *ibid.* Opinio aliqua sit probabilis fundamento intrinseco, & extrinseco. II. 245. b. Non licet sequi opinionem probabilem faventem libertati, si fundamentum æquale stet pro lege aut præcepto. II. 250. b.

Fur quando licite possit occidi? II. 326. b.

Furiæ sunt in septimo ordine dæmonum. I. 270. a.

Furiosus. Si sanguinis effusio fiat ab amente furioso, templum non polluitur. IV. 125. b.

Furtum prohibetur præcepto septimo. II. 193. a. Quid sit furtum? qualiter differat a rapina? *ibid.* Furtum gravissimum est. *Plagium*. *ibid.* *Peculatus* est furtum ærarii seu pecuniæ publicæ. *ibid.* Quando fiat *sacrilegium*; & quinam sint fures. *ibid.* Quid leges civiles statuant de furto. II. 220. a. & b. Quomodo filii Israel impune per furtum spoliare potuerint Ægyptios. II. 180. b. & *seq.*

Fustuarium. Flagellatio fuit pœna acerbior, quam erat fustuarium. III. 162. a Fustuario plectebantur homines liberi, & pauperes, non vero Romani cives: servi autem flagellis. *ibid.*

Futurus. Deus non præcognoscit futura libera ordinis naturalis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus. I. 103. b. Nec ea, quæ sunt ordinis supernaturalis. I. 109. b. An Deus futura contingentia videat per scientiam mediam? I. 114. b. & *seq. ac* 218. a. & *seq.* Futura libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, Deus per decretum efficax cognoscit, & non per scientiam mediam. I. 116. b. & *seq.*

Plura sunt genera futurorum. I. 256. a. An Angeli cognoscant necessario futura. *ibid.* Futura contingentia, & libera non possunt ab Angelis naturali scientia certo prævideri, aut prænuntiari. *ibid.* & *seq.* An Idola, ac dæmones possint futura prædicere. I. 256. b. & *seq.*

G

Gajanita. Severiani, Gajanitæ, & Jacobitæ hæretici fatentur realem præsentiam Christi in Eucharistia. IV. 76. a.

Gaius. Vid. *Aphthartodocita*.

Galliæ. Secta Prædestinatianorum sub Cælestino I. non est orta in Galliis. I. 161. a. & *seq.* Galliarum Rex cunctis aliis Principibus præponendus. II. 356. b. An etiamnum inungatur oleo sacræ ampullæ e cælo adductæ. *ibid.*

Extremo supplicio afficiendis olim in Hispania S. Communio negabatur, & adhuc negatur in Gallia. IV. 106. b. Sed danda est damnatis ad mortem. *ibid.* & *seq.* Aliquibus in locis in Africa, & Gallia introducta est consuetudo sumendi S. Communionem sumpto prandio, præcipue in feria V. Cœnæ Domini. IV. 108. a.

Apologia Casuistarum rejecta a Galliarum Episcopis, ubi reprobat sententiam de operibus in Deum referendis. V. 163. b.

Æquilibrium libertatis tanquam figmentum rejicitur a Bellarmino, Vasquez, & centum Episcopis Galliarum in acceptatione Constitutionis *Unigenitus*. VI. 99. a.

Gallicanus. Vid. *Ecclesia*. Propositio: *Status naturæ puræ est impossibilis*, in sensu Augustinianorum non rejicitur per Instructionem Pastoralem Gallicanam. V. 120. *num.* IV. & *seq. ac* 129. a. Clerus Gallicanus negat potestatem Papæ in Reges, summosque Principes. II. 241. a. Statuit Romanum Pontificem se solo errori esse obnoxium, & Generali Concilio subesse. *ibid.* Ludovicus XIV. cognomento Magnus generali Edicto prohibuit, ne quis in toto Regno Galliarum audeat aliud docere circa potestatem Pontificis Maximi in Reges, quam quod definitum fuit in Cleri Gallicani Comitiis. II. 355. b. Ea Acta Comitiorum displicuerunt Innocentio XI. *ibid.* Quinam sint articuli in his Comitiis statuti circa Pontificis potestatem. *ibid.* & *seq.* Huic doctrinæ insistens Parisiensis Facultas librum prohibuit Antonii Sanctarelli S. J. inscriptum, *Tractatus de hæresi, schismate, apostasia* &c. II. 356. a. Qua reverentia Clerus Gallicanus excepit Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. I. 137. a.

Gallus. Soldurii apud Gallos, Decii apud Romanos se morti tradunt pro aliis, propterea vocantur Antipsychi. III. 104. b.

An, & quæ decreta respiciant & acceptent Galli? III. 218. a. & b.

Quid dicendum de quibusdam legibus Gallorum circa matrimonium. IV. 314. b. & 315. b. Quid sit apud illos raptus, & quomodo puniant. IV. 322. a.

Gavardi (*Nicolaus*) qualiter explicet propositiones Baji? V. 87. b. Gavardi rejicit statum naturæ puræ. V. 139. a. Gavardi tenet, in nullo statu Deum diligi posse tanquam auctorem naturæ super omnia sine gratia supernaturali. *ibid.* a. & b. Gavardi quid de charitate Dei ut auctoris naturæ sentiat? V. 159. b.

Docet cum Catholicis, Christum pro omnibus esse mortuum, pro omnibus omnino hominibus instituisse Sacramenta, ac remedia præparasse: remedia tamen, & gratias præparatas non omnibus actu applicari. VI. 94. a.

Gaudium. An felicitas hominis consistat in delectatione & gaudio. II. 231. b. Quid sit. *ibid.*

An in Christo simul fuerit gaudium & dolor? III. 43. a. & b.

Gazulæ auctor ad suas partes trahere conatur PP. Bellelli, & Berti. VII. 61. a. & 62. a.

Gehon. An ad confluentem Gehon sit paradisus. I. 285. a.

Gelasius Papa an transubstantiationem propugnaverit? IV. 88. & *seq.*

An sit Auctor Ceremoniæ benedicendi candelas in festo Purificationis B. Virginis Mariæ? III. 247. a. Lupercalia sustulit Gelasius, quæ facta sunt mense februario, sed ob quem finem? III. 247. b.

Gemellus. Quid si in monstro appareant gemelli, qualiter debet dari Baptismus? III. 214. b.

Geminus. Cur S. Thomas vocetur Geminus. III. 154. b.

Gemma. De sagarum gemmis. I. 275. a.

Gena. Quomodo intelligendum illud Agnetis, *Sanguis ejus ornavit genas meas*? IV. 84. a.

Genæ etiam olim inungebantur in extrema unctione. IV. 237. a.

Genealogia a S. Matthæo de Christo conscripta est verum opus illius. III. 30. b. Hanc impugnarunt Manichæi, Porphyrius, Celsus, Julianus Apostata. III. 32. b. Quomodo S. Matthæus dicat Josephi Patrem esse Jacobum, cum S. Lucas adducat Heli? *ibid.* An B. Virginis parentes fuerint Joachim, & Anna? III. 33. a. & b. Unde ortum traxerit Joachim? III. 33. b. B. Virgo, & S. Joseph erant sanguine propinqui, ex una tribu. *ibid.* An nomina *Heli*, *Joachim*, & *Eliackim* sint solum unum nomen? *ibid.* Unde ortum habeat Anna? III. 34. a. An genealogia Christi a S. Luca descripta nomen Cainan sit superfluum, vel sit omissum in libro Genesis? *ibid.* Nomen Cainan est aliud a nomine Arphaxad, & Sale. III. 35. b. Cur Melchisedech dicatur sine Patre, sine Matre, sine Genealogia? III. 94. b. & *seq.*

Generalis confessionis de peccatis totius vitæ est antiquissima & laudabilis consuetudo. IV. 180. a. Quomodo fiat. *ibid.* Semel in vita suadetur confessio generalis. IV. 200. a.

Generatio. De æterna generatione Patris cælestis una cum refutatione Hæreticorum. I. 191. a. & b. *per tot. cap.* IX. Solvuntur objectiones circa hanc generationem factæ. I. 191. a. *per tot. cap.* X. Deus Pater generatione potulit personam, & non alium Deum. I. 193. b. Vid. *Genitus*. Filius non obstante generatione est æque æternus ac Pater. I. 194. a. Ad generationem in Divinis non requiritur præexistentia Patris, sed sufficit conditio originis. *ibid.* An generatio Patris adhuc duret. *ibid.* An generatio Patris cælestis fiat necessitate, vel voluntate. *ibid.* & *seq.* An detur distinctio inter hos terminos, *generatio*, *potentia*, *principium*? 233. a. & b. Sola generatio Verbi est generatio. I. 235. b. & *seq.* Cur processio Spiritus S. non sit generatio? *ibid.* An dæmones sint capaces generationis. I. 243. a. & 275. a. An generatio hominum in Paradiso esset facta per copulam carnalem. I. 314. b. *tot. cap.* XI. An cum iisdem circumstantiis, ut modo contingit. *ibid.*

Genesis liber non continet mendacia. I. 279. a. Varia notanda de eo. I. 283. a.

In libro Genesis fundantur leges civiles antiquæ. II. 231. a.

Genesius (*S.*). Quid dicendum de Baptismo S. Genesii, quem per lusum suscepit? III. 214. b.

Genethliacus. Error Genethliacorum adscribentium omnia fato. I. 131. a.

Genethliacus adscribens omnia fatali necessitati damnatur primo fidei articulo. II. 281. a.

Genettus. Vid. *Gennettus*.

Genevensium apostasiam prædixit dæmon. II. 278. a.

Genii. De horum historia. II. 270. b. Nequeunt esse Dii. *ibid.*

Genitor. An valida hæc forma: *Ego te baptizo in Nomine Genitoris, & Procedentis ab utroque*. III. 279. a.

Genitus. An Filius divinus possit dici genitus ex essentia Patris. I. 193. b. An Filius Divinus possit dici genitus ex consilio Patris. I. 194. b.

Gennadius fuit dux Semipelagianorum. II. 59. b. & 66. b.

Gennetus an verba P. Thyrsi Gonzalez, & C. Bellarmini contra Probabilismum sincere referat. II. 260. a. & 262. b.

Genofeva (*S.*). Quid dicendum de unctione, quam hæc Sancta faciebat. IV. 242. a. & b.

Gens quænam antiquissima. I. 294. a.

Quid sit jus gentium. II. 174. b. Cur Apostoli præceperint gentibus neoconversis abstinere ab immolatis simulacrorum. II. 200. a. Vid. *Gentilis*. Quomodo intelligendum illud: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*. II. 306. b.

Putabant Gentes, Catholicos se in Communione contaminare crimine infanticidii, ob non recte intellectum Evangelium. IV. 75. b. Gentes putabant, Catholicos ut Deos colere Bacchum, & Cererem, quia ignorarunt, sub speciebus panis & vini adorari Deum præsentem in Eucharistia. *ibid.*

Gentiles habuerunt triplicem Theologiam. I. 1. b. Sed horum Theologia reprobatur. *ibid.* & *seq.* Quibus insuper rationibus revincantur, ad unum tantum Deum confitendum. I. 34. b.

Gentilis. Gentiles Græci, & Romani numerant Deos *Consentes* duodecim, *Selectos* octo: turbam vero minorum Deorum immensam. II. 268. a. Vid. *Græcus*. Gentiles reliqui coluere Baal. II. 271. a. Astharoth. *ibid.* Beelphegor. *ibid.* Moloch. *ibid.* Ignem, & lucem. *ibid.* Cur Danieli, Ananiæ, Misaeli, & Azariæ imposuerint nomina Balthassar, Sidrach, Misach, Abdenago. *ibid.* Pro Deo ulterius habuerunt Beelzebub. *ibid.* b. Dagonem. *ibid.* Dercerum. *ibid.* Micham, & Labanum. *ibid.* Et plures alios. *ibid.* An admiserint asylum? II. 217. a. Inter hos nequit dari vera Religio. II. 268. a. *tot. cap.* I. Adversus hos propugnatur dogma Catholicum de Spiritu S. II. 284. b. An Gentilibus necessaria sit ad salutem fides explicita, si Evangelium eis non fuerit prædicatum. II. 307. b. In Comœdiis Gentilium fœminæ erant a viris separatæ. II. 331. b. Nec potuerunt promiscue ascendere theatrum ad faciendam aliquam exhibitionem. *ibid.* Major est luxus in theatris nostris, quam in theatris Gentilium. *ibid.* Consuetudo, quod viri incedant in vestibus mulierum, est execrabilis, ac a Gentilibus descendens. II. 330. a. & *seq. item* II. 332. b. & *seq.* An Gentiles admiserint Bacchanalia. *ibid.* Ab antiquis Ethnicis saltatoribus edocemur, quantum dedecet inhonestas frequentare choreas. II. 333. b. Splendidus conviviorum luxus a Gentilibus ortum habet. II. 338. b.

Quibus argumentis ad credendum in Christum sit pertrahendus? III. 22. a. *tot. cap.* X. Solvuntur ejus objectiones contra fidem catholicam. III. 24. b. *tot. cap.* XI.

Sacramentum non est nudum signum, quo a Gentilibus, & a Judæis discriminantur Catholici, sed est signum invisibilis gratiæ. III. 371. a. Valide baptizat, etsi non credat, actionem eam esse sacram, aut tribuere gratiam: dummodo velit facere, quod facit Ecclesia. III. 213. a. *tot. cap.* XVI. Dummodo serio animo agat, & non modo irrisorio, *ibid.* An Cæremoniæ Catholicorum sint desumptæ ex legibus Judæorum, & superstitione Ethnicorum. III. 243. b.

& seq. Nec Gentiles ; nec Judæi erant baptizati in solo Nomine Christi . III. 275. a. & 277. a. Exponuntur textus SS. Patrum primo intuitu adversantium . III. 275. b. *& seq.*

Chrismatio non descendit e moribus Gentilium , pugiles perungentium . IV. 39. a. Mithra a Gentilibus vocabatur sol , & huic Sacrificium obtulerunt . IV. 115. a. Vid. *Ethnicus* .

Genuensium Respublica quam ægre tulerit Clementem XIII. misisse in Corsicæ Insulam Visitatorem Apostolicum . II. 358. b.

Genus . V. *Infidelis* .

Geometria an utilis sit Theologo ? I. 13. a.

Georgius Callixtus negans traditiones impugnatur . II. 298. a.

Germania quidquid sustinuit per Lutherum , & Calvinum , prædixit Hildegardis . II. 278. a.

Germani aliquando crediderunt transmigrationem animarum . I. 304. b.

Germanis concessus erat a Pio IV. usus Communionis sub utraque specie . IV. 103. b. Sed postea a Pio V. ob abusus quosdam sublatus . *ibid.*

Gersonius (*Joannes*) . Ejus sententia, quod parvuli sine Baptismo salventur , si parentes habeant votum suscipiendi , rejicitur . II. 20. b. & 26. a. Negat potestatem Papæ in Reges , summosque Principes . II. 341. a. Tradit Pontificem Romanum se solo errori esse obnoxium , & Generali Concilio subesse . *ibid.* Hujus lucubrationes an possint prorsus inoffenso pede percurri , atque novis typis excudi de integro . *ibid.*

Negavit legem humanam obligare in conscientia . II. 206. a.

Gethsemani . Hortus Oliveti cur dicatur Gethsemani ? III. 160. b.

Ghezzi (*P. Nicolaus*) jussus est a Sacra Congregatione explanare , & retractare nonnulla capita doctrinæ suæ , in quibus doctrinam nonnullorum Theologorum tanquam Jansenianam traducere videbatur . VII. 54. b.

Gigas . Adam non fuit gigas . I. 296. a. Quis pater gigantum ? I. 296. b.

Gigno . Polygamia enervat virtutem gignendi . IV. 332. a.

Gilbertus Porretanus . Hujus error circa distinctionem inter essentiam divinam , & attributa . I. 47. a. & b. Ejus conditio , munera , & errores . I. 52. a.

Gistera quid sit in consideratione Thalmudistarum . I. 270. a.

Gladius . Quomodo intelligendum illud : *Omnes , qui acceperint gladium , gladio peribunt* . II. 328. b.

An Judæi tempore Christi habuerint jus gladii ? IV. 48. b. *& seq.*

Gloria . Lumine supernaturali gloriæ potest intellectus creatus intuitive Deum videre . I. 68. b. Variorum opiniones de lumine Gloriæ . I. 70. b. Lumen Gloriæ est ipse Deus . I. 72. a. *& seq.* Quid requiratur ad lumen Gloriæ ? *ibid.* b. De inæquali Gloria Sanctorum . I. 92. b. *& seq.* Causa moralis hujus inæqualitatis est meritum , effectrix vero lumen Gloriæ . I. 93. b. Datur aliqua ad Gloriam prædestinatio Electorum . I. 137. a. Quis sit dicendus prædestinatus ad Gloriam ? *ibid.* b. Quid sit prædestinatio ad Gloriam ? *ibid.* Prædestinatio ad Gloriam est prior prædestinatione ad gratiam . I. 140. b. *& seq.* Prædestinatio ad Gloriam non est ex præscientia meritorum . I. 141. a. *& seq.* Quid doceat S. Augustinus circa hanc quæstionem ? I. 143. b.

Putant hæretici , quod justificatus certo sciat , se non posse excidere gratia , nec excludi a gloria . II. 277. b. An in Sanctis sit spes futuræ gloriæ corporum . II. 314. a. Quilibet debet sperare gratiam , & gloriam . II. 315. a.

An gratia , gloria , & perseverantia Angelorum sit ex merito Christi ? III. 100. b. *& seq.*

Quomodo intelligenda verba illa : *Sive ergo manducatis , sive bibitis &c. omnia in gloriam Dei facite* ? V. 163. b. *& seq.* An hæc verba contineant præceptum , quo quilibet deliberate agens teneatur opera sua virtualiter referre in Deum ? *ibid.* Ita, ut secus opera non sint bona ex omni parte ? *ibid.*

Glorificatio quomodo distinguatur a prædestinatione ? I. 138. a. & b. Est effectus prædestinationis . I. 157. b.

Glossæ auctor, quid sibi velit, dum ait , ideo secundas nuptias non esse benedicendas , ne Sacramenta iterentur . IV. 330. b.

Gnome . Duæ voluntates in Christo non est una dicenda *personalis* , nec una *gnome* , nec una *habitudine* , sed duæ *naturales* . III. 44. b. & 45. a.

Gnosticus . Error Gnosticorum circa præscientiam Dei . I. 100. a. Putarunt materiam esse æternam . I. 27. b.

Matrimonia ut mala rejecerunt Gnostici . II. 6. b. Admisere transmigrationem animarum . *ibid.*

Horum hæresis de duobus principiis damnatur primo Fidei articulo . II. 281. a. Auferentes libertatem arbitrii negant septimum Fidei articulum . II. 284. a. Negantes remunerationem meritorum impugnant duodecimum articulum . II. 288. b. Impugnantes traditiones impugnantur . II. 97. b. *& seq.*

Gnosticus denegabat Christo sapientiam , & scientiam . III. 41. b. distinxit Christum a Jesu . III. 56. b.

Sacramenta omnia sensibilia negabant Gnostici , Ascodrupitæ , Archontici , Cajani , & Spirituales . III. 260. a. Refutantur . III. 261. b. *& seq.* Quam perversam formam in Baptismo adhibeant Gnostici ? III. 270. a.

Narratur execrandum sacrilegium Gnosticorum adhibentium pro materia Eucharistiæ res turpissimas . IV. 58. b. Aliam impietatem commiserant Manichæi . *ibid.*

Golgotha . Unde hoc nomen . I. 323. a. An ibi sepultus primus homo ? *ibid.*

De monte Calvariæ , seu Golgotha . III. 164. a.

Gonet (*Joannes Baptista*) quid sentiat de articulis Baji ? V. 86. b. Gonet quam tulerit censuram in propositionem 27. Baji ? V. 124. b. Gonet quid de charitate Dei ut auctoris naturæ sentiat ? V. 159. a.

Qualiter hujus sententia de gratia differat ab opinione Jansenii . II. 68. b. *& seq.*

Docet cum Catholicis , Christum pro omnibus esse mortuum , ac pro omnibus præparasse remedia salutis , etsi præparata non omnibus actu applicentur . VI. 92. b.

Gonzalez de Albenda docens , quod gratia efficax sit reponenda in delectatione victrici , quæ superat minores gradus concupiscentiæ , Catholicus est , non Jansenianus . VI. 75. a.

Gonzalez (*P.*) *Thyrsus* quid de Probabilismo sentiat . II. 260. a. & b. & 262. b. & 263. a.

Gotheschalcus . Ejus error circa prædestinationem . I. 160. a. An fuerit revera Prædestinatianæ hæreseos convictus . I. 162. a. & 163. a. & b.

Docuit , Christum tantum pro electis ante mundi constitutionem esse mortuum . III. 127. a. Refutatur . *ibid.*

Gothus . Pane azymo a priscis temporibus utebantur Gothi . IV. 59. b.

Gradus . Vid. *Cognatio* , vel *Affinitas* .

Gradus habet gratia , ita ut modo sit efficax , modo sufficiens . II. 40. a. & 41. b.

Thomistæ , & Augustiniani conveniunt in explicandis gradibus gratiæ . VI. 90. b. Vid. *Gratia* . Denegatur in libris Berti delectatio illa gradibus superior , quæ ita sit invincibilis , & necessitatem inferens , ut sub illa voluntas a sola coactione sit libera . VI. 111. *tot.* §. I. Affirmatur dari gradus in concupiscentia & delectatione . VI. 118. a. Vid. *Gratia* .

Gradus Pœnitentiæ publicæ erant quinque , *fletus* , *auditio* , *substratio* , *communicatio* , & *constistentia* . IV. 2. a.

Gradus Pœnitentiæ publicæ . Vid. *Publicus* .

Græcus . Lingua Græca Theologo est perutilis . I. 12. b. Græcorum Palamitarum error de æternitate . I. 156. b. *ac* 58. a. Item eorum error de supernaturali lumine Gloriæ . I. 70. b.

Error eorum de summa Trinitate narratur . I. 174. a. Magnum est dissidium inter Latinos , & Græcos schismaticos circa Processionem Spiritus S. I. 207. b. An horum Græcorum auctor sit Theodoretus . *ibid.* Historia de horum relapsu . *ibid.* Quod Persona Spiritus S. a Patre , & Filio procedat , probatur . I. 207. b. *per tot. cap.* XVII. Solvuntur Græcorum objectiones . I. 209. a. *per tot. cap.* XVIII. An S. Joannes Damascenus docuerit opinionem Græcorum schismaticorum . *ibid.* b. Latini male arguuntur a Græcis schismaticis de corrupto Symbolo . I. 210. b. *per tot. cap.* XIX. Merito fuit Symbolo contra Græcos schismaticos adjecta particula , *Filioque* . *ibid.* Quando hæc vox sit adjecta ? I. 212. a. Explicantur Græca & latina vocabula , quæ in tractatu de Trinitate hæc adhibentur . I. 213. b. *per tot. cap.* XXI. Quid significet Græcum verbum *Usia* ? *ibid. consubstantialis* , *& substantia similis* ? *ibid.* Quid importet verbum *Hypostasis* . *ibid.* Quomodo distinguatur a verbo *Usia* ? *ibid.*

Romani & Græci numerant Deos *Consentes* duodecim : *Selectos* octo : turbam Deorum Minorum immensam . II. 268. a. Stultum est Jovem referre inter Deos . *ibid.* Aut Neptunum . II. 268. b. Vulcanum . *ibid.* Martem . *ibid.* Mercurium . II. 269. a. Apollinem . *ibid.* Junonem . *ibid.* Minervam . *ibid.* b. Venerem . *ibid.* Vestam . *ibid.* Cererem . II. 270. a. Dianam . *ibidem* . Fabularis historia de Diis *Selectis* Jano , Saturno , Geniis , Libero , Plutone , Sole , Luna , Terra . *ibid. & seq.* Quem honorem exhibeant Baccho . II. 330. a.

Græci olim diem natalem Christi , & Epiphaniæ non distinguebant . III. 142. b. & 143. a.

Quod apud Græcos sonat Mysterium , hoc apud Latinos significat Sacramentum . III. 169. a. Quæ distinctio inter formas Sacramentorum apud Græcos , & apud Latinos ? III. 197. b. Ceremoniæ sunt Sacra omnia , quid apud Græcos sint Orgia ? III. 241. b. De Eulogiis , & pane benedicto , cur dicatur fermentum ? eo adhuc utuntur Græci . III. 246. a. & b. Græci Schismatici dixerunt , Baptismum per immersionem esse alium ab eo , qui in Ecclesia Romana fit per infusionem . III. 264. b. Baptismus valide confertur per immersionem , infusionem , & aspersionem : Ecclesia Romana bene præscripsit , ut fiat per immersionem , aut aspersionem : unde a Græcis nullo jure reprehenditur . III. 266. a. Græcorum forma Baptismi enuntiativa est , non deprecativa : valida & ipsa est : nec a forma Latinorum substantialiter differt . III. 269. a. Cur Græci dicant *Baptizatur* , & cur non *ego te baptizo* ? III. 269. b. Probatur contra Calvinum , & Græcos recentiores , quod in casu necessitatis quilibet homo, etiam laicus, possit absque solemni ritu administrare Baptismum . III. 279. b. & 281. b.

Cur vocarunt confirmationem unguentum perenne ? IV. 1. b. Testimonium Cyrilli Lucar , quod Ecclesia Græca non admittat Sacramentum Confirmationis , nullam habet auctoritatem. IV. 7. b. & 8. a. Confirmatio etiam apud Græcos confertur per manus impositionem , tanquam materiam . IV. 10. b. *& seq.* Græci Sacerdotes possunt conferre Confirmationem . IV. 24. a. & b. Quæ unio inita inter Græcos & Latinos . IV. 24. & 25. a. & b. Quomodo Græci conficiant Chrisma ? IV. 15. a. & b. Cur S. Gregorius Magnus formam Confirmationis non commemoret ? IV. 20. a. Græcorum formula , & ea quidem valida , est : *Signaculum doni Spiritus Sancti* . *ibid.* Forma Græcorum non habet sensum ambiguum . IV. 20. b. Quare & qualiter Clemens VIII. & Benedictus XIV. præceperint , ut a Græcis confirmati denuo confirmentur . *ibid. & seq.* An apud Græcos possint confirmare Sacerdotes simplices , non Episcopi ? *ibid.* Contra Græcos schismaticos , Waldenses , Hussitas , Lutherum , Kemnitium , Calvinum , Dallæum , & alios hæreticos probatur , ministrum ordinarium confirmationis esse Episcopum . IV. 21. b. Quod soli Episcopi sint ministri ordinarii Confirmationis , probatur ex Patribus Græcis & Latinis . *ibid. & seq.* Ut valida sit Confirmatio facta a Sacerdote simplici , in Ecclesia Latina requiritur summi Pontificis delegatio , & in Ecclesia Græca perantiqua , & universim recepta consuetudo , quam Papa approbet , aut saltem permittat . IV. 27. b. An non sufficiat delegatio facta ab Episcopo ? *ibid.* An Græci vel Latini omnium primi fidem in Bulgaria disseminarint ? . IV. 25. b. *& seq.* Nicolaus I. jussit de novo confirmari Bulgaros consignatos a Græcis per Photium missis . *ibid.* Innocentius III. prohibet Latinis Sacerdotibus inter Græcos degentibus , ne Confirmationem conferant , quod toleratur in Græcis . *Ibid.* Innocentius IV. Sacerdotibus Cypri , & Clemens VIII. Sacerdotibus Albaniæ , non autem omnibus Sacerdotibus Græcis interdixerunt administrationem Confirmationis . IV. 26. a. Quid desuper statuerit SS. Benedictus XIV. IVt 26. b. Græci in Confirmatione inungebant frontem , oculos , nares , os , aures , & pectus . IV. 40. b. Quam habeant hæ unctiones significationem ? juxta aliquos Græci etiam inungebant manus & pedes.

des. *ibid.* Contra Græcos probatur, Eucharistiam non esse institutam in fermentato. IV. 43. b. An Græci potius quam Latini imitentur mores Judæorum? IV. 53. b. *& seq.* Licet incertum sit, in quo tempore invaluerit apud Græcos fermentati usus, videtur tamen obtinuisse ante exortum Schisma Photianum. IV. 57. a. Secundum Scotum usus fermentati in Ecclesia Latina, & Græca ob Ebionæos introductus est, quorum hæresi oppressa Ecclesia Latina transiit ad azymos, Græca vero retinuit fermentum. *ibid.* Intolerabilis est abusus Græcorum miscendi sacro oleo species Sacramenti Eucharistiæ. IV. 59. a. Consecrare in azymo Romanæ Ecclesiæ non est vitio vertendum, quod tamen imperite quidam Græcorum faciunt. IV. 59. b. Major est convenientia rationis pro ritu Latinorum utentium azymo, quam Græcorum assumentium panem fermentatum. *ibid.* Falluntur, qui censent Græci apud Latinos commorantibus aut peregrinantibus fas esse consecrare azymum, & e contra Latinis apud Græcos fermentatum. IV. 60. a. Vino consecrando modicum naturalis aquæ perantiqua traditione, & Ecclesiæ præcepto debet infundi. IV. 61. a. Refutantur Armenii, qui solum vinum consecrabant. *ibid.* An etiam hoc fecerint Græci? *ibid.* Græci frigidam aquam miscent vino ante consecrationem, calidam post consecrationem. IV. 61. b. Græci complures docuerunt, non solum verbis Dominicis, verum etiam oratione & benedictione Sacerdotis consecrationem fieri. IV. 65. a. Probatur adversus Lutherum & Græcos, Christum non consecrasse, nec Sacerdotes modo consecrare per benedictionem antecedentem, ac gratiarum actionem, & preces subsequentes. IV. 65. b. & 66. a. & b. An Græci immediate post consecrationem respondeant *Amen*? IV. 69. b. *& seq.* Communionem esse necessariam de necessitate medii docent quidam Græci, Calviniani ac Novatores alii. IV. 97. b. Græci recentiores quidam, & alii docuerunt Communionem sub utraque specie fieri debere. IV. 101. a. Græci parvulis recens baptizatis dabant unam guttulam pretiosi sanguinis. IV. 102. b. Infirmis Græci dabant Communionem modo sub specie panis, modo sub specie vini pro diversitate infirmitatis. *ibid.* Etiam Græci in Missa præsanctificatorum assumunt solas species panis in die Parasceves. *ibid.* Apud Græcos communicabant sub una specie panis omnes illi, qui Ecclesiam adire non poterant. *ibid.* Infirmi in mortis articulo possunt communicare etiam non jejuni: item & parvuli, qui statim post Baptismum communicantur apud Græcos. IV. 108. b. Quid significet pœnitentia apud Latinos, & apud Græcos? IV. 131. b. Explicantur varia vocabula, quis Missa a Latinis & Græcis denotatur. IV. 123. a. & b. Algerus Græcos vocat Stercoranistas. IV. 90. a.

An apud Græcos olim fuerit in usu forma absolutionis deprecativa. IV. 200. a. & b. Harum Euchologium quantæ sit auctoritatis. IV. 201. b. An Sacerdos simplex in Ecclesia Græca possit solemni benedictione consecrare oleum infirmorum. IV. 236. a. & b. Qualiter administrarint Extremam Unctionem. IV. 237. b. An forma Græcorum in Extrema Unctione adhibita sit sufficiens. IV. 240. a. & b. *& seq.* Quot Sacerdotes adhibeant dando Extremam Unctionem. IV. 243. b. An Græci omnes pœnitentes etiam sanos inungebant. IV. 246. b. De ordine Græcorum. IV. 251. b. Quot Ordines admittant infra Diaconatum. IV. 265. a. & b. & 266. a. Apud Græcos Lectorum, & Cantorum idem est Ordo. IV. 256. b. An Exorcistatum, Acolythatum, & Ostiarium e numero Ordinum excludant. IV. 257. a. & b. An apud hos prima tonsura sit Ordo. IV. 260. b. An ordinatus apud Græcos, & transiens ad ritum Latinorum debeat suscipere Ordines a Græco Episcopo omissos. IV. 258. a. & b. An etiam primam tonsuram, si & hæc est prætermissa. IV. 260. b. Græci Subdiaconatum vocant Hypodiaconatum. IV. 266. b. Quale officium Subdiaconorum apud Græcos. *ibid.* An Græci post Subdiaconatus susceptionem possint inire matrimonium. IV. 267. b. Græci loco Evangelii tribuunt in Ordinatione Diacono flabellum. IV. 268. b. Quomodo ordinent Sacerdotes. IV. 271. b. Quam habeant materiam in ordinatione. IV. 282. b. *& seq.* An olim præcipue apud Græcos clerici ordinati sint per saltum. IV. 298. a. An Græci in Ordinatione Episcoporum, ac Presbyterorum utantur unctione. IV. 298. b. Quo vocabulo Græci exprimant Matrimonium. IV. 301. a. Græcis permittuntur contrahere matrimonium, si nondum susceperunt Hypodiaconatum. IV. 320. b. Græci, qui ducunt uxores post susceptos S. Ordines, qualiter puniantur. *ibid.* Græci non possunt celebrare, nisi antea per hebdomadam, aut saltem per triduum ab uxoribus abstinuerint. *ibid.*

Gramatica primo est tradita a Cadmo. II. 189. a.

Grassator. Vid. *Agressor*.

Gratia. Thomistarum sententia de gratia victrice explicatur. I. 105. a. An Angelus bonus fuerit præservatus per gratiam in se efficacem? I. 109. b. An Angelorum bonorum gratia fuerit victrix? *ibid.* An creatura innocens præter gratiam habitualem ad perseverantiam indigebat gratia actuali, aut prædeterminante? I. 110. a. Adrumetinorum Monacorum error circa gratiam, & liberum arbitrium. *ibid.* Eundem errorem docuerunt Semipelagiani. *ibid.* Gratia versatilis quæ? I. 109. b. Gratia quænam dicatur ab intrinseco efficax? quæ inefficax? & quæ sufficiens? I. 110. a. & 117. a. Gratia efficax est necessaria in statu naturæ lapsæ. I. 116. b. An etiam victrix? *ibid. & seq.* Gratia efficax non est qualitas mortua. I. 125. b. Prædestinatio ad gloriam est prior prædestinatione ad gratiam. I. 140. b. *& seq.* Quomodo gratia dividatur a Pelagio? I. 143. b.

Christus est Filius Patris non adoptione, & gratia, sed generatione. I. 191. a. *per tot. cap.* IX. Wolzogenius in hoc contrarias refutatur. I. 193. b. *per tot. cap.* X. An Angeli sint creati in gratia sanctificante & actuali. I. 249. a. *per tot. cap.* VII. Angeli meruerunt beatitudinem ex gratia Dei. I. 260. b. imago Dei etiam gratiarum munera complectitur. I. 306. a. Adam est productus cum gratia gratum faciente, sed hoc non est articulus fidei. *ibid. & seq.* Gratia actualis Adamo est collata, non tamen erat ei necessaria ad perseverandum gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans. I. 307. b. *& seq.* Gratia actualis Adæ collata consistebat in illuminatione mentis. I. 308. a. An gratia actualis Adamo fuerit necessaria. I. 309. b. Immortalitas Adæ fuit gratiæ beneficium. I. 311. b. *& seq.* Libertatem a peccato accipimus per gratiam. I. 313. a. sine gratia non potest refrænari pars inferiori rebellis. I. 325. b. *& seq. ac* 328. a. An possit Deus diligi sine gratia. I. 327. b. Vid. *Charitas*.

Putant hæretici, quod justificatus certo sciat, se non posse excludi a gloria, nec excidere a gratia. II. 277. b. An fides distinguatur a gratia sanctificante. II. 290. b. *ac* 312. a. An per peccatum non solum gratia, sed etiam fides amittatur. II. 290. a. *& seq.* Quilibet debet sperare gratiam, & gloriam. II. 315. a. Dilectio significat gratiam, benevolentiam, amicitiam. II. 319. a.

Gratia habitualis Christo non contulit secundarium effectum scilicet adoptionem. III. 86. a. An gratia, gloria, & perseverantia Angelorum sit ex merito Christi? III. 100. b. *& seq.* Nulla creatura etsi gratia, & meritis exornata potest exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem satisfactionem. III. 125. b. Meritum de condigno provenit ex gratia habituali, & non ab opere in se spectato. III. 126. b.

Sacramentum non est nudum signum, quo a Gentilibus & Judæis discriminantur Catholici, sed est signum invisibilis gratiæ. III. 171. a. Sacramenta legis veteris conferebant sanctitatem, & gratiam, sed legalem duntaxat, unde dicta sunt *infirma*. *ibid.* Sacramenta novæ, & antiquæ legis significant Christum, & gratiam, sed hæc signa erant Christi venturi, illa vero Redemptionis peractæ. *ibid.* Quodlibet Sacramentum continet triplicem gratiam; unde signum est demonstrativum gratiæ præsentis, commemorativum præteritæ, & prænuntiativum futuræ. *ibid.* Sacramenta novæ legis sunt signa gratiæ, & sanctitatis efficientia: Sacramenta veteris legis gratiam prænuntiabat tantum tribuendo solam sanctitatem legalem. III. 171. b. Lutheri, Kemnitii, Calvini, Zwinglii, Anabaptistarum, Socinianorum definitio de Sacramento est mala, quia negant Sacramentum esse signum efficiens gratiæ, illud admittendo pro puro signo, *ibid. & seq.* An Sacramenta vet. Legis potuerint conferre gratiam Passione Christi nondum peracta? III. 175. a. Sacramentalia non tribuunt per se gratiam. III. 188. a. & b. Nec lotio pedum. III. 188. b. *tot. cap.* VI. Formæ Sacramentorum non excitant tantum ad fidem, sed vere Christi gratiam efficiunt. III. 197. b. *& seq.* Non requiritur ad gratiam in Sacramentis producendam, ut verba formæ intelligantur a suscipiente, unde Sacramenta non debent conferri in lingua vernacula. III. 198. a. & b. Ut Sacramenta conferant gratiam, non requiritur sanctitas Ministri. III. 205. b. *tot. cap.* XIV. Non requiritur in Ministro Sacramentorum, ut credat actionem, quam peragit, esse sacram, minus, ut credat, ea actione infundi gratiam, sed ut velit facere, quod facit Ecclesia. III. 213. a. & 225. a. Unde valet Baptismus a Pagano, Pelagio, Ario, Sociniano, Calvino, & Luthero collatus, etsi primus ignoret, reliqui negent, per Sacramenta conferri gratiam. III. 213. a. *& seq. usque ad cap.* XVII. Dummodo serio animo agant, & non modo irrisorio. *ibid.* In Ministro Sacramentorum non requiritur intentio producendi gratiam. III. 216. a. & b. Vid. *Sacramentorum effectus primus*. Deus est causa Principalis gratiæ, Sacramenta autem instrumentalis. III. 235. a. An physica, vel moralis? *ibid.* Quid sit causa physica & moralis? *ibid.* An directa, vel indirecta? an conditionalis? *ibid.* Gratia, quam Sacramenta causant, est habitualis, intrinseca, & inhærens. III. 237. b. An Sacramenta vivorum possint causare gratiam primam? *ibid.* An gratia Sacramentalis distinguatur ab habituali? *ibid.* Ceremoniæ non promovent gratiam, sed reverentiam excitant, ac devotionem augent. III. 243. b. Cur Baptismus dicatur gratia? III. 250. a. Baptismus ab hæretico collatus confert characterem, sed an tribuat gratiam? & quando parvulis, quando adultis? III. 302. b. Adulti sine fide interna, & cum peccati mortalis affectu suscipientes Baptismum recipiunt characterem, sed non gratiam: gratiam percipient, si deposito affectu peccati pœnitentiam egerint. III. 317. b.

An Apostoli per manum impositionem solam gratiam linguarum, & miraculorum contulerint sine gratia aliqua interna? IV. 4. a. & b. Eugenius IV. vocat instrumenta ordinum symbola munerum ab ordinandis exercendorum, Chrisma autem vocat Symbolum gratiæ. IV. 13. a. & b. & 14. a. Confirmationis effectus est duplex gratia & character IV. 33. a. Vid. *Confirmationis effectus*. Communicanti sub utraque specie non confertur amplior gratia, quam conferatur communicanti sub unica. IV. 103. a. Quam gratiam conferat Communio? IV. 110. b. Hæretici contritionem calumniantur tanquam hypocrisi, quæ non præparat ad gratiam, sed magis peccatorem facit. IV. 144. a. Sententia propugnans necessitatem charitatis initialis ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinenda nulla potest censura notari, quemadmodum nec opposita. IV. 144. b. Eadem sententia propugnans necessitatem charitatis initialis ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam est e diametro distinta a doctrina hæreticorum, quæ damnata est a Tridentini Patribus. IV. 145. b. *& seq.* Sententia, quod ad pœnitentiæ Sacramentum sufficiat attritio servilis, non est damnata in Tridentino. IV. 146. a. & b. Sententia ad gratiam in Sacramento consequendam exigens initialem charitatem ipsi Tridentino, S. Literis, Patribus, & rationi videtur esse conformis. IV. 148. a. Charitas necessaria ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam est amor charitatis, non spei solum, quo Deus diligitur ut nobis bonus. IV. 155. b. *& seq.* Quamvis spes non excludatur. IV. 156. a. Attritio pure servilis non excludit voluntatem peccandi, & sic non est sufficiens ad gratiam acquirendam sine charitate initiali. IV. 153. a. & b. Timor inferni non est præparatio sufficiens ad gratiam sine charitate initiali. IV. 148. a. *tot. cap.* V. & VI.

Gratia confertur per Ordinem. IV. 252. b. *& seq.* & 296. b. *& seq.* Etiam Episcopatus confert gratiam. IV. 273. a. & b. An hæc sit Sacramentalis. IV. 273. b. *& seq.* An gratia Sacramentalis percipiatur, si quis ordinetur ab Episcopo improbo. IV. 287. a. & 273. b.

Vid. *Charitas*. Gratiam actualem, & habitualem Bajus non distinguit. V. 86. b. Non aliam agnoscit, quam sanctificantem. V. 89. a. & 98. b. Aut si agnoscit actualem, ait

illam

illam facère ea munera, quæ juxta catholicos facit charitas habitualis. *ibid.* Tridentinum agnoscit gratiam actualem, vi cujus peccator ad gratiam sanctificantem disponitur. V. 89. b. An Bellarminus, Toletus, & Vasquez docuerint nullam tentationem vinci posse sine gratia. V. 87. a. An ab Arausicana Synodo, & Maldonato sit propugnata hæc propositio: *Liberum arbitrium sine gratia actuali non valet, nisi ad peccandum? ibid.* Vindicatur definitio gratiæ, quæ constituitur in illuminatione mentis, & in inspiratione charitatis. V. 110. a. Quomodo gratiam definiat S. Augustinus? V. 110. b. Laurentius Brancatus, Franciscus Macedo, Dionysius Petavius, Concilium Milevitanum, Stephanus Dechamps demonstrant gratiam ab Augustino constitui in inspiratione S. charitatis. *ibid.* Bajus ait, originalem justitiam, integritatem, immunitatem a morte &c. esse proprietates Adamo ante lapsum naturaliter debitas, ita ut gratia, sanctitas, & justitia respectu nostri sint dona supernaturalia post lapsum, quæ fuissent naturalia, si Adam non peccasset. V. 123. a. Hæc Baji opinio colligitur ex aliis ipsius propositionibus pariter damnatis. V. 126. a. *tot.* §. II. & III. Ac confirmatur ex propositione 35. Quesnellii. V. 128. b. *tot.* §. IV. Ex sententia Baji, Lutheri, Pelagii sequeretur, Angelum. & Adamum sine gratia supernaturali habuisse meritum vitæ æternæ, Deumque esse finem ultimum hominis solum naturalem. V. 124. a. Triplici sensu aliquid juxta Bajum dicitur naturale. V. 128. a. Quomodo secundum Bajum originalis justitia, gratia, sanctitas, & integritas fuerint dona naturalia. V. 136. b. Fontana affirmat, Quesnellium negasse in statu innocentiæ gratiam supernaturalem. V. 128. b. Henricus de Bissy S. R. E. Card. quid senserit de sensu propositionum Quesnelli circa gratiam Adami? V. 129. a. Merita prima Adami secundum Bajum fuerunt humana, juxta Augustinianos ex arbitrio quidem, sed auxilio gratiæ supernaturalis derivata sunt. V. 130. a. Gavardi tenet, in nullo statu Deum diligi posse tanquam Auctorem naturæ super omnia sine gratia supernaturali. V. 139. a. Berti docet, Adamo, & Angelis gratiam proprie dictam collatam esse. V. 141. a. *tot.* §. V. Bellelli nullibi dona gratiarum inter naturæ proprietates connumerat. V. 143. b. *tot.* §. II. Bellelli gratiam sanctificantem in statu innocentiæ ad meritum vitæ æternæ necessariam esse docet. V. 144. a. *tot.* §. III. Bellelli agnovit gratiam, & alia dona supernaturalia in prima Angelorum, & Adami conditione. *ibid. tot.* §. IV. Juxta Bajum nec Adamus supernaturalibus habitibus fidei, spei, & charitatis donatus fuit, nec egebat gratia supernaturali ad servandam legem, & consequendam beatitudinem. V. 135. b. *Coroll.* I. contrarium docent Augustiniani. *ibid. Coroll.* II. & 132. a. *tot.* §. VII. *item* V. 140. b. §. III. & IV. Bellelli docuit, dona Adæ collata fuisse gratiam proprie dictam. V. 144. b. *tot.* §. V. Bellelli docet, Angelos, & Adamum sine gratia supernaturali non potuisse legem servare, aut beatitudinem consequi. V. 144. a. In quo sensu gratia Angelorum, & Adami possit dici naturalis? V. 147. a. An creaturæ rationali debeatur gratia, & media alia necessaria supposita gratuita elevatione ad visionem Dei intuitivam? V. 150. a. Vasquez docuit, Deum a nobis non posse diligi amore amicitiæ sine gratiæ moventis auxilio nec in statu naturæ innocentis, nec in statu naturæ lapsæ. V. 157. a. Nec ut finis naturalis, nec ut finis supernaturalis. *ibid.* Idem sentiunt & alii? *ibid. & seq.* Augustiniani docent, Deum nec ut auctorem naturæ posse diligi sine gratia ab hominibus post lapsum Adæ. V. 158. a. Idem docent & alii de eadem charitate Dei, ut auctoris naturæ. *ibid. & seq.* An homo in nullo statu possit totam legem implere, & omnia vitare peccata sine gratia? V. 159. a. Sententia Augustiniana, quod ad opera moralia ex omni parte bona requiratur auxilium gratiæ supernaturalis, non potest affici censura. V. 159. b. Possunt Infideles aliqua opera bona exercere cum gratiæ actualis auxilio. *ibid.* Baji propositio 28. & 29. damnata nullum opus bonum admittit sine fide perfecta, & gratia sanctificante. V. 161. b. *& seq.* Bajus putat, liberum arbitrium sine habituali gratia nil valere, nisi ad peccandum. *ibid.* Augustiniani ad opus bonum requirunt gratiam, non justificantem, sed actualem, ac moventem ad justificationem. V. 162. a. Toletus, & Bellarminus ajunt, damnatam propositionem 29. Baji, quia putabat omne opus bonum conferre gratiam sanctificantem. *ibid.* Bajus docuit, opera, quæ fiunt sine gratia sanctificante, esse vitiata a noxia cupiditate, & ideo peccata. V. 161. b. *& seq.* opera Infidelium, quæ fiunt sine fide imperfecta, ac gratia actuali, perraro evadunt peccati maculam. V. 168. b. Solvuntur objectiones Anonymi contra necessitatem gratiæ ad actum charitatis Dei prætensam. V. 171. a. Contra sententiam de operibus Infidelium. V. 171. b. contra liberum arbitrium. V. 173. a. Contra fidem, spem, & timorem sine charitate elicitos. V. 174. Contra expositionem textus: *Sive manducatis, sive bibitis, &c.* V. 174. b. Contra præceptum referendi omnia opera in Deum. V. 175. a. Berti non tenet sententiam Baji in materia de libero arbitrio, ejusque viribus, si est sine gratia. V. 181. b. Quid Berti sentiat de gratia? V. 182. a. An Bellelli docuerit, Deum posse coli viribus naturalibus sine gratia. V. 184. a. §. I.

Gratia non omnis est efficax. VI. 73. a. Sed habet gradus suos. *ibid.* Quid sit gratia efficax, seu *adjutorium quo*? Quid gratia inefficax, *seu adjutorium sine quo non*? *ibid.* An gratia sufficiens sit idem, ac gratia efficax? VI. 78. b. Gratia sufficiens efficax est respectu actuum, ad quos datur juxta Congruistas, & Thomistas. VI. 89. a. An gratia efficax a sufficiente distinguatur entitative? VI. 90. a. Thomistæ, & Augustiniani conveniunt in explicandis gradibus gratiæ. *ibid.* b. Berti definitio gratiæ, quod sit *Illustratio mentis, & inspiratio S. Dilectionis*. Purgatur ab errore Jansenii demonstrando, eam desumi ex S. Augustino, & Dionysio Petavio. VI. b. 69. *& seq.* Propositio hæc Berti: *Gratia efficax est victrix delectatio, sive charitas, quæ superat contrariam cupiditatem*, non ex Jansenio, sed S. Augustino est desumpta. VI. 70. a. *& seq.* Idem sentiunt Molinistæ cum Stephano Dechamps. *ibid.* b. Congruistæ cum Vasquesio. *ibid.* b. Bellarminus. VI. 71. a. Antonius Massoulié Thomista *ibid.* Reginaldus. *ibid.* Franciscus Macedo. VI. 72. a. Brancatus de Laurea. *ibid.* Augustiniani omnes. VI. 73. a. Berti sententia, quod gratia modo sit efficax, modo inefficax, & habeat gradus suos, non est Jansenianа, sed ex S. Augustino, Norisio, & Macedo exscripta. *ibid. & seq.* Jansenii erroris character duplex est: unus in statu naturæ lapsæ, seu post lapsum Adami non agnoscere libertatem indifferentiæ: secundus vero negare aliud gratiæ adjutorium, præter gratiam efficacem, seu cum effectu conjunctam. VI. 80. a. Idem non admittit gratiam sufficientem. *ibid.* b. Jansenii hæresis, in iis, quæ ad gratiam, & liberum arbitrium attinent, a Calvini parum, vel nihil differt. VI. 81. b. Negavit æque Jansenius, ac Calvinus gratiam sufficientem. VI. 81. a. Quomodo a prima Jansenii propositione distent Augustiniani, & Thomistæ, qui dicunt, auxilia sufficientia non dari singulis, ac ad potentiam proxime expeditam requiri gratiam efficacem? VI. 85. b. Jansenianum non est dicere, justos habere gratiam sufficientem servandi præcepta, sed non semper efficacem. VI. 84. b. Quomodo præcepta possint servari ab homine, cum impleri nequeant sine gratia? VI. 85. b. *& seq.* An iis præcepta sint observatu impossibilia, quibus negatur gratia sufficiens? VI. 86. a. Quod justi semper habeant gratiam sufficientem servandi præcepta, non autem semper efficacem, docet Norisius. VI. 86. b. Tenentque Thomistæ. VI. 87. a. Jansenii propositio secunda, tertia, & quarta negant gratiam sufficientem distinctam ab efficaci, & nolunt admittere cum gratia efficaci stare libertatem indifferentiæ. VI. 88. a. Augustinianos, & Thomistas admittere gratiam sufficientem distinctam ab efficaci, probatur ex Norisio, & Macedo. *ibid.* Jansenius gratiam sufficientem in sensu Molinistarum, & Thomistarum rejicit tanquam inutilem, ac perniciosam. VI. 88. b. In quo sensu Jansenius admiserit gratiam parvam? *ibid.* Quomodo in sententia de gratia sufficiente, & efficaci Augustiniani, & Thomistæ differant a Jansenio? VI. 89. a. & b. Augustiniani in explicanda gratia efficace, & sufficiente conveniunt cum Thomistis. VI. 89. b. Stante gratia efficaci consentiet voluntas, quin tollatur libertas arbitrii. VI. 90. a. & b. Qualiter Augustiniani in doctrina de gratia efficaci differant ab Ægidianis? VI. 73. a. Berti, & Bellelli doctrina, quod gratia efficax sit reponenda in delectatione victrici, quæ superat minores gradus concupiscentiæ, Catholica est, non Jansenianа. VI. 74. a. Idemque docuerunt Norisius, Macedo. *ibid. & seq.* Ægidiani. VI. 74. b. Petrus Manso. *ibid. & seq.* Gonzalez de Albenda. VI. 75. a. Ulterius gratiam habere gradus, fatentur Graveson. *ibid.* Massoulié. *ibid.* b. Cui doctrinæ favet S. Thomas. *ibid.* Etiam Congruistæ debent Berti concedere gratiam relative efficacem, seu talem, quæ habeat gradus. VI. 77. a. Quomodo sententia Augustinianorum, & Congruistarum differant circa definitionem gratiæ efficacis? *ibid.* Quod Berti sententia, quæ negat, esse in homine lapso potentiam proxime expeditam sine gratia efficaci ad opus supernaturale, non sit obnoxia erori Jansenii, probatur ex Norisio. *ibid.* b. Macedo. VI. 78. a. Bellarmino. *ibid.* b. Didaco Alvarez. *ibid.* An, & in quo sensu Berti neget dari gratiam sufficientem? VI. 79. a. Quod id non faciat in sensu Jansenii, probatur ex Tournelio. *ibid.* Francisco Cumel. *ibid.* Brancato de Laurea. VI. 79. b. Ex Francisco Macedo. *bidi.* Ac Academia Lovaniensi. VI. 79. b. *& seq.* & 155. a. Berti contra Jansenium admisit libertatem indifferentiæ. VI. 82. a. Quomodo Berti liberum arbitrium conciliet cum gratia? *ibid.* Berti ostendit, doctrinam suam de libertate esse desumptam ex S. Thoma. *ibid.* Quale requiratur judicium rationis ad libertatem? *ibid.* Quomodo S. Thomas explicet libertatem? VI. 82. a. Regula libertatem conciliandi cum gratia. VI. 83. b. Tam pro statu innocentiæ, quam naturæ lapsæ ad recte agendum necessariam putant Thomistæ gratiam ab intrinseco efficacem. VI. 72. a. SS. Angelis datam esse gratiam efficacem, omnes fatentur Thomistæ. *ibid.* Quæ differentia inter gratiam Adamo, & Angelis in statu innocentiæ datam, & gratiam homini post lapsum concessam? *ibid.* Thomistæ constituunt gratiam efficacem in victrice delectatione. *ibid.* Jansenius vi primæ propositionis ait, inductam fuisse per peccatum Adami necessitatem peccandi, & e contra per gratiam Christi necessitatem bene operandi. VI. 85. a. An etiam amentes, parvuli in utero materno decedentes, Infideles, excæcati habeant gratiam sufficientem? VI. 92. a. & b. An gratiæ efficaci libere, vel necessario homo assentiatur? VI. 96. a. *& seq.* Quid desuper sentiat Jansenius, quid Berti? *ibid.* Qui defendunt gratiam per se efficacem nequeunt admittere æquilibrium libertatis. VI. 97. b. Æquilibrium libertatis pro statu naturæ lapsæ admittens sentit cum Pelagianis. VI. 98. a. Ac negat peccatum originale. *ibid.* Æquilibrium libertatis tanquam figmentum rejicitur a Bellarmino, Vasquez, & centum Episcopis Galliarum in acceptatione Constitutionis *Unigenitus*. *ibid.* b. *& seq.* Jansenii propositio quinta damnata est, quia asserebat, Christum pro reprobis, & iis, qui æternam salutem non consequuntur, non esse mortuum. a Christo pro omnibus reprobis sufficientia remedia non esse præparata, nec dari in Christo voluntatem generalem salvandi omnes. VI. 91. a. Berti e contra docet cum Catholicis, Christum pro omnibus esse mortuum, pro omnibus omnino hominibus instituisse Sacramenta, ac remedia præparasse: remedia tamen, & gratias præparatas non omnibus actu applicari. *ibid.* b. *& seq.* Idem docuit Lemosius *ibid.* Gonet. VI. 92. b. Dominicus Bannes. *ibid. & seq.* Objectiones Anonymi contra Augustinianos, quod Jansenium in doctrina de gratia sequantur, solvuntur. VI. 99. b. *& seq. tot.* §. VIII. Catholici doctores omnes conveniunt, quod omnibus omnino hominibus gratia sufficiens sit præparata: dissident vero in hoc: an omnibus hominibus dentur, & applicentur actu remedia sufficientia? VI. 93. a. & b. Prius est dogma fidei: alterum placitum Scholarum. VI. 94. b. Non est Jansenianum dicere, gratia præveniens consistit in delectatione indeliberata. VI. 100. b. Omnis gratia etiam parva & sufficiens excitat quidem, ac movet voluntatem, non tamen semper efficit illum effectum, cujus producendi veram confert potentiam. VI. 106. a. & b. Solvuntur objectionns Anonymi contra gradus concupiscentiæ, & gratiæ allatæ.

VI. 106. b. An sit Jansenianum dicere, gratiam sufficientem non dare potentiam proxime expeditam operandi effectum? VI. 107. b. A Berti, & Augustinianis non docetur, quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur eo sensu, quo docetur idem a Jansenianis. VI. 106. a. *& seqq.* Augustiniani agnoscunt cum gratia efficaci, seu delectatione victrice veram dissentiendi potentiam. VI. 109. a. & b. Semipelagianus probabiliter admisisse gratiam internam ad initium fidei, dici potest sine timore censuræ. VI. 109. b. *& seq.* Apertissimæ fallitatis convincitur, qui dicit, in Scriptis Berti negari, gratiam sufficientem esse distinctam ab efficaci. VI. 116. a. *tot.* §. II. Aperte constat, Berti defendere, libertatem indifferentiæ stare cum gratia non tantum sufficiente, sed etiam efficaci, & victrice. VI. 116. b. *tot.* §. IV. Non est Jansenianum, gratiam statuere in delectatione indeliberata. VI. 118. b. Berti sententia comprobatur, quod non sit necessaria ad imputationem peccati præsens, & actualis divinæ gratiæ inspiratio. VI. 121. a. Ostendit Berti, se non negare gratiam vere sufficientem. VI. 122. b. *& seq. tot.* §. VII. *&* VIII. Nec convenire cum Jansenio in explicanda gratia efficaci, sufficiente, ac parva. *ibid.* Non male gratia sufficiens a Berti vocatur inefficax. VI. 126. b. Berti se defendit contra Anonymum, quod admiserit omnibus hominibus præparari sufficientia remedia, & gratias tam internas, quam externas. VI. 130. a. Ostendit Berti ad voluntatem antecedentem Dei salvandi omnes homines non pertinere, dare omnibus remedia, & gratias sufficientes, sed præparare. VI. 131. a. *& seq.* Apparet ex opere Berti eum admisisse, dari reprobis gratias sufficientes. VI. 134. b. Bellelli nullibi docuit, delectationem victricem, seu gratiam efficacem inferre libero arbitrio necessitatem antecedentem. VI. 135. b. *tot.* §. I. Bellelli docet, gratiam sufficientem omnibus esse præparatam hominibus, etiam Infidelibus, & peccatoribus. VI. 136. a. & b. Secundum Bellelli omnes habent gratiam orandi pro gratia sufficiente. VI. 137. a. An Tridentinum sess. 6. cap. 5. can. 8. loquatur de gratia sufficiente, vel efficace? VI. 144. b. Quomodo Bellelli explicet illud: *Sine gratia homo non potest operari bonum?* VI. 141. a. In quo sensu Bellelli vocet gratiam sufficientem gratiam parvam? VI. 142. b. Anonymus criminatur, Bellellium male uti exemplo oculorum in explicanda gratia. VI. 141. a. Quomodo Bellelli docuerit, non posse resisti gratiæ efficaci? VI. 143. b. *& seq.* Bellellio non nocet, quod doceat, esse difficultatem conciliandi gratiam cum libertate. VI. 147. b. Bellelli non negat gratiam sufficientem. VI. 158. b. *& seq.* Bellelli non docuit, gratiæ efficaci resisti non posse. VI. 159. b. An dicat, primam gratiam esse fidem inchoatam? VI. 160. a. Bajus circa gratiam Angelorum, & Adami, undecim habet propositiones; quis sit harum sensus? & quomodo eædem doctrina Augustinianorum refutentur? VI. 169. a. & b. Ostenditur contra Bajum, integritatem, justitiam, & immortalitatem fuisse dona gratiæ supernaturalia. *ibid.* Bajus negat, ad opera bona requiri gratiam habitualem. VI. 171. b. *& seq.* Bajus docet, omne bonum opus mereri gratiam sanctificantem, hominem justificari sine gratia per solam obedientiam mandatorum: longe aliter scribunt Augustiniani. VI. 172. b. *& seq.* Examinantur propositiones Quesnellii de gratia datæ, & oppugnantur. VI. 177. b. Item propositiones de gratia Adamo, & Angelis concessa. VI. 180. b. *& seq.*

Circa hanc hæresim docuit Origenes. II. 27. b. *& seq.* Quod gratia detur secundum merita nostra, docuit Origenes. II. 27. a. Quas gratias agnoverit, & admiserit Pelagius. II. 30. b. & 33. b. *& seq.* Christi gratia mentem illuminat, & voluntatem adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. II. 33. b. *& seq.* Pelagius admittit gratiam remissivam peccati, & quidem internam, non solius extrinsecæ imputationis. II. 36. a. *& seq.* Non autem agnoscit gratiam adjuvantem ad vitanda peccata. *ibid.* b. Idem asserebat, quod homo acquirat gratiam remissivam peccati secundum merita. *Ibid.* Vide *Adam*.

Gratia actualis quid sit, II. 37. b. *tot. cap.* VII. Actualis gratia etiam requiritur ad actus supernaturales. II. 37. a, & b. Etiam justi indigent gratia actuali. *ibid.* An & Adam eadem indigebat. *ibid.* Potius consistit in delectatione quam illuminatione. *ibid.* An gratia Dei consistat in motione quadam. II. 38. b. An gratia sit qualitas. II. 39. a. An gratia actualis sit ipsa voluntas, & beneplacitum Dei. II. 38. a. Quid sit gratia gratis data, & gratia gratum faciens. II. 39. b. Quid sit gratia præveniens, & subsequens. *ibid.* An a præveniente distinguatur operans vel excitans. I. 40. a. An a subsequente differat cooperans & adjuvans. *ibid.* Quid sit gratia congrua. *ibid.* Quid sit gratia sufficiens & efficax. *ibid.* An omnis gratia sit gratia sufficiens. *ibid.* Gratia actualis, seclusa quacumque injustitia ex parte Dei, aliquibus conceditur, aliquibus vero negatur. II. 146. *usque ad* 149.

Gratia efficax. Quanta sit necessitas delectationis victricis seu gratiæ efficacis. II. 40. a. Hanc S. Augustinus vocat adjutorium *quo. ibid.* b. Sine gratia efficaci nil boni operatur liberum arbitrium. *ibid.* Error Jansenii de gratia. *ibid.* Gratia efficax est delectatio victrix. *ibid. & seq.* Quid sit gratia medicinalis. *ibid.* per gratiam efficacem vincit voluntas concupiscentias malas. II. 40. b. Gratia habet gradus, ita ut modo sit efficax, modo sufficiens. II. 40. a. & 41. b. *& seq.* Et hoc fit secundum beneplacitum divinum. II. 42. a. Quomodo timor Domini sit gratia, cum omnis gratia sit charitas. II. 42. b. An detur gratia ab intrinseco efficax. II. 44. a. *& seq.* An gratiæ efficacia dependeat a consensu arbitrii nostri. *ibid.* b. In quo consistat gratia efficax in sensu Congruistarum. *ibid. & seq.* An gratia efficax consistat in cumulo gratiarum. II. 45. a. Cur Deus uni det gratiam efficacem & non alteri. II. 48. b. *& seq.* Gratia efficax justis aliquando deest, ut vitent minima quædam peccata. II. 105. a. Illis aliquando subtrahitur gratia efficax ad perseverandum. *ibid.* Illis volentibus servare divina præcepta, semper adest gratia orationis, per quam impetrare possunt gratiam efficacem. *ibid.* Non omnibus justis aliquando Deus præbet gratiam robustam, atque effectricem, & cur. II. 106. a. In quo sit constituenda gratia efficax. II. 141. a. & b. Gratia efficax nunquam injicit vinculum necessitatis humanæ voluntati. II. 108. a. & b. Quomodo cum ipsa concilietur libertas. *ibid.* Vide *Languetius*. An Adam & Angeli habuerint gratiam efficacem. II. 44. a. & 49. b. An gratia efficax sit æque necessaria homini innocenti, ac lapso. II. 49. a. *& seq.* Molinæ sententia rejicitur, quam tradidit de gratia efficaci. II. 44. a. *per tot. cap.* IX. *&* 53. a. *& seq.* Quæ pericula ejus sententia subierit. II. 51. b. *& seq.* Quo anno eam sparserit, quibus censuris sit affecta. *ibid.* Sententia S. Augustini de gratia efficaci non est obnoxia errori Jansenii. II. 42. a. & 51. b. Gratiam ab intrinseco efficacem dari probatur. II. 43. a. *& seq.* Objectiones contrariæ solvuntur. II. 53. a. *tot. cap.* XI. Quomodo intelligendum illud, *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam*. II. 55. b. *tot. cap.* XII. An homo per opera naturalia possit promereri gratiam supernaturalem de congruo. *ibid.* An per eadem homo se possit disponere ad gratiam. *ibid.* An facta prædestinatione per gratiam inutiles sint hortationes, & correctiones. II. 59. a. An gratia efficax tollat libertatem. II. 42. b. Ac item 50. a. *item* 53. a. *& seq. pariter* 60. b.

Gratiæ necessitas. An initium fidei sit ex nobis sine gratiæ præventeris auxilio. II. 27. b. & 56. a. *item* 59. a. *& seq. pariter* 60. b. *denique* 67. a. *tot. Cap.* IV. Quomodo fides sit primus effectus gratiæ. II. 68. b. An Semipelagiani nullam gratiam interiorem necessariam dixerint ad initium fidei. II. 65. b. *tot. cap. V.* & 95. b. Quid desuper sentiat Jansenius. II. 68. b. Idem docuit, impossibile esse servare præcepta divina sine gratia victrice. II. 87. b. An homini justo desit gratia, sine qua aliqua præcepta Dei sunt servatu impossibilia. II. 90. b. Propositio Jansenianа est, gratiæ Dei interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resisti. II. 93. a. Cui opponitur S. Augustinus. *ibid.* Gratia efficax amplius explicatur. II. 93. b. & 97. b. *& seq.* An gratia sufficiens in sensu Thomistarum sit vere sufficiens. II. 94. b. *& seq.* An veritas quædam naturalis speculativa, vel practica possit cognosci sine gratia supernaturali. II. 115. a. *& seq. tot. cap.* I. An etiam omnes veritates naturales *collective* sumptæ. *ibid.* b. An opera Infidelium, & impiorum ex defectu status gratiæ sint mera peccata. II. 116. b. *& seq.* Qualis gratia Infideli sit necessaria ad non peccandum. II. 117. b. *& seq.* Non datur perfecta virtus sine gratia. *ibid.* Nec Infidelis sine gratia potest virtutem exercere. *ibid. & seq.* An ad opus moraliter bonum requiratur gratia. II. 118. b. *tot. cap.* III. Quomodo in materia hac differant Doctores Catholici a Novatoribus. II. 119. a. Quid in eadem sentiat Vasquesius. *ibid.* Gratia congrua explicatur. *ibid.* Ostenditur gratiæ actualis necessitas ad servanda præcepta Decalogi. II. 122. a. *tot. cap. IV.* Non possumus Deum diligere super omnia sine gratia. *ibid.* b. *& seq.* Nec proximum. II. 123. b. An sine gratia Deus posset diligi super omnia in statu naturæ puræ. II. 124. a. Propositiones Baji de gratia, Vid. *Bajus*. Gratia Christi est necessaria ad vitandum peccatum, & tentationes vincendas. II. 126. b. *tot. cap.* V. Imo etiam ad omnia peccata venialia. II. 127. a. *tot. cap.* VI. An hoc etiam procedat de B. Virgine. II. 128. a. Et de S. Joanne Baptista. *ibid.* a. Donum perseverantiæ est gratia specialis. II. 128. b. *tot. cap.* VII. Gratia, qua ad perseverandum indiguit primus homo, longe differt ab illa, qua opus habent homines post lapsum. I. 311. a.

Gratia sufficiens quid sit, & in quo sensu a Berti accipiatur. II. 139. b. & 140. a. Est eadem ac gratia excitans. *ibid.* An sit constituenda in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis. II. 140. b. Quid sint isti actus intellectus, & voluntatis. *ibid. & seq.* Auxilium sufficiens in ordine ad actum, cujus excitat cogitationem aliquam; & desiderium, comparate ad ipsam cogitationem, piumque desiderium, est efficax. II. 142. b. & 143. a. Gratiam sufficientem esse donum Dei, & excedere naturæ ordinem, probatur contra Pelagianos &c. II. 143. b. An spectata Christi redemptione omnibus conferatur. II. 146. 147. & 148. a. & 150. a. & b. An juste redargui possint peccatores, quibus denegatur sufficiens auxilium, sine quo e peccatorum suorum cœno consurgere nequeunt, imo ne cogitare. II. 150. b. & 151. a. & b. An gratia sufficiens omnibus detur. II. 131. a. *tot. cap.* VIII. Gratia sufficiens omnibus præparatur. II. 132. a. Quod eam præparatam omnes recipiant non est de fide. II. 132. a. *& seq.* Ad imputationem peccati non est necessaria actualis inspiratio divinæ gratiæ. *ibid.* b. *& seq.* An homini possit imputari peccatum sine gratia sufficiente. *ibid.* An meritum. *ibid.* Quid sit gratia orationis, & an omnibus detur. II. 131. b. Cuilibet fideli adest gratia orationis, ut possit impetrare auxilium sufficiens ad servanda mandata. II. 133. b. Non item Infideli. *ibid.* Nullus habet potentiam orandi conjunctam cum actu sine gratia efficaci. *ibid. & seq.* Gratia sufficiens subinde denegatur ob humanum demeritum. II. 134. a. *& seq.* An parvuli sine Baptismo decedentes habeant gratiam sufficientem. II. 131. b. *& seq.* An Infideles. *ibid. & seq.* An obdurati. II. 135. b. *& seq.* Non Deus, sed peccator est causa, cur ipsi subtrahatur gratia sufficiens. II. 136. a. *& seq.* Quid sit gratia creata, & increata. II. 137. a. An illis, quibus denegatur gratia sufficiens, præcepta Dei revera dici queant impossibilia. II. 151. b. & 152. a. & b. Quænam spes salutis maneat illis, quibus justissimo Dei judicio subtrahitur. II. 152. b. An ad vitandam censuram secundæ Jansenianæ propositionis necessum sit affirmare gratiam illam, cui in statu naturæ lapsæ reluctatur liberum hominis arbitrium, esse *revera sufficientem*. II. 106. b. & 107. a. & b. & 108. a. Quid intelligatur nomine gratiæ sufficientis in sensu Grammaticali. II. 106. b. Quid in sensu Theologico. *ibid.* & 107. a. Cur appelletur sufficiens. II. 107. a. Quomodo appelletur sufficiens, si, ut explicatur a Thomistis, cum illa tantum, absque gratia efficaci, homo numquam bene operatur. II. 107. a. & b. An ex hoc recte inferatur gratiam sufficientem esse inutilem. *ibid.* b. Quo pacto distinguatur ab efficaci. *ibid. & seq.* Vide *Languetius*. An peccata ex defectu gratiæ sufficientis commissa possint imputari ad culpam. II. 138. a. Quodnam sit discrimen inter viatores, & damnatos a gratia alienos. II. 139. b.

Gratia sanctificans quid sit. II. 153. a. *& seq.* Pelagius non negavit gratiam sanctificantem; sed eam in sensu Catholico non admisit. II. 36. a. *& seq.* Pelagius voluit, ut parvuli baptizentur ad obtinendam gratiam sanctificantem. *ibid.* Quomodo conferatur. II. 153. a. *& seq.* Per eam nobis communicatur Spiritus S. *ibid.* b. An gratia sanctificans distinguatur a charitate. II. 154. a. Lutherani docent, eam con-

Jurisdictio. Sacerdos ut sit Minister legitimus confessionis, extra mortis articulum debet habere jurisdictionem, & approbationem ab Episcopo. IV. 193. b. Sacerdos in Ordinatione accepit potestatem absolvendi; per jurisdictionem autem, & approbationem Episcopi acquirit subditos, in quos exercere possit potestatem. *ibid.* An Sacerdos sine ista jurisdictione, & approbatione nec veniale absolvere possit? *ibid.* An Parochus possit excipere confessiones in alia Parochia, anque amissa Parochia etiam amittat jurisdictionem? IV. 194. a. An Regularis possit audire confessiones Monialium, jurisdictioni Regularium subjectarum sine speciali deputatione Episcopi? IV. 193. b. *& seq.* An etiam Doctor, vel laurea decoratus teneatur subire examen pro obtinenda jurisdictione audiendi Confessiones? IV. 194. a. Sacerdos non Parochus debet habere jurisdictionem ab hoc delegatam ad hoc, ut possit dare extremam unctionem. IV. 243. a. De jurisdictione Episcopi electi ante consecrationem. IV. 273. a. Omnem ordinis, & jurisdictionis potestatem, ac Episcoporum supra Presbyteros præeminentiam negant Hæretici. IV. 276. b. Refutantur. *ibid. & seq.*
Jus. Quæstiones circa dogmata fidei dicuntur quæstiones juris. II. 100. a. In his definiendis non potest errare Papa, vel Ecclesia. *ibid. & seq. tot. cap.* V. & VI.
An Deus habuerit dominium, & jus absolutum in corpus, & vitam Christi qua hominis? III. 111. a. An satisfactio Christi fuerit rigorosa, & secundum juris apices. III. 120. b. *tot. cap.* VI. An creatura possit satisfacere Deo pro peccato mortali, aut veniali ad juris apices. III. 192. b. & 125. a. *tot. cap.* VIII.
An Judæi tempore Christi habuerint jus gladii? IV. 48. b. *& seq.*
Quid sit jus? II. 174. b. Dividitur in naturale, positivum, divinum, humanum, Ecclesiasticum, Canonicum, & civile. *ibid.* In publicum, & privatum. *ibidem*. Quid jus gentium? *ibid.* An jus naturale etiam brutis conveniat? *ibid.* Quid jus Romanum, quid jus primævum, & secundarium, & personale, & locale? *ibid.* Juris universi summarium est decalogus. II. 189. b. Jura Sacerdotum nequeunt usurpari a terreno Principe. II. 211. b. Quo jure Clerici, & eorum bona gaudeant immunitate? II. 213. b. & 215. a.
Jus Canonicum est a variis collectum. II. 217. a. Præcipue ab I. Isidoro, & Gratiano. *ibid.* An compilator fuerit Isidorus Mercator, an Isidorus Hispalensis? *ibid.* a. & b. Qualem habeant auctoritatem Decretales ab Isidoro collectæ? II. 217. b. Quinam Canones veterum sint genuini, & qui spurii? II. 218. a. Qualem auctoritatem habeant decretales Gratiani? *ibid. & seq.* Quid sit palea? *ibid.* b. Quibus partibus constet jus Canonicum? *ibid.* Quomodo faciendæ, & legendæ citationes juris Canonici? *ibid.*
Jus Civile quid sit? II. 174. b. An debeat promulgari in singulis provinciis? II. 203. a. An post promulgationem statim obliget? *ibid. & seq.* An ad hoc requiratur acceptatio populi? II. 204. a. *& seq.* Quæ distinctio inter jus civile, & Ecclesiasticum? II. 204. b. *& seq.* Etiam jus civile obligat in conscientia. II. 206. a. *& seq.* Hoc negarunt Waldenses. *ibid.* Et Gerson. *ibidem*. An etiam cum periculo vitæ? II. 207. b. *& seq.* An possit præcipere actum internum? II. 208. a. *& seq.* Jus civile, & spirituale possunt simul stare. II. 211. a. *& seq.* Sic fit in Papa. *ibid.* Jus civile nequit minuere immunitatem Ecclesiasticam. II. 215. a. *& seq.* Traduntur quædam rudimenta circa jus civile. II. 219. b. Quid dicendum de jure civili Atheniensium, & Atticorum? *ibid.* Quid jus civile statuat de matrimonio? *ibid. & seq.* Jus civile Romanorum quomodo dividatur? II. 220. a. Quid statuat de Religione, & de cultu parentum? *ibid.* Quid de homicidio? *ibid.* Quid de fornicatione, & libidine? II. 219. b. Quid de furto? *ibid.* a. & b. Quid de conviciis, falso testimonio, & calumnia? II. 219. a. An jus Atticorum, & Atheniensium conveniat cum jure Romanorum? *ibid.* b. *& seq.* Jus civile antiquum cohæret cum libris Genesis, Exodi, & Levitici. II. 221. a. An derivetur a lege Hebraica? *ibid.* An præter jus civile dentur etiam statuta? II. 221. b. Quibus partibus constet jus civile? *ibid.* Quomodo faciendæ, & legendæ citationes juris civilis? *ibid.* Quis in eo dispenset? II. 222. b.
Jus naturale. An nulla opinio probabilis in materia juris naturalis excuset a peccato? II. 265. a. *& seq. tot. cap.* XVII. Vid *Lex*.
Justificans. An fides distinguatur a gratia justificante? II. 290. b. *ac* 312. a. Vid. *Gratia*, vel *Charitas*.
Justificatio quomodo distinguatur a prædestinatione? I. 138. b. Est effectus prædestinationis. I. 157. b.
An justificationis meritum sit ex nobis sine gratiæ auxilio. II. 59. a. *& seq.* & 56. a. Habet varias significationes. II. 153. a. Datur a vera justificatio. *ibid.* Quæ non sit per extrinsecam imputationem justitiæ Christi. *ibid.* Sed per justitiam inhærentem. *ibid.* b. Per hanc nobis communicatur Spiritus S. *ibid.* An gratia justificationis distinguatur a charitate. II. 154. a. Lutherani docent, eam conferri per solam remissionem peccatorum. II. 155. a. *& seq.* Calvinistæ vero eandem constituunt in imputatione justitiæ Christi. *ibid.* Justificatur impius per gratiam & charitatem, quæ in cordibus per Spiritum S. diffunditur, & eis inhæret. *ibid. & seq.* An Deus hominem justificans vere illi remittat peccata. II. 157. a. *tot. cap.* III. An gratia justificans, & peccatum possint simul stare. II. 158. a. Quomodo adulti ad justificationem disponantur. *ibid. tot. cap.* IV. Justificatio non obtinetur per solam fidem. II. 159. b. *tot. cap.* V. Quæ fides sit initium nostræ justificationis. II. 160. b. Gratia justificans facit opera de *condigno* meritoria. II. 163. b. & 165. b. *& seq.* Opera, quæ præcedunt justificationem, sunt meritoria de *congruo*. II. 166. b. *& seq.* Opera autem sequentia sunt meritoria *de condigno*. II. 167. a. *& seq.* Initium gratiæ justificationis non possumus promereri. II. 168. b. Bene vero illius augmentum. *ibid.* Perseverantiam in gratia justificationis etiam solum ad tempus de condigno non possumus promereri. *ibid.* Uti nec reparationem illius post lapsum. *ibid.* Minus possumus promereri perseverantiam in gratia justificante finalem. II. 169. a.

169. a. Quare de condigno possimus promereri vitam æternam, & cur non perseverantiam finalem. *ibid.* An perseverantia finalis, nec de congruo possit obtineri. *ibid.* Justi possunt aliis promereri gratiam justificationis de congruo. *ibid. & seq.* Quas proprietates heterodoxi requirant in justificatione. II. 169. b. Potest amitti. *ibid.* Nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quod sit in gratia justificante. II. 171. b. An homo possit desuper habere certitudinem spei. *ibid.* Quinam habuerint revelationem, quod sint in gratia habituali. *ibid. & seq.* Gratia justificationis non est æqualis in omnibus justis. II. 172. b.

Qualis fides sit necessaria ad justificationem consequendam? II. 306. b. *& seq.* Justificationem præcedit spes. II. 314. a. Qualiter charitas operetur justificationem? II. 319. b.

Charitas initialis ad justificationem disponit, sed se sola sine pœnitentiæ Sacramento peccata non delet. IV. 161. b. Hæc sententia non est obnoxia propositionibus, & erroribus Baji. IV. 162. a. & b. Timor servilis non videtur sufficere ad justificationem sine charitate Dei saltem initiali. IV. 148. a. *tot. cap.* V. & VI. Timor servilis est donum Dei, ac impulsus Spiritus S. *ibid.*

Opera bona ante justificationem peracta non sunt peccata, sed tantum non sunt meritoria vitæ æternæ. V. 92. a. *& seq. tot. cap.* I. II. & III. Gratia Spiritus S. movens ad actus fidei, spei &c. non justificat peccatorem, sed ad justificationem disponit. V. 87. a. *& seq. tot. cap.* I. Quomodo fiat juxta communiorem Theologorum sententiam, & quomodo fiat juxta sententiam Baji? V. 100. a. Justificatio impii non consistit in obedientia mandatorum. V. 104. a. In sensu Baji datur justificatio sine remissione peccatorum. V. 88. b. *& seq. ac* 104. a. Sententia, quod Sacramento Pœnitentiæ requiratur charitas initialis, quæ tamen non semper justificationem conferat, non potest censura notari. V. 115. b. Augustiniani ad opus bonum requiruntur gratiam, non justificantem, sed actualem, ac moventem ad justificationem. V. 162. a.

Quas Bajus tradiderit propositiones circa justificationem. VI. 172. b. *& seq.* Vid. *Gratia.*

Justificatus. Putant hæretici, quod hic sciat certo, se non posse excludi a gloria, nec excidere a gratia. II. 277. b.

Justinianus Imperator credidit, Christum habuisse corpus incorruptibile. III. 35. b. Voluit in hanc sententiam omnes compellere Episcopos. *ibid.* Edidit edictum contra tria Capitula. III. 65. b. Alia inter hunc, & Vigilium Papam agitata examinantur. *ibid. & seq.*

Justinus (S.) cecidit in errorem Papæ Millenarii. I. 82. a. Concordatur cum Tertulliano. I. 85. b. *& seq.*

Quænam sint opera ipsius genuina. I. 218. a. Divinitatem Verbi propugnavit. *ibid. & seq.* An docuerit, adorandos esse Angelos. *ibid.*

Justinus non admittit posse aliquem salvari, si negat Divinitatem, aut Incarnationem Verbi. II. 276. a. *& seq.* In quo sensu dicat Socratem, & Heraclitum Christianos? *ibid.* b.

Justitia. An Adam sit productus cum justitia originali. I. 306. a. *& seq.* Quid hæc importet. *ibid.* Hæc Adamo non fuit naturaliter debita. I. 324. a. *tot. cap.* I. II. & III.

An initium justitiæ sit ex nobis sine gratiæ auxilio. II. 59. a. Non datur perfecta justitia sine gratia. II. 117. b. An justificatio nostra fiat per extrinsecam imputationem justitiæ Christi. II. 153. a. *ac* 155. a. An per justitiam inhærentem. II. 153. b. Qualis detur justitia Deum inter & hominem. II. 163. b. & 164. b.

Justitia ut virtus cardinalis plures alias complectitur. II. 229. b.

Potuisse Deus non petere satisfactionem a nobis ob peccata secundum rigorem justitiæ. III. 102. b. An Deus peccasset contra justitiam, si sine pœna condonasset peccata nostra. III. 102. b. *& seq.* Socinus docet, nullam Dei justitiam postulare, ut peccata puniantur. III. 104. a. Decem propositionibus demonstratur, quod non sit contra justitiam, Christum pro nobis esse passum. III. 104. a. *& seq.* An in Deo sit justitia vindex peccatorum, & constans voluntas puniendi peccatores. III. 109. a. & 110. b. *& seq.* Quos effectus Divinæ justitiæ tribuat Crellius. *ibid.* Noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita divinæ justitiæ satisfactione, sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sumus. III. 109. b. *& seq.* Redemptio hominis non fuit condonatio, sed actus veræ justitiæ. III. 110. a. Decebat quam maxime, ut ob peccata nostra Divinæ justitiæ condigna fieret satisfactio. III. 110. b. In passione Christi eminebant justitia, & misericordia. *ibid.* & 118. a. & b. Voluit Christus hominem a dæmonis tyrannide liberare non potentia, sed justitia. *ibid.* Fuit justitia conveniens, quod Christus innocens subierit crucis supplicium, & ei peccata nostra imputentur. III. 111. a. & 104. a. *item* 118. a. & b. Solvuntur sophismata Socini. III. 113. a. *tot. cap.* V. & 124. a. *tot. cap.* VII. Probatur Christum satisfecisse secundum justitiam. *ibid.* An secundum rigorem justitiæ, & juris apices. III. 120. b. *tot. cap.* VI. Quid requiratur ad justitiam rigorosam? *ibid.* An creatura possit satisfacere Deo pro peccato mortali aut veniali ex justitia rigorosa. III. 102. b. & 125. a. *tot. cap.* VIII.

Pœnitentia est vera virtus, spectatque quandoque ad charitatem, aliquando vero justitiam. IV. 132. a.

Bajum ait, originalem justitiam, integritatem, immunitatem a morte &c. esse proprietates Adamo ante lapsum naturaliter debitas, ita, ut gratia, sanctitas, & justitia respectu nostri sint dona supernaturalia post lapsum, quæ fuissent naturalia, si Adam non peccasset. V. 123. a. Hæc Baji opinio colligitur ex aliis ipsius propositionibus pariter damnatis. V. 126. a. *& seq. tot.* §. II. & III. Ac confirmatur ex propositione 35. Quesnellii. V. 128. b. *tot.* §. IV. Bellarminus in sententia de statu naturæ puræ Bajum, Lutherum, & Calvinus hæreseos reos pronuntiat, quia putant, justitiam, & integritatem originalem non fuisse donum supernaturale. V. 123. a. & b. & 128. b. Triplici sensu aliquid juxta Bajum dicitur naturale. V. 128. a. Quomodo secundum Bajum originalis justitia, gratia, sanctitas, & integritas fuerint dona naturalia. V. 136. b. Vid. *Integritas.*

Justitia Originalis cur non potuerit ab Adamo per pœnitentiam recuperari? IV. 225. b. & 226. a. Deus remuneratur opus meritorum ex justitia, & liberalitate. IV. 226. a.

Justus. An justi videant Deum oculis corporeis in cælo? I. 76. b. *& seq.* An justorum animabus clara Dei visio sit differenda usque post diem Judicii? I. 82. a. *& seq. ac* 85. a. *& seq.* In escis, potu, divitiis non consistet felicitas justorum. I. 82. a. *& seq.* Quid de eorum præsenti statu sensenserint SS. Ambrosius, Augustinus, & Bernardus? I. 88. b. *& seq.* Quid Joannes XII. I. 91. *& seq.* De inæquali gloria Sanctorum. I. 92. b. *& seq.* Justi in Deo vident Unitatem, Trinitatem, ac omnia attributa. I. 94. b. Quæ justis cognitio competat de terra, cælo, ac rebus, quæ in terra fiunt? *ibid.*

Etiam justi indigent gratia actuali. II. 37. a. *& seq.* An etiam justis desit gratia, ad servanda omnia Dei præcepta, necessaria. II. 90. b. *& seq.* Non deseritur a Deo, nisi prior Deum deserat. II. 91. a. Nec justus potest vitare omnia peccata venialia sine gratia speciali per totam vitam. II. 127. a. *tot. cap.* VI. Cur justus dicatur templum Spiritus Sancti; & cur dicatur signatus Spiritu Sancto. II. 154. a. An justi possint aliis promereri gratiam sanctificantem saltem de congruo. II. 169. b. Justus potest peccare, & peccando gratiam sanctificantem amittere. *ibid.* b. *& seq.* Gratiam sanctificans non est æqualis in omnibus justis. II. 172. b. Justis aliquando deest gratia efficax, qua vitent minima quædam peccata. II. 105. a. Illis aliquando subtrahitur gratia efficax ad perseverandum. *ibid.* Justis volentibus servare divina præcepta semper adest gratia orationis, per quam impetrare possunt gratiam efficacem. *ibid.* Illis ad actu orandum est necessaria gratia suapte natura efficax. II. 105. b. Justi aliquando, licet gratia habituali exornati, & suffulti adjutorio proxime sufficienti ad orandum, actu non orant, imo obicem ponunt potentiæ proximæ ad ponendum actum orationis. II. 105. b. & 106. a. Aliquibus justis aliquando Deus gratiam præbet robustam, atque effectricem, quam aliquibus aliis justis denegat, & quæ causa hujus œconomiæ proferri possit? II. 106. a.

Ab observatione legis Novatores excipiunt cœtum *Justorum.* II. 176. a.

An justi veteris testamenti salutem sint consecuti sine satisfactione Christi. III. 117. a. & b.

Inter justum & peccatorem non datur medium, bene vero inter cupiditatem habitualem, & charitatem habitualem, mediant actus fidei, spei &c. V. 103. b. Cur justi in hac vita afflingantur? V. 137. a. & b.

Jansenii prima propositio ait, aliqua Dei præcepta esse impossibilia hominibus justis; Catholici ajunt, nec ulli peccatorum esse aliqua præcepta impossibilia. VI. 84. b. *& seq.* Jansenianum non est dicere, justo habere gratiam sufficientem servandi præcepta, sed non semper efficacem. *ibid.* Quod justi semper habeant gratiam sufficientem servandi præcepta, non autem semper efficacem, docet Norisius. VI. 86. b. *& seq.* Tenentque Thomistæ. VI. 87. a. Decipitur, quisquis ait, Berti existimare, aliqua præcepta esse justis impossibilia. IV. 115. b. *& seq. tot.* §. III. Imo non justis tantum, sed etiam cuilibet fideli, ac impio præcepta sunt possibilia. VI. 116. a.

K

K*emnitius* male definit Sacramentum dicens, non esse signum efficiens gratiæ. III. 171. b. *& seq.* Effutit, Sacramentum Pœnitentiæ esse factum a Petro Lombardo. III. 194. a. Negat, ad effectum Sacramentorum requiri intentionem Ministri, sed fidem suscipientium, quæ sola justificat. III. 211. b. *& seq.* Refutatur. *ibid. & seq.* Secundum Kemnitium character Sacramentalis est figmentum scholasticum. III. 238. a. Impugnatur. *ibid. & seq.*

Negat Confirmationem esse Sacramentum. IV. 3. a. Impugnatur. *ibid. & seq.* Kemnitius falso affirmat, de fide esse, requiri ad Chrismatis confessionem balsamum. IV. 16. a. Putat vetum balsamum non amplius haberi. *ibid.* Quæ maledicta effuderit in Chrisma? IV. 10. a. Contra Græcos Schismaticos, Waldenses, Hussitas, Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, & alios hæreticos probatur Ministrum ordinarium Confirmationis esse Episcopum. IV. 21. b. Gratiam Sacramento Confirmationis conferri, negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, ac Novatores propemodum omnes. IV. 33. a. Contra hos probatur, Confirmatione conferri aliquam gratiam sanctificantem. IV. 33. b. Laudabilissime in festo Corporis Christi fit Processio, & circumgestatio SS. Corporis Christi. IV. 93. b. Hæc processio ortum habet ab Urbano IV. *ibid.* Eadem reprobatur a Kemnitio. IV. 94. a. Kemnitius negat pœnitentiam esse Sacramentum. IV. 133. a. Vid. *Chemnitius*, vel *Lutherus.*

L

L*aborantes* quid essent. IV. 265. a. & b.

Lac. Omnis aqua naturalis est materia apta Baptismi. III. 263. a. & b. Quænam sit aqua naturalis? *ibid.* Aqua naturalis & materia sufficiens Baptismi non sunt sudor, lacrymæ, vinum, cervisia, lac &c. III. 263. b.

La-Croix (P.) Theologia Moralis damnata fuit, ignique tradita a Senatu Tolosano, & cur. II. 356. a. & b. Anonymi Epistola adversus Judicium Tolosani Senatus eundem subiit fatum. II. 356. b.

Lacrymæ quomodo in Christo fuerint. III. 43. a. Omnis aqua naturalis est materia apta Baptismi. III. 263. a. & b. Quæ sit aqua naturalis. *ibid.* Aqua naturalis & materia sufficiens

Baptismi, non sunt sudor, lacrymæ, vinum, cerevisia, lac &c. *ibid.* b. Contritio procedat ex corde sincero, sitque interna, unde lacrymæ non sunt semper signum Contritionis. IV. 143. a. & b.

Lactantius cecidit in errorem Papiæ Millenarii. I. 82. a. Filii divinitatem propugnavit. I. 226. a. Num tribuat corpus Deo. I. 47. a. An negaverit Dei immensitatem. I. 55. b. & 56. a.

Laicus nequit facere Ecclesiasticam legem. II. 209. b. *& seq.* Potestas Laica, & Ecclesiastica potest simul stare. II. 211. a. Uti videmus in Papa. *ibid.* Calvinus laicis omnibus denegat potestatem ministrandi Baptismum etiam in mortis articulo. III. 203. b. An laicus committat sacrilegium, si urgente necessitate Baptismum confert in peccato gravi constitutus? III. 209. b. Probatur contra Calvinum, & Græcos recentiores, quod in casu necessitatis homo quilibet etiam laicus possit absque solemni ritu administrare Baptismum. III. 279. b. & 281. b. Si in necessitate adsit Clericus, laicus, vir, & fœmina, quis debet dare Baptismum? III. 282. b. *& seq.* An laicus, vel fœmina peccatum grave committant, si in necessitate baptizant præsente Clerico? III. 283. a. An laicus solemniter baptizans non solum committat peccatum grave, sed etiam irregularitatem incurrat? III. 283. b. Waldenses, & Lutherani omnes laicos Eucharistiæ Sacramenti Ministros dicunt: Marcionitæ, ac Pepuziani etiam mulieres admiserunt. IV. 95. b. Laici nec in defectu Sacerdotum possunt sacrificare, aut conficere Eucharistiam. IV. 96. a. Laici non sunt Ministri Eucharistiæ. IV. 96. a. & 97. a. Frumentius non laicus fuit, dum in India sacrificabat, sed Sacerdos, & Episcopus. IV. 97. a. Quid sit Communio laica, & peregrina? IV. 97. b. Eucharistiæ Communio sub utraque specie data fuit ab initio Ecclesiæ etiam laicis usque ad sæculum duodecimum. IV. 100. b. Sumere Communionem sub utraque specie nunquam fuit de præcepto respectu laicorum. *ibid. & seq.* In domibus laicorum solus consecratus panis asservabatur. IV. 102. a. Jure optimo laicis usus calicis sublatus est. IV. 103. a. & b. Non expedit iterum laicis permittere usum calicis. IV. 103. b. An Sacerdos celebrans teneatur in Missa privata porrigere Communionem laicis, si petant. IV. 122. a. In quo sensu utilior sit Confessio tempore necessitatis facta laico præsenti, quam Sacerdoti absenti per litteras. IV. 181. a. An laicus fuerit aliquando, vel esse possit Minister Confessionis. IV. 190. b. An omnes laici habeant potestatem absolvendi. *ibid.* Plures in mortis articulo absente Sacerdote confessi sunt laicis, sed hæc Confessio non erat necessaria, nec Sacramentalis. IV. 192. a. Quid utilitatis attulerit similis Confessio? *ibid.* Quomodo intelligendum illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra?* IV. 192. b. Horum Confessiones audiantur in parenti loco. IV. 227. a. Non autem in Sacristia. *ibid.* Etiam hi olim faciebant unctiones ægrotis, sed non Sacramentales. IV. 231. b. *& 242. a. & b.* An in necessitate possit laicus esse Minister Extremæ Unctionis. IV. 242. b. Hæretici etiam laicis Ecclesiæ munia concedunt. IV. 252. a. An etiam laici possint dici Sacerdotes? IV. 253. a. Ipsis prohibetur tangere vasa sacra. IV. 267. a. Laicos indignos a Communione olim repellebat Diaconus. IV. 269. b. Divortium nequit fieri per Judicem laicum. IV. 336. b.

Lambertus Danæus. Ejus error de summa Trinitate. IV. 174. a.

Lamech primus habuit duas uxores. IV. 331. b.

Lampas. Usus candelarum, & lampadarum, est condecens, laudabilis, & miraculis probatus. IV. 245. a. *& b.* Narcissus, ut sacræ lucernæ arderent, signo crucis aquam convertit in oleum. IV. 245. b. Lampades in Pictavensi templo sine olei diminutione ardebant. *ibid.* Lampades in Ecclesia S. Agathæ Romæ sunt incensæ lumine divinitus illato. *ibid.*

Landgravius (*Philippus*) Hassiæ. Huic concessit Lutherus ducere aliam uxorem vivente prima. IV. 331. a. Refutatur. IV. 332. b.

Languetius (*Joannes*) Archiepiscopus Senonensis. Quesnellium & Lutherum in materia de operibus infidelium convenire docent Languet, & Bissy. V. 170. a. Languetius injuriam irrogat Benedicti XIV. curæ, atque solicitudini, damnando libros Berti jussu hujus Pontificis tam severe ad examen revocatos, repertosque innoxios. VII. 17. Ansam præbet hæreticis se defendendi clypeo Augustinianæ doctrinæ. VII. 18. Minus sincere refert textus Berti. VII. 19. Criminatur Berti, & Bellelli, quod voluntatem Dei, & mortem Christi pro salvandis omnibus exponant in sensu Jansenii, eo quod illam voluntatem appellant metaphoricam. VII. 3. b. *& 22. a.* Contrarium demonstratur. VII. 22. b. *& seq.* Asserit, Berti negare in Deo voluntatem sinceram, & beneficam salvandi omnes. VII. 3. b. *& 23. b.* Refutatur. VII. 23. b. *& seq.* Accusat Berti, quod voces libertatis, indifferentiæ, resistentiæ, auxilii sufficientis, usurpet in sensu Jansseniano. VII. 5. a. *& 26. a.* Refellitur. VII. 26. b. *& seq.* Ait ipsum cum Bellellio usurpare Jansenianum Principium: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*: & ideo negare indifferentiæ libertatem. VII. 5. a. *& 28. a. & b.* Sed demonstratur contrarium, atque evincitur illud principium esse S. Augustini, & quo in sensu ab ipsis accipiatur. VII. 28. b. *& seq.* Carpit definitionem efficacis gratiæ a Berti traditam, atque ait eum explicare libertatem ad meritum, & demeritum in sensu Jansseniano. VII. 5. a. *& 29. b.* Impugnatur. VII. 29. b. *& seq.* Falso illi apponit, quod rationem meriti constituat in iis actibus, qui peraguntur necessitate. VII. 5. a. *& 30. b.* Non integre recitat Berti verba, ut Jansenianum reddant sensum. VII. 30. b. *& seq.* Asserit, Berti & Bellelli denegare cum Jansenio gratiam sufficientem. VII. 5. b. *& 31. a.* Oppositum evincitur. VII. 31. b. *& seq.* Berti verba obtruncat, pro lubitu traducit, invertit, obscurat, &c. ut demonstret ab illo vellicari Thomistas in notione *potentiæ proximæ, atque expeditæ*. VII. 32. b. *& seq.* Criminatur Bellelli, quod per gratiam parvam, & inefficacem, quæ sola secundum illum conceditur justis urgente præcepto, asserat nullam veram dari potentiam, sive proximam, sive remotam. VII. 6. a. *& 33. b.* Refellitur. VII. 34. a. Asserit, Bellelli, & Berti constituere gratiam in Caritatis Theologicæ motu, atque ideo liberum arbitrium in omnibus suis actibus absque tali gratia peccare. VII. 6. b. *& 34. a. & 35. a.* Oppositum revincitur. VII. 34. b. *& 35. a. & b.* Atque propterea contendit eos impingere in propositiones damnatas 27. & 25 Baji, & 28. 39. 40. 41. Quesnelli. VII. 7. a. & 35. b. Demonstratur Languetii allucinatio. VII. 35. b. *& 36. a. & b.* Ait Bellelli & Berti admittere principia, ex quibus necessario fluunt propositiones damnatæ 60. 61. 62. 63. Quesnelli, atque 12. & 15. damnatæ ab Alexandro VIII. in quibus agitur de actibus timoris, fidei, spei. VII. 7. a. & 37. a. & 38. a. & b. Refellitur. VII. 37. a. & b. & 39. & 40. Conatur evincere eos detorquere in exoticum sensum censuras latas in Bajum, & Quesnellum, illis tribuendo errores, de quibus neque cogitaverunt. VII. 7. b. & 39. b. Verum, quam pessime allucinetur, demonstratur. VII. 39. b. *& seqq.* Quænam dolose prætermittat, ut evincat, Berti censuras in sensum exoticum traducere. VII. 40. b. Similiter adstruit, Berti, & Bellelli censuras eludere, atque errores Baji instaurare circa statum naturæ puræ. VII. 8. a. & 42. b. Refutatur. VII. 42. b. *& seq.* Propositiones Baji, & Quesnelli, quas Languetius tribuit Berti, & Bellelli, explicatur quo in sensu Berti propugnet impossibilitatem status puræ naturæ. VII. 45. a. & b. Refelluntur objecta Languetii circa immortalitatem, & immunitatem a pœnis hujus vitæ debitam Adamo innocenti. VII. 45. b. *& seq.* Demonstratur, Berti, & Bellelli damnatorum dogmatum non esse convictos, ut falso obtendit Languetius. VII. 47. a. & b. Languetius damnat libros Bellelli, & Berti. VII. 8. b. & 47. b. Propositiones, quæ a Languetio perstringuntur in libris Berti, & Bellelli, summatim recensentur, adjecta Fidei Professione P. Berti. VII. 48. a. & b. Languetii Epistola prima ad Benedictum XIV. contra libros Berti, & Bellelli. VII. 10. Ejusdem Epistola secunda ad eundem Pontificem. VII. 11. Languetius anno 1720. Suessionensis Episcopus, fuit unus centum Episcoporum, qui in Concilio Cleri Gallicani ediderunt Explicationes errorum in Constitutione *Unigenitus* proscriptorum. VII. 49. a. Juxta has Explicationes revincitur. *ibid.* a. & b. *& seq.* & 59. a. Revincitur etiam ex sententia prædecessorum suorum, atque universorum Parochorum suæ diœcesis. VII. 50. b. Quæ inofficiose scribat in Apostolicam Sedem. VII. 64. b. Vide *Berti*.

Languor. Quomodo intelligendum illud: *Vere languores nostros &c.* III. 106. a.

Laodicena anni circiter 372. Synodus mentionem facit de Subdiaconatu. IV. 264. b.

Laodicenus Antistes Apollinarius negat Christum habuisse animam humanam. III. 40. b. Asserit vicem animæ egisse divinitatem. *ibid.* Vide *Apollinarius*, vel *Apollinarista*.

Lapsus. De lapsu Hosii Episcopi in hæresim Arianam, & pœnitentia illius. I. 230. a. De merito, & lapsu Angelorum. I. 260. b. *per tot. cap.* XV. Quando contigerit lapsus? *ibid.* Ante lapsum homo primus non erat morti subjectus. I. 317. b. Qualiter post lapsum aperti sint oculi Protoparentum. I. 316. a. & b. Homo gaudet libero arbitrio etiam post lapsum Adæ. II. 77. a. & b. *& seq. tot. cap.* II. & III. Libertas indifferentiæ est necessaria ad meritum, & demeritum etiam post lapsum Adæ. II. 77. a. & 79. a. & b. Vide *Natura*. Reparationem post lapsum non possumus de condigno promereri. II. 168. b. An, & in quibus casibus quis illico teneatur ad Confessionem post lapsum in peccatum grave. IV. 196. b. *& seq.* Aut ad contritionem. IV. 197. a. Jansenii erroris character duplex est: unus in statu naturæ lapsæ, seu post lapsum Adami non cognoscere libertatem indifferentiæ: secundus, negare aliud gratiæ adjutorium præter gratiam efficacem, seu cum effectu conjunctam. VI. 80. a. Adamus, & Angeli in statu naturæ integræ poterant cum sola gratia actuali sine efficaci opus supernaturale exercere. VI. 77. b. *& seq.* Non autem post lapsum. *ibid.* Quæ differentia inter gratiam Adamo, & Angelis in statu naturæ integræ datam, & gratiam homini post lapsum concessam? VI. 72. a. & 77. b. *& seq.* De libero arbitrio hominis post lapsum docuit Bajus propositiones tredecim, in quibus evertit liberum arbitrium, dicit omnia peccatorum opera esse peccata, si fiunt sine charitate, quia proveniunt ex cupiditate noxia: ac quomodo Augustiniani hos errores declinent. VI. 170. a. & b. Quid Quesnellius sentiat de viribus liberi arbitrii hominis post lapsum? VI. 181. b. *& seq.*

Larva. Unde hoc nomen derivatum? II. 332. b. In larvis modo major est luxuries, quam olim apud superstitiosos erat. *ibid.*

Lateranense Concilium non definivit Angelos esse creatos ante cælum, & terram, vel in cælo empyreo. I. 247. b. Absolvit Petrum Lombardum de hæresi accusatum. III. 184. b. & 185. a. Dogma transubstantiationis est antiquius Concilio Lateranensi. IV. 86. b.

Latinus. Magnum est dissidium inter Latinos, ac Græcos Schismaticos de Processione Spiritus S. I. 207. b. Latini male arguuntur a Græcis Schismaticis de corrupto Symbolo. I. 210. b. *per tot. cap.* XIX. Explicantur Græca, Latinaque vocabula, queis utimur in tractatu de Trinitate. I. 213. b. *per tot. Cap.* XXI. Textus Latinus in Prophetia Danielis non discrepat ab Hebraico. III. 6. b. *& seq.* Quod apud Græcos sonat Mysterium, hoc apud Latinos significat Sacramentum. III. 169. a. Quæ distinctio inter formas Sacramentorum apud Græcos, & apud Latinos. III. 197. b. Cur Ecclesia in Canticis, & aliis ritibus utatur lingua Latina. III. 245. a. Hæretici inaniter id reprehendunt ex eo, quod lingua Latina a paucis intelligatur. *ibid.* Forma Ecclesiæ Latinæ est legitima, antiquissima, & omnino certa, qua utitur in Baptismo. III. 269. a. Græcorum forma Baptismi enuntiativa est, non deprecativa: valida & ipsa est, nec a forma Latinorum substantialiter differt. *ibid.* Quæ unio inita inter Græcos, & Latinos. IV. 24. a. & 25. a. Quam formam Latini adhibeant in Confirmatione. IV. 18. b. & 19. b. Et an hæc proveniat ex Apostolica traditione. *ibid.* Oratio unctionem, & impositionem manuum præcedens non est forma Confirmationis. IV. 18. b. Verba illa, quæ comitantur unctionem, id est: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris &c.* apud Latinos vera, & adæquata sunt forma Confirmationis. IV. 19. b. Subinde hæc forma fuit mutata salva substantiali signi-

gnificatione verborum. IV. 19. b. & *seq.* Quod soli Episcopi sint ministri ordinarii Confirmationis, probatur ex Patribus Græcis, & Latinis. IV. 21. b. & *seq.* Ut valida sit Confirmatio facta a Sacerdote simplici, in Ecclesia Latina requiruntur Summi Pontificis delegatio, & in Ecclesia Græca perantiqua, & universim recepta consuetudo, quam Papa approbet, aut saltem permittat. IV. 27. b. An sufficiat delegatio facta ab Episcopo. *ibid.* An Græci, vel Latini omnium primi in Bulgaria fidem disseminarint. IV. 25. b. & 26. a. Nicolaus I. jussit de novo confirmari Bulgaros consignatos a Græcis per Photium missis. *ibid.* Innocentius III. prohibet Latinis Sacerdotibus inter Græcos degentibus, ne Confirmationem conferant, quod toleratur in Græcis. *ibid.* Apud Latinos frons sola inungitur in Confirmatione, & cur? IV. 40. b. An Græci potius, quam Latini imitentur mores judæorum. IV. 53. b. & *seq.* Secundum Scotum usus fermenti in Ecclesia Latina, & Græca ob Ebionæos introductus est, quorum hæresi oppressa Ecclesia Latina transiit ad azymos, Græca vero retinuit fermentum. IV. 57. a. Major est convenientia rationis pro ritu Latinorum utentium azymo, quam Græcorum assumentium panem fermentatum. IV. 59. b. Falluntur qui censent Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas esse consecrare azymum, & e contra Latinis apud Græcos fermentatum. IV. 60. a. Quid significet pœnitentia apud Latinos, & quid apud Græcos. IV. 131. b. Explicantur varia vocabula, quers Missa a Latinis, & Græcis denotatur. IV. 123. a. & b. An apud Latinos olim fuerit in usu forma absolutionis deprecativa. IV. 200. a. An in Ecclesia Latina possit Sacerdos simplex consecrare oleum infirmorum jure ordinario, vel saltem auctoritate Apostolica? IV. 236. a. & b. Quot, & quales unctiones in Extrema Unctione faciebat Ecclesia Latina? IV. 237. b. Vide *Ecclesia*. An ordinatus apud Græcos, & transiens ad ritum Latinorum, debeat suscipere Ordines ab Episcopo Græco prætermissos. IV. 258. b. An etiam primam tonsuram, si a Græco fuit omissa. IV. 260. b. Quomodo Presbyteri ordinentur apud Græcos, & quomodo apud Latinos. IV. 271. b. Quam habeant materiam in Ordinatione. IV. 282. b.

Latreuticus. Quod Missa sit Sacrificium latreuticum, & eucharisticum admittunt Novatores hæretici, sed propitiatorium, & impetratorium negant. IV. 118. a. Aliud est Sacrificium latreuticum, aliud eucharisticum, aliud impetratorium, & aliud propitiatorium. *ibid.*

Latria. Domino Jesu Christo in Eucharistia existenti latriæ cultus est exhibendus. IV. 91. a. Quomodo intelligendum illud: *Adorate scabellum pedum ejus*. IV. 91. b. Probatur contra Verinum, Patres dicere, Christum adorandum in Eucharistia cultu latriæ proprie tali. *ibid.* Adoratio in Eucharistia non fit accidentibus panis, & vini. IV. 92. a.

Latro annumeratur raptoribus. II. 193. a.

Latrocinium Ephesinum. Vide *Eutyches*.

Latrunculus. Vide *Ludus*.

Latus. Petra, unde fluxerunt aquæ, figurabat latus Christi apertum. III. 116. a. & b. Qualis sanguis ex aperto latere Christi profluxerit. III. 168. a. Quid de eo sentiant Calvinus, & alii. *ibid.* An fluxerit promiscue cum aqua, vel separatim. *ibid.* An Longinus latus Domini aperuerit. *ibid.* a. & b. Quomodo Sacramenta fluxerint ex latere Christi in morte aperto, si jam antea Baptismus erat institutus? III. 238. b. & *seq.* Quomodo Sacramenta novæ legis processerint ex latere Christi. III. 232. a.

Lavacrum. Cur Baptismus dicatur lavacrum. III. 250. a.

Launojus (*Joannes*) negat potestatem Papæ in Reges, summosque Principes. II. 341. a. Quid dicendum de ejus Censura adversus Ven. Bellarminum. *ibid.* Quid de S. Gregorio VII. sentiat. II. 349. b. Contendit Ecclesiæ nomine intelligendos esse Reges, & Principes. IV. 312. b. Refutatur. *ibid.* Launojus librum edidit contra S. Augustini doctrinam, in quo favet Semipelagianis. I. 136. b. *Joannes Launojus*.

Lauræa (*Brancatus de*). Propositio hæc Berti: *Gratia efficax est victrix delectatio, sive charitas, quæ superat contrariam cupiditatem*; non est ex Jansenio, sed S. Augustino desumpta. VI. 70. a. & b. Idem sentit Brancatus de Lauræa. VI. 72. a. An, & in quo sensu Berti neget gratiam dari sufficientem. VI. 78. b. & *seq.* Quod id non faciat in sensu Jansenii probatur ex Brancato de Lauræa. VI. 79. b. Brancatus de Lauræa docet, Christum pro omnibus præparasse remedia, remedia tamen præparata non omnibus actu applicari. VI. 95. b.

Laureæ. An is, qui in aliqua Academia est laurea decoratus, teneatur subire examen Episcopi ad obtinendam approbationem audiendi Confessiones. IV. 194. a.

Laurentius (*S.*), Diaconus S. Sixti, non consecravit, sed dispensavit S. Calicem. VI. 96. a. & b.

Lauretum. Domus Nazarethana vere fuit e Syria translata Angelorum ministerio Tersactum: inde in agrum Picentinum, nunc Lauretum. III. 146. b. & *seq.* An Danthes Florentinus Poeta mentionem fecerit Lauretanæ Domus B. M. V. III. 148. a.

Laus. Quid sit confessio laudis. IV. 164. a. & b. Confessio fidei & laudis potest esse sine Confessione peccatorum, sed non vicissim. *ibid.* b.

Laxus. Quid sit conscientia laxa. II. 244. a.

Lazarus. An dicta de Epulone, & Lazaro sint parabola, vel historia. I. 268. a.

Lazarus. Quomodo intelligendum illud: *Lazarus amicus noster dormit*, cum fuerit mortuus. III. 129. a. Ejus resuscitatio nequit in dubium vocari. III. 154. b. Cur Christus jusserit in ejus suscitatione tolli lapidem. III. 155. a. Præter suscitationem aliud miraculum fecit Dominus, quod ligatus ambularit. *ibid.* An Petrus de Apono ipsemet, vel ipsius statua sit combusta, ob negatam Lazari suscitationem. *ibid.* Lazarus resuscitatus est figura Confessionis Sacramentalis. IV. 181. a.

Lebbæus. Cur S. Judas Thaddæus vocetur Lebbæus. III. 154. b.

Lectio. Quid notandum in lectione SS. Patrum, si videntur in hæresim deflectere? I. 73. b. Damnantur Propositiones Quesnelli agentes de lectione Scripturarum. VI. 184. a.

Lector an peccet graviter, si in peccato mortali constitutus exercet Actum Ordinis. III. 209. b. Apud Græcos Lectorum, & Cantorum idem est Ordo. IV. 256. b. An Græci ex minoribus Ordinibus solum admittant Ordinem Lectorum. IV. 257. a. & b. Horum Ordo probatur. IV. 261. b. De horum Officio. *ibid.* & *seq.* Non potest Concionem habere, nec in Missa cantare Evangelium. IV. 262. a. Vide *Ordines Minores*. Lectorum fit expressa mentio ab Ecclesiæ primordiis. IV. 265. a. & 266. a.

Lectus. Baptismus Clinicorum validus est. III. 265. a. & b. & 266. b. & *seq.* Quid dicendum de Baptismo Novatiani in lecto baptizati. III. 266. b. & *seq.*

Legalia. De horum causa, & origine. II. 193. b. *tot. cap.* IX. Optimo consilio sunt instituta. *ibid.* Sacrificia in iis præscripta condemnant Idololatriam, & significant Christum. II. 194. a. & b. Quando legalia sint abrogata, & quando facta mortifera. II. 195. a. *tot. cap.* X. Hæc Apostoli observabant vere sine simulatione. II. 197. a. & b. Cephæ hæc præscribenti Paulus vere sine simulatione restitit. *ibid.* & *seq. usque ad cap.* XI. Cur Apostoli præceperint abstinere ab immolatis simulacrorum. II. 200. a.

Legalis. Vide *Lex*.

Legio. Qualiter legiones Angelorum dividant Thalmudistæ. I. 270. a. Quot sint legiones dæmonum. *ibid.* Quot dæmones constituant legionem. I. 244. b.

Legislator an teneatur propriis legibus. II. 213. a. Qualis requiratur consensus legislatoris ad consuetudinem legitimam. II. 223. b.

Legitimus. An filii ex Matrimonio ficte contracto suscepti sint legitimi. IV. 312. a.

Lemosius (*Thomas*) docet cum Catholicis, Christum pro omnibus præparasse remedia, ea tamen præparata non omnibus actu applicari. VI. 91. b.

Lensæus (*Joannes*) quid sentiat de articulis Baji. V. 86. b. Lensæi verba Anonymus profert detruncata. V. 102. a.

Leo. Hujus ex halitu natos feles in Arca Noe, credunt Mahumetani. II. 272. a.

Leo Isaurus an fuerit excommunicatus a Gregorio II. atque hic an prohibuerit, ne ab Italis eidem solverentur vectigalia. II. 347. b. & 348. b. & 349. a. & b. & 357. b.

Leo (*S.*) I. Papa damnavit Eutychetem. III. 71. a.

Leo III. An hujus auctoritate Imperium ab Irene Augusta translatum sit ad Carolum Magnum. II. 341. b. & 347. b. & 349. a.

Leo IX. qualiter cassaverit Ordinationes per simoniam factas. IV. 291. a.

Leonardus Utinensis defenditur circa sententiam de Prædestinatione. I. 164. b. & *seq.*

Leprosus. Mundari leprosi sunt figura Confessionis Sacramentalis. IV. 181. a. & 185. a.

Levans. Parvulis prodest fides levantium, sed nequeunt cum Matre ante partum baptizari. III. 307. b. & *seq.*

Levi. An Hasmonæi sint ex tribu Juda, vel Levi. III. 2. a. Tribus Juda, & Levi sunt conjunctæ. *ibid.* Princeps Sacerdotum ex tribu Levi præfuit Synagogæ. III. 2. b. & *seq.* Ex eo, quod Christus legerit in Synagoga, & ejecerit e templo ementes, & vendentes, non probatur, Christum fuisse ex tribu Levi. III. 99. a. An Urias fuerit ex tribu Levi. *ibid.*

Levi. Cur S. Matthæus dicatur etiam Levi. III. 154. a. & b.

Leviathan quis sit. I. 248. b.

Levis materia potest ob circumstantias fieri gravis. II. 208. a.

Levita. An in lege scripta inunctio Levitarum fuerit Sacramentum. III. 175. a. Judæi Levitas suos ordinarunt per impositionem manuum. IV. 254. a. Levitæ ab Apostolis ordinati. IV. 266. a.

Leviticus. Ex libro Levitici sunt deductæ leges civiles antiquæ. II. 221. a. Christus non fuit Sacerdos Leviticus. III. 99. a. Suidas contrarium asserens texit fabulam. *ibid.*

Lex. Unde legis nomen derivatum. II. 174. a. Quid sit lex. II. 174. b. Ejus divisio in naturalem, participatam, positivam, divinam antiquam & novam, humanam, ecclesiasticam, & civilem. *ibid.* An pertineat ad actum intellectus, vel voluntatis. II. 175. a. Quænam conditiones legis. *ibid.* a. & b. Sit lata pro communitate. II. 175. a. Quomodo distinguatur a præcepto. *ibid.* a. & b. Respiciat bonum commune. II. 175. b. Sit justa, nec inhonesta præcipiat. *ibid.* Sit perutilis. *ibid.* & *seq.* Et diuturna. II. 176. a. Quis possit ferre legem. *ibid.* Ab observantia legis Novatores excipiunt cœtum justorum. *ibid.* An obliget cum periculo vitæ. II. 207. b. Non licet sequi sententiam probabilem faventem libertati, si lex, vel præceptum habeat pro se rationem æque probabilem. II. 250. b. & *seq.* An liceat sequi sententiam minus probabilem faventem libertati, relicta alia probabiliori stante pro lege. II. 252. b. & *seq.* Quomodo lex sit onus leve. II. 253. b. & *seq.* An licitum varios consulere, ut tandem unus inveniatur suadens minus probabile stans pro libertate contra alios probabilius pro lege consulentes. II. 259. a. Non debet Confessarius absolvere eum, qui sequitur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, si hanc opinionem nolit dimittere. II. 259. b. Lex cessat obbligare vel ob privilegium. II. 221. b. & *seq.* Vide *Privilegium*. Vel ob dispensationem. II. 222. b. Vide *Dispensatio*. Vel ob consuetudinem. II. 223. a. Vide *Consuetudo*. Quomodo intelligendum illud: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*. II. 306. b. An sit necessaria fides explicita Incarnationis, & Trinitatis in omni lege, etiam naturali, ac antiqua. II. 306. a. Et quidem tam ad salutem, quam ad justificationem consequendam. *ibid.* Non repugnat charitati servare legem intuitu æternæ mercedis. II. 322. b. Juxta Bajum nec Adamus supernaturalibus habitibus fidei, spei, & charitatis donatus fuit, nec egebat gratia supernaturali ad servandam legem, & consequendam beatitudinem. V. 135. b. *Coroll.* 1. Contrarium docent Augustiniani. *ibid.* & *seq. Coroll.* II. & 132. a. & b. Bellelli docet, Angelos, & Adamum sine gratia supernaturali non potuisse legem servare, aut beatitudinem consequi. V. 144. a. An homo in nullo statu possit totam legem implere, omnia vitare peccata sine gratia. V. 158. b. & *seq.*

Lex æterna quando promulgata. II. 176. b. Non est idea rerum in mente Dei existens. II. 177. a. An differat a Providentia. *ibid.* Est fons, & origo omnium ceterarum. *ibid.*

Huic

Huic omnia creata sunt subjecta. II. 177. b. Quid sit, II. 176. b.

Lex Canonica fuit a variis collecta. II. 217. a. Præcipue ab Isidoro, & Gratiano. *ibid.* An compilator fuerit Isidorus Mercator, an Isidorus Hispalensis. *ibid.* Qualem habeant auctoritatem Decretales Isidori. II. 217. b. Quinam Canones veterum sint genuini, & qui spurii. II. 218. a. Qualem auctoritatem habeant Decretales Gratiani. *ibid.* a. & b. Quid sint Paleæ. II. 218. b. Quibus partibus constet lex canonica. *ibid.* Quomodo faciendæ, & legendæ citationes Juris Canonici. *ibid.*

Lex Civilis quid sit. II. 174. b. Nequit minuere immunitatem Ecclesiasticam. II. 215. a. & b. Traduntur quædam rudimenta de legibus civilibus. II. 219. b. Quid dicendum de legibus civilibus Atheniensium, & Atticorum. *ibid.* Quid lex civilis statuat de Matrimonio. *ibid.* & *seq.* De religione, & cultu parentum. II. 220. a. De homicidio. *ibid.* a. & b. De fornicatione, & libidine. II. 220. b. De furto. II. 220. a. & b. De conviciis, falso testimonio, & calumnia. II. 220. b. Quomodo lex civilis dividatur. II. 220. a. Leges civiles antiquæ cohærent cum libris Genesis, Exodi, & Levitici. II. 221. a. An etiam cum lege Hebraica. *ibid.* Præter leges civiles dantur etiam Statuta. II. 221. b. Quinam horum Statutorum compilatores præcipui. *ibid.* Quibus partibus constet lex civilis. *ibid.* Quomodo faciendæ, & legendæ citationes legis civilis. *ibid.* Quæ leges civiles contineantur in Codice. *ibid.* Quis in lege civili dispenset. II. 222. b. Ecclesia potest annullare leges civiles statuentes Impedimenta, non autem Magistratus leges Ecclesiasticas tollere potest. IV. 312. b. & *seq.* Quid dicendum de quibusdam legibus Gallorum circa Matrimonium. IV. 315. b.

Lex Humana debet promulgari, sive sit Ecclesiastica, sive civilis. II. 203. a. An debeat promulgari in singulis Provinciis. *ibid.* a. & b. An statim obliget post promulgationem. II. 203. b. An requiratur acceptatio populi. II. 204. a. Quomodo lex civilis, & Ecclesiastica distinguantur. II. 204. b. & *seq.* Lex humana, & civilis etiam obligat in conscientia. II. 206. a. & 207. a. & b. Hoc negarunt Waldenses. II. 206. a. Et Gerson. *ibid.* Quid sit lex pœnalis. II. 207. a. & b. Lex humana non semper obligat cum gravi nocumento, & periculo vitæ. II. 207. b. An possit præscribere opus leve sub peccato mortali. II. 208. a. An lex humana possit præcipere actus internos. II. 208. b. Laici non possunt ferre leges Ecclesiasticas. II. 209. b. & *seq.* Sed hoc solum competit Superiori Ecclesiastico etiam vi coactiva. II. 210. b. An legislator teneatur propriis legibus. II. 213. a. Quibus legibus teneantur peregrini, & advenæ. *ibid.* Quis dispenset in lege humana. II. 222. b. Nec lex Divina, nec Ecclesiastica obligat ad Confessionem publicam. IV. 178. b. & 179. a. Ecclesia potest annullare leges civiles statuentes Impedimenta, non autem Magistratus leges Ecclesiasticas tollere potest. IV. 312. b. & *seq.*

Lex Naturæ quid sit. II. 177. b. An etiam brutis conveniat. II. 174. b. & 177. b. Provenit a Deo. II. 178. a. Detur lex naturæ. *ibid.* An consistat in stimulis conscientiæ, vel synderesi. *ibid.* Cur fuerit scripta. *ibid.* Hujus præcepta omnia reducuntur ad dilectionem Dei, & proximi. *ibid.* a. & b. Quomodo hæc dilectio includat alias res. II. 178. b. Omnis virtus a lege naturali provenit, & omne vitium eidem aversatur. *ibid.* Non omnis virtus præcipitur jure naturæ. *ibid.* Nec Evangelica consilia. *ibid.* Nec virtutes Theologicæ. *ibid.* An lex naturalis patiatur immutationem, aut epichejam. II. 179. a. An lex naturalis immutetur per abrogationem, subtractionem, aut dispensationem. *ibid.* a. & b. An per dispensationem Pontificiam. II. 179. b. An Deus dispensarit in lege naturæ concedendo matrimonia filiis Adæ contrahenda cum sororibus germanis? Admittendo Polygamiam? Imperando Abrahamo immolationem filii? Permittendo filiis Israel furtum Ægyptiis inferendum &c. II. 180. a. & b. Aut iisdem concedendo usuram? Permittendo libellum repudii? Remunerando mendacium obstetricum? Mandando Oseæ, ut sumeret sibi uxorem fornicationum? Remittendo observantiam Sabbati? *ibid.* An detur hujus legis ignorantia invincibilis? II. 240. a. Hæc ignorantia excusat a peccato, si datur. *ibid.* *usque ad cap.* XI. In lege naturæ nulla erat lex Divina scripta. II. 298. b. An salutem consequatur observans legem naturalem, si fidem non potest assequi. II. 307. b. An Angelus possit peccare in legem naturæ. I. 258. a. Quid sit Sacrificium legis naturæ, & legis scriptæ, & legis novæ. IV. 117. b. Sacerdotum dignitas, & munus desumitur ex lege naturæ. IV. 254. a.

Lex nova qualiter distinguatur a veteri. II. 201. b. Est perfectior veteri. *ibid.* Etiam in lege nova sunt observanda quædam præcepta. II. 202. a. Proinde non sola fides justificat. *ibid.* Per hoc confutantur Lutherus, & Calvinus. *ibid.* Quæ præcepta, & consilia novæ legis? II. 202. b. Quod discrimen inter præceptum, & consilium. *ibid.* Quomodo præcepta novæ legis sint levia. II. 202. b. & 295. a. Levis est monogamia. II. 202. b. Levis Confessio Sacramentalis. *ibid.* Levis inhibitio repudii uxoris. *ibid.* & *seq.* Polygamia semper gravis. II. 203. a. Lex nova semper durabit. *ibid.* An homo possit solis naturæ viribus legem servare. II. 34. a. & b. Non fecit Deus legem, quod dare velit gratiam facienti, quod est in se. II. 56. b. & *seq.* Sacramenta novæ, & antiquæ legis significant Christum, & gratiam, sed hæc erant signa Christi venturi, illa vero Redemptionis jam peractæ. III. 171. a. Sacramenta novæ legis commemorant Passionem Christi, denotant gratiam, sanctitatem, & remissionem peccatorum, prænuntiant vitam æternam. *ibid.* a. & b. Sacramenta novæ legis sunt signa gratiæ, & sanctitatis efficientia: Sacramenta veteris legis gratiam prænuntiabant tantum, tribuendo solam sanctitatem legalem. III. 171. b. Sacramentalia novæ legis non sunt Sacramentum. III. 172. b. Sacramenta novæ legis Christus immediate ipse instituit. III. 192. a. Lutherus, & Calvinus tribuunt eandem vim Sacramentis novæ, & veteris legis. III. 228. a. & b. Refutantur. III. 228. b. An Sacramenta veteris legis habuerint gratiam ex opere operato ex meritis Christi prævisis, sicut Sacramenta novæ legis ex operibus Christi peractis. III. 231. b. Sacramenta novæ legis ex merito Passionis Christi justificandi vim habent. III. 232. a. Quomodo Sacramenta novæ legis processerint ex latere Christi. *ibid.* Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato. *ibid.* Præceptum suscipiendi Baptismum primum obligare cœpit generaliter in promulgatione legis Evangelicæ. III. 259. b. & *seq.* Confirmatio est verum, & proprium novæ legis Sacramentum. IV. 3. a. & b. Non sequitur, non dari in nova lege Sacramentum Pœnitentiæ, quia in veteri non dabatur. IV. 134. b. & *seq.* Quid sit Sacrificium legis naturæ, legis scriptæ, & legis novæ. IV. 117. b. In lege nova altaria quædam erant lignea, nunc non nisi lapidea. IV. 126. b. Cur in lege nova, & non in veteri sit præcepta peccatorum occultorum confessio. IV. 176. b. & 177. b. Nec lex Divina, nec Ecclesiastica obligat ad Confessionem publicam. IV. 178. b. & 179. a.

Mulier. Concubitus cum muliere non fuit peccatum dæmonum. I. 263. a. An etiam mulier sit facta ad imaginem Dei. I. 305. b. Cur semen mulieris, & viri, & non alia semina dicantur immunda. II. 14. b. *& seq.* Domus mulierum simul commorantium ad vacandum orationi gaudet fori privilegio. II. 222. a. Nequit habere locum in numero Deorum. II. 269. a. Stella Veneris in doctrina Mahumetis fuit pulcherrima mulier. II. 272. a. Consuetudo, quod viri incedant in vestibus mulierum, est execrabilis, ac a Gentilibus descendens. II. 330. b. & 332. b. *& seq.* In Comœdiis apud Gentiles fœminæ fuerunt a viris separatæ. II. 331. b. Nec potuerunt promiscue theatrum conscendere ad exhibendam aliquam Comœdiam, vel Tragœdiam. *ibid.* Quam detestabilis sit luxus vestium apud mulieres. II. 337. a. & b. Consuetudo mulierum, quæ faciem cerussa, rubore, & consimili fuco obliniunt, nequissimi flagitii turpitudinem complectitur. II. 337. b. *& seq.* Vox *Mulier* in Scriptura est indifferens ad significandam virginem, & non virginem. III. 28. b. Vide *Fœmina*. Calvinus denegat mulieribus etiam pro casu necessitatis potestatem ministrandi Baptismum. III. 203. b. Montanistæ admittebant mulieres ad ministerium Altaris in Baptismo solemni. IV. 7. b. Viri, ac mulieres emittentes Professionem Religiosam prius Confirmationem recipiant ratione congruentiæ, non præcepti. IV. 33. a. Mulieres constituerunt ministros Eucharistiæ Marcionitæ, ac Pepuziani. IV. 95. b. Mulieres nequeunt conficere Eucharistiæ Sacramentum. IV. 96. a. & 97. a. Arcendi sunt a S. Communione excommunicati, ac publice denuntiati, item mulieres, quæ ad altare accedunt habitu ad lasciviam composito. IV. 105. b. SS. Benedictus XIV. damnavit ritus Sinensium, arcentes mulieres a Communione, tempore, quo menstruali laborant morbo. IV. 108. b. *& seq.* Olim distributio Eucharistiæ facta est, ut communicantes eam manibus acciperent: mulieres tamen in mundo linteo recipere debuerunt. IV. 111. a. & b. Harum Confessiones audiantur in patenti loco. IV. 227. a. Minime autem ante solis ortum, vel post hujus occasum. *ibid.* In Extrema-Unctione mulierum omittenda est unctio renum. IV. 237. b. Hæretici etiam mulieribus munia Ecclesiæ tribuunt. IV. 252. a. A ministerio Altaris amoveantur mulieres, etiam Diaconissæ. IV. 271. a. Non possunt suscipere Sacramentum Ordinis. IV. 292. b. *& seq.* De velamine mulierum nuptarum. IV. 300. b. Cur mulier sit facta ex costa Adami. 301. IV. a. Vid. *Uxor*. An possit adoptare filios. IV. 319. a. Affinitas provenit ex viri, & mulieris concubitu. IV. 321. a. Vide *Affinitas*.

Multiplico. Vide *Cresco*.

Muncerus dux Anabatistarum dixit se Evangelistam. II. 278. a.

Munditia. Christi Baptismus valet ad ablutionem culpæ; Baptismus Joannis contulit solum munditiam legalem, remissionem vero peccatorum nonnisi ratione pœnitentiæ, & fidei suscipientium. III. 253. b. *et seq.*

Mundus. Qui volunt accedere ad Communionem, sint mundi carne, & qualiter. IV. 108. b.

Mundus. Ante mundi creationem ubi Deus fuerit, quid operatus sit. I. 54. b. An fuerit ab æterno. I. 57. b. An Angeli sint conditi ante mundum. I. 190. b. & 247. a. Historia de creatione mundi ex libris Moysis est sumenda. I. 278. a. An dies, in quibus creatus est mundus, fuerint naturales. I. 280. a. Mundus est productus prima die, & ante hunc nil est creatum. I. 283. a. & b. Mundum esse creatum ex nihilo probatur. I. 58. b. & 59. a. An mundus, vel alia creatura sit Deo coæterna. I. 286. b. Vel saltem potuerit esse. I. 287. a. Quo anni tempore mundus sit productus. I. 288. a. De mundi ætate, & distributione omnis ævi. I. 290. a. *tot. cap.* VII. Mundi tempora sunt in certas Epochas distribuenda. *ibid.* Refutantur fabulæ Ægyptiorum in numerandis annis mundi. *ibid.* Quo anno mundi fuerit natus Abraham. I. 290. b. Quo anno Christus. *ib.* De æra vulgari mundi. *ibid.* De conflagratione mundi. I. 291. b. Quot annis stabit. *ibid.* & II. 88. b. Mundus est causa peccati. II. 82. b. *et seq.* Qui putant mundum esse productum ab Angelis impugnantur primo fidei articulo. II. 281. a. Eundem esse sub diaboli tyrannide credebant Marcionitæ. *ibid.* An in toto mundo Evangelium sit annuntiatum. II. 307. b. Cur satisfactio Christi sit infinita ex eo, quia facta a Deo, & cur non ex eadem ratione productio mundi, & alia opera Dei sint infinita. III. 125. a. An Christus tantum pro electis ante mundi constitutionem mortuus sit. III. 127. a. Quando Christus dicitur Redemptor mundi, intelligitur Redemptor hominum, non dæmonum. III. 130. a. Nec obest, quod dæmon dicatur princeps mundi. *ibid.* In morte Christi tenebræ factæ sunt super universam terram, & non tantum in aliqua mundi parte. III. 166. a. An in mundi exordio Matrimonium fuerit de præcepto. IV. 302. b.

Munsterus oppugnat Agnos Dei. III. 247. a.

Muntzerus (*Thomas*) mundi finem ausus est statuere. I. 88. b.

Mus. In Arca Noe mures natos ex stercore elephantis, docent Mahumetani. II. 272. a.

Musæi (*Augustini*) Tarvisini exagitatio ob doctrinam de Prædestinatione e suggestu expositam. I. 165. b. Ejus supplex libellus exhibitus Pontifici Maximo. *ibid. et seqq.*

Musica. Vide *Cantus*.

Musicus. Vide *Cantor*.

Mutatio in Deo non datur, nec potentialitas. I. 286. b. *et seq.* Cur verbum *facio* in textu, *aquam vinum factam*: *uxorem Loth factam columnam salis*, &c. significet mutationem; & cur non in textu: *Verbum caro factum est*. III. 72. a. & b. An Verbum per substantiæ mutationem factum sit caro, sicut panis sit Corpus Christi. *ibid.* An, & quæ mutatio materiæ & formæ reddat irritum Sacramentum. III. 201. a. Quid sit mutatio substantialis, & accidentalis. *ibid.* An mutatio accidentalis formæ facta eo fine, ut inducatur hæresis, fiat substantialis. III. 201. b.

Mutilatio. Metus mutilationis est metus gravis. IV. 320. a.

Mutus simul & surdus an possit salutem consequi sine fide, quæ ei prædicari non potuit. II. 307. b. Surdi simul & muti quando sint capaces Communionis. IV. 106. b. Mutus potest confiteri per nutus. IV. 180. b. Non probavit S. Franciscus Confessionem fratris per nutus amore silentii factam. *ibid.* In mutis, & surdis consensus Matrimonii exprimi potest per nutus. IV. 312. a.

Mysta quid sit. III. 170. a.

Mysterium. Quod apud Græcos signat Mysterium, hoc apud Latinos significat Sacramentum. III. 169. a. Nomine Sacramenti signatur Mysterium, seu res arcana, sive sit profana, sive sacra. III. 170. a. Mysterium, quod latet in trina immersione, aut effusione, habetur etiam in una. III. 266. a. & b. *et seq.* An libri de Mysteriis, & Sacramentis sint opus S. Ambrosii. IV. 7. a. & b. Vide *Fides*.

Na-

N

N *Aman* damnat simulationem. II. 199. b.

Narcissus, ut sacræ lucernæ arderent, signo Crucis aquam convertit in oleum. III. 245. b. Lampades in Pictavensi templo sine olei diminutione ardebant. *ibid.*

Nares. Græci in Confirmatione inungebant frontem, oculos, nares, os, aures, & pectus. IV. 40. b. Quam habeant hæ unctiones significationem. *ibid.* Juxta aliquos Græci etiam inungebant manus, & pedes. *ibid.* In Extrema-Unctione nares sunt inungendæ. IV. 237. a. & b. Quid inungendum, si nares sint abscissæ. IV. 238. b.

Narthex. Quid in pœnitentia publica intelligatur nomine Narthecis. IV. 220. b. *& seq.*

Natalis. Quolibet die non nisi una Missa potest celebrari, excepto Natali Christi. IV. 129. a. & b. In privatis domibus, & Oratoriis, in gratiam infirmorum in die Natali Christi tres possunt legi Missæ. IV. 129. b.

Nathan. An ex Davide prodierint duo stipites, Regius scilicet per Salomonem, & Sacerdotalis per Nathan. III. 99. a. An Nathan sit filius David natus ex Bersabea uxore Uriæ, an solum per adoptionem. *ibid.* a. & b.

Nathanael an idem sit ac S. Bartholomæus. III. 154. a. & b.

Nathanael Elianus. Ejus error de Summa Trinitate. I. 174. a.

Nativitas. Quo die Christus sit natus. I. 288. b. Quando Abraham. I. 290. a. & b. Quo anno mundi Christus sit natus. I. 290. b. Nativitas Christi secundum quosdam doctissimos recentiores statuitur Anno Mundi 4000. III. 11. b. *& seq.* Communio non fiat in nocte Nativitatis Christi, nec in die Parasceves, aut Sabbato S. exceptis infirmis. IV. 112. a. Variæ Doctorum opiniones de tempore, & anno Nativitatis Christi. III. 139. b. *& seq.* Christus natus est anno V. C. 749. IV. 140. a. Quid dicendum de censu acto tempore Nativitatis Christi. III. 140. b. *& seq.* An indictus sit a Saturnino, vel Cyrino. *ibid.* Quid dicendum de descriptione universi orbis facta tempore Nativitatis Christi. III. 141. a. & b. An facta a Quirino. *ibid.* Quid dicendum de sententia, quam de anno Nativitatis Christi tenet Ecclesia in Martyrologio Romano. III. 141. b. Quo die, & mense Christus sit natus. III. 142. a. Dies Natalis Christi, & Epiphaniæ distinguuntur. *ibid.* An Homilia S. Jo. Chrysostomi de Nativitate Christi sit spuria. III. 142. b. Dies Natalis S. Joannis Præcursoris est VIII. Kalend. Julias. *ibid.* Si Christus natus est hyberno tempore, quomodo pastores vigilare potuerint sub dio. III. 143. b. Christus natus est completis novem mensibus. *ibid.* Quæ acta sint post Nativitatem Christi. III. 144. a.

Natura. Quæ sit essentia, vel natura Dei. Vide *Deus*. Quomodo naturæ rerum sint immutabiles. I. 60. a. Deus non videt in decreto prædeterminante statum naturæ innocentis. I. 109. b. Deus videt ea, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, si sunt ordinis supernaturalis, per decretum efficax. I. 116. b. *& seq.* Gratia efficax est necessaria in statu naturæ lapsæ. *ibid.* Dona naturæ an sint effectus prædestinationis. I. 158. a. Natura Divina non multiplicatur ad multiplicationem Personarum. I. 185. a. & 186. b. *& seq.* An Natura Divina sit una & triplex. I. 186. a. Cur eadem Natura Divina possit esse triplex in Personis, & cur non possit Natura creata. *ibid.* a. & b. An natura humana potuisset simul assumi ab omnibus tribus Personis Divinis. *ibid.* Quæ distinctio inter Naturam Divinam, & Personas. I. 86. b. *& seq.* An diversus modus existendi multiplicet Naturam Divinam. *ibid.* Christus est Filius Patris non per adoptionem, sed generationem & naturam. I. 191. a. *per tot. cap.* IX. Objectiones circa hanc generationem allatæ solvuntur. I. 193. b. *per tot. cap.* X. An Natura Divina sit Principium Processionum. I. 233. b. An Angeli sint ex sua natura mortales, vel immortales. I. 244. b. An Angeli possint peccare in legem naturæ. I. 258. a. Immortalitas Adæ non fuit proprietas naturæ. I. 311. b. Quid sit natura pura. I. 324. a. *tot. cap.* I. II. & III. An detur natura pura. *ibid.* Quid dicendum de Propositionibus Baji in hac materia. *ibid.* An homo possit solis naturæ viribus legem servare. II. 34. a. & b. *& seq.* An iisdem possit promereri gratiam supernaturalem de congruo. II. 55. b. An homo possit se per solas naturæ vires ad gratiam disponere. *ibid.* Quid sit libertas naturæ. II. 73. b. An in statu naturæ lapsæ possit resisti gratiæ Dei interiori. II. 93. a. & b. In eodem ad meritum, vel demeritum requiritur libertas a coactione, & necessitate. II. 95. a. & b. An Deus possit diligi super omnia sine gratia in statu naturæ puræ. II. 124. a. An natura humana Christi Verbo unita naturaliter potuerit pati. III. 37. a. An natura Adami habuerit corruptionem ex se, vel solum in pœnam peccati. III. 38. a. Quomodo ab humana Christi natura in morte recesserit Divinitas. III. 43. b. Monothelitæ admittunt in Christo duas naturas, sed unam tantum voluntatem, & unam operationem. III. 44. a. Nestorius negat duas in Christo naturas esse conjunctas in unitatem Personæ. III. 54. a. & b. Quid requiratur ad naturam. III. 57. a. & b. Duas in Christo naturas agnovit S. Cyrillus. III. 59. b. Eutyches duas in Christo docuit naturas post unionem ita confundi, ut in unam transeant. III. 71. a. & b. Probatur in Christo dari duas naturas distinctas, etiam post unionem non permixtas. III. 71. b. An unio hypostatica sit facta in natura, an in Persona. III. 75. b. An omnes Personæ SS. Trinitatis potuissent assumere naturam unam. III. 77. a. Et an in hoc casu adhuc unus homo dici posset. *ibid.* An eadem Persona Divina potuisset duas assumere naturas, & tamen dici unus homo. III. 77. a. & b. An Verbum potuisset assumere naturam irrationalem. III. 77. b. Cur Filius, & non alia persona naturam induerit nostram. *ibid.* An de natura Divina Christi ob communicationem Idiomatum possint dici ea, quæ dicuntur de natura humana. III. 78. a. Vide *Idioma*. Natura Divina nequit esse pars Personæ, quæ est Christus. III. 91. a. & b. Cur hæc propositio: *Duæ naturæ, Divinitas, & humanitas, est unus Christus*: sit damnata. III. 91. b. Quando dicitur: *Unus de Trinitate*: vox *unus* non naturam Divinam, sed Personam significat. III. 92. b. Christus quidem ut homo satisfecit, sed natura humana, in qua passus est, erat hypostatice unita Verbo. III. 124. b. *& seq.* Christus non assumpsit naturam Angeli, ut dæmones liberaret, nec assumet. III. 129. b. An Christus sit Mediator secundum humanam, aut Divinam Naturam, aut utramque. III. 135. b. Andreas Osiander Lutheranus Divinæ tantum Naturæ, Stancarus humanæ solum tribuit Mediatoris officium, Calvinus utrique. *ibid.* Sententia Auctoris. III. 134. a. In Statu naturæ, qui duravit a lapsu Adami usque ad Moysem, fluxerunt 2513. anni. III. 173. b. An ibi sufficiens fuerit sola, ac quæcunque fidei protestatio. *ibid.* An fuerit pro parvulis aliquod Sacramentum institutum in statu naturæ. *ibid. & seq.* Et quale. *ibid.* In statu naturæ etiam pro adultis fuerunt instituta Sacramenta. III. 174. b. *& seq.* An Sacrificia Abelis, Cain, Abrahami, & Melchisedech fuerint Sacramenta. *ibid.* Quid sit Sacrificium legis naturæ, legis scriptæ, & legis novæ. IV. 117. b. Sacerdotum dignitas, & munus desumitur ex lege naturæ. IV. 254. a. Sententia Roberti Bellarmini S. R. E. Card. de charitate Dei tanquam Auctoris naturæ. V. 114. b. Quomodo hæc propositio: *Status naturæ puræ impossibilis est*, explicetur ab Augustinianis, quomodo a Bajo. V. 119. *n.* I. & II. & 129. a. & b. *& seq.* An integritas creationis debita fuerit creaturæ innocenti, ac conditio naturalis; an vero donum naturæ superadditum beneficentia Creatoris. V. 119. *n.* III. *& seq.* Propositio, *Status naturæ puræ est impossibilis*, in sensu Augustinianorum non rejicitur per Instructionem Pastoralem Gallicanam. V. 120. *n.* IV. *& seq.* & 129. Fontana concedit posse refelli propositiones Quesnellianas præscindendo a quæstione de statu naturæ puræ. V. 121. *n.* VIII. Macedo quid statuat de statu naturæ puræ. V. 122. *n.* IX. Bellarminus, & Fontana in sententia de statu naturæ puræ Bajum, Lutherum, & Calvinum hæreseos reos pronuntiant, quia putant justitiam, & integritatem originalem non fuisse donum supernaturale. V. 123. a. & b. 128. b. Impossibilitas status naturæ puræ probatur ex innato appetitu videndi Deum. V. 130. a. Qui impugnant statum naturæ puræ, negant creaturam rationalem condi potuisse obnoxiam morti. V. 134. a. Immortalitas tamen non naturale, sed supernaturale, donum fuisset. *ibid.* a. & b. Anonymi objectiones contra impossibilitatem status naturæ puræ factæ solvuntur. V. 136. a. *tot.* §. IX. & 141. b. *tot.* §. VI. Propositio hæc: *Impossibilis est status naturæ puræ*, non est inter propositiones Jansenii damnatas. V. 138. b. Inter propositiones ab Innocentio XI. & Alexandro VIII. proscriptas non est ea, quæ dicit statum naturæ puræ esse impossibilem. V. 139. a. Gavardi rejicit statum naturæ puræ. *ibid.* Gavardi tenet, in nullo statu Deum diligi posse tanquam auctorem naturæ super omnia sine gratia supernaturali. *ibid.* Bellelli docuit, statum naturæ puræ esse impossibilem. V. 143. a. Sed non in sensu propositionis 27. Baji. *ibid. & seq. tot. cap.* III. Vid. *Languetius*. Bellelli nullibi dona gratiarum inter naturæ proprietates connumerat. V. 143. b. *tot.* §. II. Vasquez docuit, Deum a nobis non posse diligi amore amicitiæ sine gratiæ moventis auxilio, nec in statu naturæ innocentis, nec in statu naturæ lapsæ. V. 157. a. Nec ut finis naturalis, nec ut finis supernaturalis. *ibid.* Idem sentiunt & alii. *ibid. & seq.* Augustiniani docent, Deum nec ut auctorem naturæ posse diligi sine gratia ab hominibus post lapsum Adæ. V. 158. a. Idem docent & alii de eadem charitate Dei ut auctoris naturæ. V. 158. b. *& seq.* Jansenii erroris character duplex est: unus, in statu naturæ lapsæ, seu post lapsum Adami non agnoscere libertatem indifferentiæ: secundus, negare aliud gratiæ adjutorium, præter gratiam efficacem, seu cum effectu conjunctam. VI. 80. a. Adamus, & Angeli in statu naturæ integræ poterant cum sola gratia actuali sine efficace opus supernaturale exercere. VI. 77. b. Non autem post lapsum. *ibid.* Jam pro statu innocentiæ, quam naturæ lapsæ ad recte agendum necessariam putant Thomistæ gratiam ab intrinseco efficacem. VI. 72. a. Æquilibrium libertatis pro statu naturæ lapsæ admittens sentit cum Pelagianis. VI. 97. b. *& seq.* Ac negat peccatum originale. VI. 98. a. A Berti, & Augustinianis non docetur, quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur eo sensu, quo idem docetur a Jansenio. VI. 106. a. & b.

Naturalis. Dona naturalia an sint effectus prædestinationis. I. 158. a. Vide *Ordo*. Intellectus creatus nequit virtute naturali habere scientiam Trinitatis. I. 232. a. *per tot. cap.* I. Quid sit jus naturale. II. 174. b. An hoc etiam brutis sit commune. II. 174. b. & 177. b. Quid sit lex naturalis. II. 174. b. & 177. b. *& seq.* Provenit a Deo. II. 178. a. Datur lex naturalis. *ibid.* An consistat in stimulis conscientiæ, & synderesi. *ibid.* Cur fuerit scripta. *ibid.* Omnia præcepta naturalia referuntur ad dilectionem Dei, & proximi. II. 178. a. & b. Quomodo hæc dilectio includat alias res. II. 178. b. Omnis virtus a lege naturali provenit, & omne vitium eidem aversatur. *ibid.* Non omnis virtus præcipitur jure naturæ. *ibid. & seq.* Nec Evangelica consilia. *ibid.* Nec virtutes Theologicæ. *ibid.* An lex naturalis patiatur immutationem, aut epichejam. II. 179. a. An immutetur per abrogationem, subtractionem, aut dispensationem. *ibid.* An per dispensationem Pontificiam. II. 179. b. An in ea possit dispensare Deus. II. 180. a. An Deus dispensarit in lege naturali concedendo filiis Adæ Matrimonia contrahenda cum sororibus germanis, admittendo polygamiam, imperando Abrahæ immolationem filii, permittendo filiis Israel furtum Ægyptiis inferendum &c. II. 180. a. & b. Aut concedendo iisdem usuram, permittendo libellum repudii, remunerando mendacium obstetricum, mandando Oseæ, ut sumeret sibi uxorem fornicationum, remittendo observantiam Sabbati. *ibid.* An detur hujus legis ignorantia invincibilis. III. 240. a. Hæc ignorantia a peccato excusat, si datur. *ibid. usque ad cap.* XI. An nulla opinio probabilis in materia juris naturalis excuset a peccato. II. 265. a. *tot. cap.* XVII. An lex naturalis fuerit

scri-

ſcripta . II. 298. b. An hanc obſervans ſalutem conſequatur , ſi invincibiliter non habeat fidem . II. 307. Non eſt in Chriſto una voluntas , ſed duæ naturales . III. 44. b. & 45. a. Ad Communionem præſcribitur naturale jejunium , & quid ſit . IV. 108. b. An ſolvatur per uſum tabaci . *ibid.* Naturalis amor homini congenitus non oritur ex vitioſa cupiditate . V. 98. b. *Coroll.* II. & 107. a. & b. & 112. a. & 115. b. & *ſeq.* An integritas creationis debita fuerit creaturæ innocenti ; an conditio naturalis ; an vero donum naturæ ſuperadditum beneficentia conditoris . V. 119. *n.* III. & *ſeq.* Bajus ait , originalem juſtitiam , integritatem , immunitatem a morte &c. eſſe proprietates ante lapſum naturaliter Adamo debitas , ita ut gratia , ſanctitas , & juſtitia reſpectu noſtri ſint dona ſupernaturalia poſt lapſum , quæ fuiſſent naturalia , ſi Adam non peccaſſet . V. 123. a. Hæc Baji opinio colligitur ex aliis ipſius propoſitionibus pariter damnatis. V. 126. a. *tot.* §. II. & III. Ac confirmatur ex propoſitione 35. Queſnelli . V. 128. b. *tot.* §. IV. Ex ſententia Baji , Lutheri , Pelagii ſequeretur , Angelum , & Adamum ſine gratia ſupernaturali habuiſſe meritum vitæ æternæ , Deumque eſſe finem ultimum hominis ſolum naturaſem , V. 124. a. Bajus naturalem animæ vitam in Sancti Spiritus vivificatione conſtituit . V. 127. a. Triplici ſenſu aliquid juxta Bajum dicitur naturale . V. 128. a. Quomodo ſecundum Bajum originalis juſtitia , gratia , ſanctitas , & integritas fuerint dona naturalia . V. 136. b. Bellelli defenditur , quod non inciderit in errorem Baji docendo, creaturæ rationali ineſſe naturaliter appetitum ad ipſam viſionem Dei intuitivam . V. 130. a. & *ſeq.* Qui inpugnant ſtatum naturæ puræ , negant creaturam rationalem condi potuiſſe obnoxiam morti . V. 134. a. Immortalitas tamen non naturale , ſed ſupernaturale donum fuiſſet . *ibid.* An vox *naturalis* idem ſignificet ac vox *debitum* , & *ſupernaturalis* idem ac *indebitum* . V. 146. a. Quot modis aliquid dicatur naturale . V. 146. b. In quo ſenſu gratia Angelorum , & Adami poſſit dici naturalis . *ibid.* Vaſquez docuit, Deum non poſſe diligi a nobis amore amicitiæ ſine gratiæ moventis auxilio , nec in ſtatu naturæ lapſæ . V. 157. a. Nec ut finis naturalis , nec ut finis ſupernaturalis . *ibid.* Idem ſentiunt & alii . *ibid.* & *ſeq.* Berti non eſt Bajaniſta , nec rejicit omnem charitatem Dei naturalem . V. 179. b. An Bellelli docuerit , Deum poſſe coli viribus naturalibus ſine gratia . V. 184. a. §. I.

Naturalis veritas . Vide *Veritas* .

Natus ex illegitimo concubitu non ordinetur . IV. 295. b.

Navarus (*Martinus*) . Durum illi videtur ſacrilegii damnare ſuſcipientes Ordines minores cum conſcientia peccati lethalis . IV. 266. b.

Navigantes . An his dari poſſit Extrema Unctio . IV. 245. a. & b.

Navis . Quando in Altari portatili poſſit celebrari extra Eccleſiam . IV. 126. a. & b. An Miſſa poſſit celebrari in navi . *ibid.* b.

Nauticus . Quid ſit Miſſa ſicca , ſeu nautica , & an licita . IV. 124. a. Quid Miſſa biſaciata , & triſaciata . *ibid.* b.

Nazaræus . An in primo ſeculo Eccleſia Jeroſolymitana conſtabat Nazaræis , & Ebionitis . II. 276. b. & *ſeq.* Præſcripſerunt legalium obſervantiam . II. 277. a. Chriſtus cur dictus ſit Nazaræus , ideſt Sanctus . III. 50. b. Quale diſcrimen inter tonſuram Clericorum , & Nazaræorum . IV. 259. b. & 260. a.

Nazareth quantum diſtet a monte Thabor , & quantum ab urbe Jeroſolyma . III. 144. a. Domus Nazarethana vere fuit e Syria translata Angelorum miniſterio Terſactum , inde in agrum Picentinum , nunc Lauretum . III. 146. b. & *ſeq.*

Neceſſarius . Quid ſit neceſſarium ſtabile , inviolabile , & incommutabile . II. 181. b.

Neceſſitas . Ex præſcientia Dei non infertur creaturis neceſſitas agendi . I. 100. a. Neceſſitas eſt duplex , una ſimplex , altera conditionis . I. 101. a. Neceſſitas gratiæ efficacis in ſtatu naturæ lapſæ . I. 116. b. & *ſeq.* Neceſſitas gratiæ victricis . *ibid.* Neceſſitas abſoluta , naturalis , & conſequentiæ explicantur . I. 124. a. An Pater cæleſtis generet Filium voluntate , vel neceſſitate . I. 194. a. & b. Quæ ſit neceſſitas Angelorum , & Beatorum amandi Deum . I. 257. b. Quæ neceſſitas damnatorum peccandi . *ibid.* Qualiter voluntas dicatur libera a neceſſitate . I. 312. b. Homo primus habuit libertatem a neceſſitate , & peccato , non vero nos . I. 313. a. Vide *Arbitrium* , vel *Voluntas* . Quid ſit libertas a neceſſitate . II. 73. b. Vid. *Libertas* . Neceſſitas ineluctabilis tollit voluntarium , & liberum . II 224. a. Qui omnia adſcribunt fatali neceſſitati , damnantur primo fidei articulo . II. 281. a. Quid ſit neceſſitas medii , & præcepti . II. 306. a. Adhibens in adminiſtratione Sacramentorum materiam , vel formam probabilem , relicta certa , ac tutiori , peccat contra charitatem proximi , ac Religionem , ob irriverentiam . III. 200. b. Niſi extrema neceſſitas excuſet . III. 201. a. Qui ſine neceſſitate repetit formas Sacramentorum , committit ſacrilegium , excepto Sacramento Pœnitentiæ , ubi nova materia poſita , vel priori repetita , poteſt repeti forma . III. 203. a. Calvinus etiam pro caſu neceſſitatis denegat omnibus laicis poteſtatem miniſtrandi Baptiſmum . III. 203. b. Si Sacerdos urgente neceſſitate celebravit in peccato mortali ſine prævia Confeſſione , tenetur quamprimum confiteri . III. 209. b. Extra caſum neceſſitatis non licet petere Sacramenta a Sacerdote improbo , non Parocho , aut Vicario . III. 210. b. Nec a ſimoniaco , vel fornicario ; minus ab excommunicato , hæretico , vel ſchiſmatico . *ibid.* In neceſſitate licite ſuſcipiuntur Sacramenta Baptiſmi , & Pœnitentiæ a quocunque Sacerdote . *ibid.* Licite ſuſcipiuntur Sacramenta a miniſtro concubinario , excommunicato a jure , nondum tamen publice denuntiato , ſi adſit juſta ratio . III. 211. a. Caſus neceſſitatis eſt periculum mortis , in quo poſſunt a miniſtro improbo ſeparato recipi Sacramenta , ſed non alia , quam Baptiſmi , & Pœnitentiæ . *ibid.* A tolerato vero ut poſſint recipi Sacramenta , ſufficit alia cauſa gravis , v. g. Communio in Paſchate peragenda , dummodo alius miniſter probus non adſit . *ibid.* Dicunt plures non eſſe præceptum de Sacramento Confirmationis recipiendo , & ſic neminem peccare graviter ſecluſo contemptu , ſi non confirmetur . IV. 31. a. Berti propugnat neceſſitatem . *ibid.* Non quidem medii . IV. 31. b. Sed præcepti , non tantum Eccleſiaſtici , verum etiam Divini . *ibid.* Non reſpectu omnium ; ſed eorum , qui coram tyranno debent profiteri fidem , aut qui graves contra fidem patiuntur tentationes . IV. 32. a. Aquæ cum vino commixtio in Sacrificio Miſſæ non eſt de neceſſitate Sacramenti , ſed tantum præcepti , & præcepti quidem Eccleſiaſtici , non Divini . IV. 62. b. Communionem eſſe neceſſariam neceſſitate medii , docent quidem Græci , Calviniani , ac Novatores alii . IV. 97. b. Si accipiatur Communio Corporis Chriſti in ſenſu myſtico , quatenus idem eſt ac Eccleſiæ copulari , eſt omnino neceſſaria in re , aut ſaltem voto de neceſſitate medii . IV. 98. b. Parvulis olim data eſt ſacra Communio , ſed ſine ulla neceſſitate . *ibid.* Janſenius admittit , quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem . VI. 80. b. Janſenius vi primæ propoſitionis ait , inductam fuiſſe per peccatum Adami neceſſitatem peccandi , & e contra per gratiam Chriſti neceſſitatem bene operandi . VI. 85. a. Berti non admittit cum Janſenio ſolam indeliberatam delectationem , & neceſſitatem antecedentem , quæ ſine deliberatione voluntatis eſt . VI. 96. a. & b. Idem cum Berti judicat Vaſquez . VI. 96. b. Bellarminus . *ibid.* Thomiſtæ . *ibid.* & *ſeq.* Voluntas non ex electione , ſed ex neceſſitate appetit finem ultimum , VI. 99. a. Ex electione autem , & libertate indifferentiæ fertur in media . *ibid.* Berti ait , non ſufficere ad merendum , vel demerendum libertatem a neceſſitate . VI. 108. a. & b. Denegatur in libris Berti delectatio illa gradibus ſuperior, quæ ita ſit invincibilis , & neceſſitatem inferens , ut ſub illa voluntas a ſola coactione ſit libera . VI. 114. b. *tot.* §. I. Berti cum Thomiſtis in delectatione victrici agnoſcit neceſſitatem non antecedentem , ſed conſequentem . VI. 120. a. & b. Bellelli nullibi docuit , delectationem victricem , ſeu gratiam efficacem inferre libero arbitrio neceſſitatem antecedentem . VI. 135. b. *tot.* §. I. Bajus docet ſublatam eſſe libertatem a neceſſitate : refutatur ab Auguſtinianis . VI. 170. a. & b. Bellelli propugnat libertatem a neceſſitate eſſe neceſſariam ad meritum , & demeritum . VI. 137. a. & b. & 148. a. & b. Anonymus ex ſyſtemate Bellelli neceſſitatem exſculpere conatur . VI. 139. b. Anonymus conatur probare , Bellellium in ſenſu Janſenii explicare neceſſitatem abſolutam , & conditionatam , antecedentem , & conſequentem . VI. 145. a. & 146. a. Anonymus ait , Bellellium non bene explicare neceſſitatem conſequentiæ . VI. 145. b. & 147. a. Anonymus neceſſitatem actus ſecundi a Bellellio explicatam tamquam novitatem hæreticam arguit. VI. 145. b. & 147. a. Vid. *Languetius* .

Necromantia eſt ſpecies magiæ illicitæ . I. 276. a.

Nectarius . Quid dicendum de facto Nectarii Epiſcopi , & Eudæmonis Confeſſionem Sacramentalem prohibentium . IV. 170. b. & *ſeq.* De Nectarii eruditione , moribus , ac probitate . *ibid.*

Neomenia . Tempore Chriſti non utebantur Judæi duplici Neomenia , a Phaſe Lunæ , & a congreſſu Planetarum deducta; neque duplici calculo , Aſtronomico , & vulgari , quorum unum Dominus , alterum Jeroſolymitani ſecuti fuerit . IV. 45. b. Quid apud Judæos dicatur Neomenia . *ibid.*

Neophytus non eſt ordinandus . IV. 295. b.

Nepomucenus . Vide *Sanctus Joannes Nepomucenus* , & *Joannes Nepomucenus* (*S.*) .

Nepos . An Chriſtus poſſit dici nepos Joachimi , & Annæ . III. 59. a.

Neptunus unde ortum habeat . II. 268. b. Stulte inter Deos refertur . *ibid.* Dicitur etiam Saturnus , habet filios Cyclopes . *ibidem* .

Neſcio . Vide *Ignoro* .

Neſtorianus . Quid ſit dicendum de Symbolo Neſtoriano . I. 211. a. & b. Neſtorianus aggrediens ſecundam Trinitatis Perſonam damnatur ſecundo fidei articulo . II. 281. b. Ac tertio . *ibid.* Item Traditione . II. 299. a. Quo in ſenſu dixerint Neſtoriani *unum de Trinitate paſſum ac mortuum* . III. 91. b. Monachi Acœmetæ negantes Chriſtum eſſe unum de Trinitate tamquam Neſtoriani ſunt damnati . III. 92. b. An Monachi Scytæ fuerint Neſtoriani . III. 93. a. & b. Admiſerunt Neſtoriani in Euchariſtia adeſſe Corpus Chriſti, ſed non Verbi . IV. 70. b.

Neſtorius . Ejus error de ſumma Trinitate . I. 174. a. Duas in Chriſto agnovit Perſonas . II. 47. a. & b. Hujus vita narratur . III. 54. a. Negat B. Virginem poſſe dici *Deiparam* . *ibid.* Denegat Chriſto unionem hypoſtaticam . *ibid.* a. & b. Erravit in hoc ſicut Paulus Samoſatenſis . III. 54. b. Sentit cum Apollinario in materia unionis hypoſtaticæ . III. 55. b. In Chriſto contra Neſtorium unica eſt admittenda Perſona . III. 56. a. Contra eum probatur B. Virginem recte dici *Deiparam* . III. 57. b. S. Cyrillus ob Capitula quædam a Neſtorio habetur ut Apollinariſta , & Arianus . III. 54. a. Neſtorio ſummopere reſtitit S. Cyrillus . IV. 59. b. Explicantur duodecim Anathematiſmi a S. Cyrillo contra Neſtorium editi . III. 61. a. & b. Joannes Antiochenus , & Orientales impugnantes S. Cyrillum, non propugnarunt hæreſim Pelagianam , aut Neſtorianam . III. 63. a. Cur Joannes Antiochenus reſtiterit S. Cyrillo , ac irritaverit depoſitionem Neſtorii . III. 63. b. An Theodoretus ſe opponens S. Cyrillo adhæſerit Neſtorio , ac hujus dogmata tradiderit . III. 64. a. Neſtorii Magiſter erat Theodorus Mopſueſtenus . III. 65. b. An tria Capitula Theodoreti contra S. Cyrilli Anathematiſmos , Ibæ , & Theodori Mopſueſteni , recte ut Neſtoriana fuerint proſcripta . *ibid.* & *ſeq.* Neſtorius denegat Chriſto communicationem idiomatum . III. 78. a. Refutatur . *ibid.* a. & b. An Felix Epiſcopus , & Elipandus dixerint Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum in ſenſu Neſtorii negando unionem hypoſtaticam , III. 81. b. & *ſeq.* Et admittendo duas Perſonas . *ibid.* Neſtorius vocavit Chriſtum *Dominicum* , *Deiferum* . III. 91. a. Quales errores circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia docuerit . IV. 75. b.

Neutra intentio . Vide *Intentio* .

Nicænus . Synodus Nicena ad exprimendam conſubſtantialitatem Filii jure merito adhibuit verbum ὁμοούσιος . I. 200. a. An huic Synodo licitum ſit quid addere . I. 211. a. Cur in Symbolo Nicæno B. Virgo non vocetur Deipara , vel Chriſtipara . I. 211. b. Concilium plenarium , de quo Auguſtinus adverſus Donatiſtas affirmat , ad ejus auctoritatem , & robur productam antiquam unius Baptiſmatis conſuetudinem ,

nem; videtur esse Nicænum, sed non istud solum intelligit. III. 300. a. Præter Nicænum canonem multæ aliæ Ecclesiasticæ definitiones probarunt Baptisma hæreticorum sub invocatione SS. Trinitatis collatum. III. 302. a. Vide *Concilium*.

Nicetas Pectoratus. Humbertus ait Nicetam Pectoratum esse Stercoranistam, & Arium horum auctorem. IV. 90. a. Nicetas defenditur, IV. 90. a. & b. An Nicetas docuerit Eucharistiæ Sacramento frangi jejunium. *ibid.* Aut illud per modum communis cibi egeri, & projici ex alvo. *ibid.*

Nicolaitæ probans promiscuum usum mulierum reprobatur. II. 323. b.

Nicolaus I. An Græci, vel Latini omnium primi in Bulgaria fidem disseminarint. IV. 25. b. & 26. a. & b. Nicolaus I. jussit de novo confirmari Bulgaros consignatos a Græcis per Photium missis. *ibid.*

Nicolaus Nancellus quid sentiat de sanguinis, & aqua profluente ex latere Christi. II. 168. a.

Nicomedia. An Constantinus Romæ, vel Nicomediæ fuerit baptizatus. IV. 6. a. & b. An a S. Silvestro. IV. 22. b.

Nihil. An hoc nomine veniat peccatum, & diabolus. II. 233. a. & b.

Nihilum. An Anima rationalis, sit creata ex nihilo. I. 299. b. *& seq.*

Ninivitæ. Quod ad Pœnitentiam salutarem requirantur tres partes, Contritio, Confessio, & Satisfactio, conveniunt Catholici, declarantes illud exemplo filii prodigi, & Ninivitarum. IV. 142. a.

Nisan fuit primus Mensis in anno. I. 288. b. *& seq.* Quo die mensis Nisan immolabatur Phase, an luna decimaquarta ineunte, vel exeunte. IV. 43. b. Pascha Judæorum immolabatur luna XIV. exeunte, idest, horis pomeridianis XIV. diei mensis Nisan, ad quas sequebatur Vespera, & initium diei XV. & Paschalis solemnitas. IV. 44. a. & b. Pascha quid significet. IV. 44. b. Solemnitas Azymorum in diem XV. ineuntem mensis Nisan incidebat. *ibid.* Plenilunium perfectum est die XV. mensis Nisan ineunte. IV. 45. a. Populus Israel die XIV. exeunte mensis Nisan Pascha immolavit, & eodem die eductus est e terra Ægypti. IV. 45. a. & b. Solemnitas Azymorum duravit septem, & non octo diebus, incœpitque die XV. ineunte mensis Nisan. IV. 46. a.

Noa. Quinam populi a Noa ortum ducant. I. 294. a.

Nobilitas non est beatitudo hominis. II. 231. a.

Nocumentum. An leges humanæ obligent cum gravi nocumento. II. 207. b. An leges Divinæ. *ibid.*

Noe quando egressus de Arca. I. 288. b. Vide *Diluvium*. Mures in Arca Noe ex stercore Elephantis natos, docent Mahumetani. II. 272. a. Et feles ex halitu Leonis. *ibid.* An Melchisedech erat Sem, qui fuit filius Noe. III. 95. a. An hujus natu major fuerit Sem, vel Japhet. *ibid.* Cur Christus non sit Sacerdos secundum ordinem Noe. III. 96. a. & b. Arca Noe Christi Incarnationem, Mortem, & Resurrectionem figurabat. III. 116. a. & b. Item Ecclesiam. *ibid.* An Noe sit salutem consecutus sine satisfactione Christi. III. 117. a. & b. Quomodo intelligendum illud: *In quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus vivens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando cum fabricaretur Arca*. III. 130. b. *& seq.* Vide *Carcer*. Baptismi typus fuerunt Diluvium Noe, & Mare rubrum, III. 250. a.

Noetus. Ejus error de Summa Trinitate. I. 174. a.

Nomen. Error Eunomii de Divinis Nominibus. I. 43. a. Nomen Dei est ineffabile. *ibid.* Nominum divinorum plura sunt genera. I. 44. b. Ex Divinis Nominibus alia significant naturam, alia attributa. I. 43. b. Quot sint Dei Nomina. *ibid.* Quæ Dei Nomina inveniantur in S. Litteris. *ibid. & seq.* Nomen Jesu quid significet. I. 44. a. Quod Christus sit Summus Deus, æqualis Patri, ac eidem consubstantialis, probatur ex Divinis Nominibus. I. 195. a. Objectiones super hoc solvuntur. I. 197. a. *per tot. cap.* XII. Idem ex iisdem probatur de Spiritu S. I. 205. a. Quæ Nomina conveniant Divinis Personis. I. 213. b. Nomen Angeli explicatur. I. 241. a. Non est licitum usurpatione nominum, quæ sunt signum superstitiosi cultus, Religionem callide simulare. II. 308. b. Vide *Ritus*. An Baptismus valeat sine expressione subjecti per pronomen *Te*, aut per nomen aliud. III. 278. a. An valeat Baptismus, si loco *in nomine* dicatur *in nominibus*. *ibid.* An valide hac forma conferatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.* III. 278. b. Nomina Gentilium non sunt imponenda baptizandis. III. 331. a. & b. Nomen in Confirmatione interdum immutatur, & cur. IV. 41. b. Cur idem fiat a Religiosis profitentibus aliquod Institutum. *ibid.*

Norisius (*Henricus*) S. R. E. Card. de Jansenismo non semel est insimulatus. V. 62. *num.* III. Quomodo explicet propositiones Baji. V. 87. b. Norisius ab Anonymo tacite, ac temere impetitur. V. 108. b. & 109. a. & b. Norisius qualem tulerit censuram in propositionem 27. Baji. V. 125. a. & b. Quid Norisius scripserit de concupiscentia. V. 132. b. Quid Norisius senserit de propositione 55. Baji. V. 125. a. & 132. b. Norisius quid sentiat de operibus infidelium, & peccatorum. V. 159. b. Norisius quale judicium ferat de propositionibus 28. & 29. Baji. V. 162. a. Quomodo explicet illud: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. V. 162. b. Norisii libri a censura immunes sunt. V. 173. a. Quo præclaro elogio Norisius a Benedicto XIV. P. M. honestetur. V. *pag.* 63. Norisii propositiones non tantum ab omni censura sunt immunes, sed etiam a Pontificibus multum laudatæ. VI. 87. b. Berti sententia, quod gratia modo sit efficax, modo inefficax, & habeat gradus suos, non est Jansenianа, sed ex S. Augustino, Norisio, & Macedo exscripta. VI. 73. a. & b. Quod justi semper habeant gratiam sufficientem servandi præcepta, non autem semper efficacem, docet Norisius. VI. 86. b. *& seq.* Augustinianos, & Thomistas admittere gratiam sufficientem ab efficaci distinctam, probatur ex Norisio, & Macedo. VI. 88. a. & b. Norisii doctrina, quod gratia efficax sit reponenda in delectatione victrici, quæ superat minores gradus concupiscentiæ, Catholica est, non Jansenianа. VI. 74. a. & b. Quod Berti sententia, quæ negat esse in homine lapso potentiam proxime expeditam sine gratia efficaci ad opus supernaturale, non sit Jansenii errori obnoxia, probatur ex Norisio. VI. 77. a. & b. *& seq.* Norisius docuit cum Catholicis, Christum pro omnibus esse mortuum, pro omnibus omnino hominibus instituisse Sacramenta, ac remedia præparasse; remedia tamen, & gratias præparatas non omnibus actu applicari. VI. 95. a. & b.

Norvegus. An Papa possit concedere, ut absque vino conficiatur Eucharistia in iis regionibus, in quibus vinum haberi nequit; & an Innocentius VIII. id concesserit Norvegis. IV. 64. b. An id etiam concesserit Alexander VI. *ibid.*

Notarii an peculiarem constituerent Clericorum Ordinem. IV. 265. a. & b.

Notio quid sit, & quot notiones sint in Trinitate. I. 214. b.

Notionalis. Quid in Divinis sit intellectus notionalis, & quid essentialis. I. 194. b. Spiratio est proprietas notionalis. I. 214. b. Quot sint proprietates notionales. *ibid.*

Notitia. Vide *Naturalis*.

Novatianus. Baptismus Clinicorum validus est. III. 265. a. & 266. b. *& seq.* Quid dicendum de Baptismo Novatiani in lecto baptizati. III. 266. b. *& seq.* Libellatici, Novatiani, Donatistæ, & Ariani rebaptizabant. III. 285. a. An Novatianus negarit Confirmationem esse Sacramentum. IV. 2. b. An Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus de novo fuerint collata Sacramenta Ordinis, & Confirmationis. IV. 5. b. Pœnitentiæ Sacramentum negant Novatiani. IV. 133. a. Solvuntur variæ objectiones Novatianorum, volentium probare, aliqua peccata nunquam dimitti per Pœnitentiam. IV. 138. b. *& seq.* Novatianus rejicit Confessionem Sacramentalem. IV. 165. a. Quam tamen ante lapsum concesserat. IV. 171. b. Pœnitentiarius jam ante hunc erat constitutus. *ibid.* Quale munus fuerit Pœnitentiarii ob hæresim Novatianam. IV. 172. b. Indixerunt ob delicta pœnitentiam gravem Novatiani, nec tamen deinde concessere absolutionem. IV. 211. a. & b. Vita, & vitia Novati describuntur. IV. 219. b. A Fabiano fuit separatus ab Ecclesia. *ibid.* Denegavit lapsis veniam. *ibid.* Canones Apostolorum originem sumpsere occasione hæresis Novati. *ibid.* An ordinatus ab Episcopo Novatiano sit valide ordinatus. IV. 288. a. & b.

Novatores. Error eorum de inæquali visione, & gloria Sanctorum. I. 92. b. Error eorum de Spiritu S. refutatur. I. 205. b. *& seq.* Negant miracula esse signum veræ Religionis. I. 273. b. Novatores hæretici dicunt, peccatum originale esse ipsam concupiscentiam. II. 11. a. Quomodo in materia de necessitate gratiæ ad opus morale differant Doctores Catholici a Novatoribus. II. 119. a. Novatores ab observantia legis excipiunt cœptum Justorum. II. 166. a. Vide *Hæreticus*. Novatores nituntur probare Papam posse in hæresim incidere, & damnari a Concilio generali. III. 46. b. Gratiam Sacramento Confirmationis conferri, negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, ac Novatores propemodum omnes. IV. 33. a. Contra hos probatur, Confirmatione conferri aliquam gratiam sanctificantem. IV. 33. b. Vino consecrando modicum naturalis aquæ perantiqua traditione, & Ecclesiæ præcepto debet infundi. IV. 61. a. Refutantur Armenii, qui solum vinum consecrabant. *ibid.* An etiam hoc fecerint Græci. *ibid.* Protestantes, ac Novatores negant id esse de præcepto. *ibid.* Impugnantur. IV. 61. a. & b. Laudabilissime in Festo Corporis Christi fit Processio, & circumgestatio Sacramenti Corporis Christi. IV. 93. b. Hæc Processio ortum habet ab Urbano IV. *ibid.* Eadem reprobatur a Calvino, Kemnitio, & Novatoribus omnibus. IV. 94. a. Communionem esse necessariam necessitate medii, docent quidam Græci, Calviniani, ac Novatores alii. IV. 97. b. Quod Missa sit Sacrificium latreuticum, & Eucharisticum, admittunt Novatores hæretici, sed propitiatorium, & impetratorium negant. IV. 118. a. Missas privatas calumniantur Novatores hæretici, easque quæstus causa introductas asserunt Confessionis Augustanæ compilatores. IV. 119. b.

Novatus. Contra hunc probatur esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata. II. 285. b. Novatus ob neglectam Confirmationem persecutionis tempore negavit se Sacerdotem esse. IV. 32. b. Qualiter conatus sit Episcopatum rapere. IV. 285. b. Vide *Novatianus*.

Noverca. Compater non potest esse Pater, Mater, Vitricus, aut Noverca. IV. 40. a.

Novitas. Quænam novitas repugnet fidei. III. 169. b.

Novitius gaudet privilegio Canonis. II. 222. a.

Novus. Novum Testamentum. Vide *Testamentum*. Quid sit lex Divina nova. II. 174. b.

Nuditas. De pudore nuditatis: est pœna peccati; I. 321. a. & b.

Nugæ Judaicæ, ac maledicta, seu tria Capitula, an fuerint recte ut Nestoriana damnata. III. 65. b. *& seq.*

Numerus. Quis sit numerus prædestinatorum. I. 168. a. Scriptura non utitur numero plurali in verbis Dei, *Faciamus* &c. ob phrasim Hebraicam, nec honoris causa more Europæorum, sed ad exprimendam Trinitatem Personarum. I. 174. b. *& seq.* Solvuntur objectiones contrariæ. I. 174. usque ad 178. De numero Angelorum. I. 246. b. Numerus prædestinatus electorum an possit augeri, & minui. IV. 59. a.

Nuntius. Cur Angeli vocentur nuntii. I. 241. a.

Nuptiæ. An in Paradiso fuisset usus Nuptiarum, Adamo non peccante. I. 314. b. Encratitæ, & Marcionitæ damnant Nuptias. I. 322. b. An licitum sit in die secundam Missam celebrare, ut infirmus Viaticum recipiat, aut ob commodum iter agentium, aut ob Nuptias. IV. 129. b. Vide *Matrimonium*. Secundæ Nuptiæ non benedicuntur, & quare. IV. 330. b.

Nutus. Valide fit Confessio per nutus, si usus linguæ non adsit. IV. 180. b. Unde S. Franciscus non probavit Fratris Confessionem per nutus amore silentii factam. *ibid.* In mutis & surdis consensus Matrimonialis exprimi potest per nutus. IV. 312. a.

Nux. An ad Chrisma requiratur oleum olivarum, vel an sufficiat oleum ex amygdalis, nucibus, &c. expressum. IV. 15. a.

O

Obcæcatus. An non tantum obcæcatis, sed etiam justis desit gratia necessaria ad servanda præcepta Dei. II. 90. b. & *seq.* An habeant gratiam sufficientem. II. 131. b. & 132. a. & b. *ac* 135. b. Quid sit conscientia obcæcata. II. 244. b. Vide *Excæcatus*.

Obduratio Judæorum circa Mysterium Trinitatis quibus argumentis sit vincenda. I. 178. b.

Obduratus. Vide *Obcæcatus*.

Obedientia rerum sensu, & ratione carentium, & hominum explicatur? II. 176. b. & 177. b. Christus ut homo tenebatur quidem ad obedientiam Patri cælesti, sed non tenebatur præcepto mortis. III. 122. b. Nisi ut fidejussor, sponsor, vas, & obses. *ibid.* Justificatio impii non consistit in obedientia mandatorum. V. 104. a. Bajus docet hominem justificari sine gratia per solam obedientiam mandatorum; longe aliter scribunt Augustiniani. VI. 172. b. & *seq.*

Obex Baptismi, quem peccatores, & hæretici ponunt in tali statu suscipiendo Baptismum, non tollitur per Confirmationem sine Pœnitentia. IV. 34. b.

Objectum Theologiæ quodnam sit. I. 10. a. Antiqui studuerunt subtilius, quam opus sit, vestigare materialis, & formalis objecti discrimina. *ibid.* b. Quale sit objectum visionis beatificæ. I. 94. b. Quomodo Angeli cognoscant objecta omnia. I. 252. a. & b. Et in quo medio. I. 252. b. Quomodo ea, quæ evidenter scimus, possint esse objectum fidei. II. 289. b. An in rebus fidei detur evidentia objecti. *ibid.* & *seq.* Quodnam sit objectum materiale fidei. II. 290. a. Quodnam sit objectum fidei necessarium, ac per se, & quod objectum per accidens. *ibid.* An objecta fidei creverint successu temporis, an fuerint mutata. *ibid.* Quodnam sit objectum formale fidei. II. 290. b. & 312. a. Quodnam objectum spei. II. 313. b. & *seq.* In Sanctis non datur objectum spei. II. 314. a. & b. Quodnam sit objectum charitatis. II. 319. a.

Oblatio. Sacrificium, quod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit, non est improprie tale, consistens in sola Dominici Corporis distributione, & Communione, sed vera oblatio est, ac proprie dictum Sacrificium. IV. 114. a. Olim in Missa fiebant duæ oblationes, una ex pane fermentato in usum pauperum, & altera ex pane azymo in usum Sacrificii. IV. 55. a. & b. Vide *Sacrificium*.

Oblivio. An peccata per oblivionem omissa sint in alia Confessione exponenda. IV. 183. b. Oblivio inculpabilis excusat ab integritate Confessionis. IV. 186. b. Si prævideat peccator scelerum oblivionem, tenetur illico confiteri. IV. 196. b.

Obreptio reddit privilegium irritum. II. 222. a. Quid sit. *ibid.*

Obses an possit occidi ab hoste. III. 111. b. An Christus potuerit occidi, quia fuit obses. III. 122. b.

Obstetrix. An Deus remuneraverit mendacium obstetricum Ægypti. II. 180. b. & 181. a. An sit iterato baptizandus infans, si domi ab obstetrice urgente necessitate sit baptizatus. III. 305. b. An infantes expositi, & inventi cum schedula testante, Baptismum esse collatum, sint iterum rebaptizandi. III. 306. a.

Obstinatio. Peccant dæmones actu ob obstinationem suam, & quæ sit causa hujus obstinationis. I. 257. b. Dæmones habent voluntatem immutabilem ob obstinationem. I. 258. a.

Obumbratio. Spiritus S. per obumbrationem Virginis non est factus Pater Filii. I. 205. a.

Occasio. Qui non vult dimittere proximas peccandi occasiones, non est absolvendus. IV. 204. b. Erga occasioni deditum Confessarius non sit nimis facilis, nec nimis difficilis. *ib.* & *seq.* Quando occasioni dedito sit absolutio danda, neganda, vel differenda. IV. 205. a. Si negatur, vel differtur, inculcetur contritio. *ibid.*

Occidens. Christus cruci affixus respiciebat Occidentem. III. 165. b.

Occidentalis. Hetruriæ populi sunt cæteris Occidentalibus antiquiores. I. 294. a. In Ecclesia Occidentali etiam ante duodecimum sæculum Eucharistia sæpissime sumebatur sub una specie panis. IV. 102. a. & b. Vide *Ecclesia*.

Occido. An validus sit Baptismus collatus in aqua ferventi, aut venenata, animo baptizandi, sed simul occidendi, adhibita. III. 268. a. & b.

Occisio injusti vitæ aggressoris an sit licita. II. 326. a. & *seq.* In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ. *ibid.* Occisio furis quando licita. II. 326. b. & *seq.* An per occasionem injusti aggressoris incurratur irregularitas. II. 327. b. Illicita hujus occisio evadit, si fiat ex noxia cupiditate. *ib.* Aut animo ulciscendi. *ibid.* Aut amore solius vitæ propriæ, huic posthabendo salutem animæ proximi. *ibid.* Aut ex ira, non vitæ defensionem, sed alterius mortem intendendo. *ibid.* & *seq.* Quando habeatur jus in vitam proximi. *ibid.* An sit excogitabilis casus, in quo aggressoris occisio fiat sine peccato. IV. 328. a. Quomodo intelligendum illud: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* IV. 328. b. An aliquando sit licita occisio innocentis. III. 111. b. An licita occisio obsidis. *ibid.*

Occultus. An Ecclesia possit judicare de peccatis occultis. IV. 170. b. & *seq.* Cur in lege nova sit præcepta peccatorum occultorum Confessio, & cur non in veteri. IV. 176. b. & 177. b. Confessio aliqua est necessaria peccatori, sive publica deinde sit, sive occulta. IV. 178. b. Confessioni publicæ semper est præmissa occulta. IV. 179. a. & b. An etiam occulta peccata per publicam pœnitentiam fuerint punita. IV. 179. b. & *seq.* & 221. b. & *seq.* Occultorum criminum delatio fuit punita pœnitentia publica. IV. 223. a.

Oceanus. An Paradisus terrestris sit ultra oceanum. I. 285. a.

Ochamus an neget transubstantiationem. IV. 88. a.

Ochinus (*Bernardinus*) ejus error de Trinitate. I. 174. a.

Octaeteris Romanorum, & Judæorum Lunaris. III. 159. b.

Hi fiunt Ministri Pœnitentiæ respectu suorum confratrum per approbationem suorum Superiorum Regularium. IV. 193. b. Ut possint excipere confessiones sæcularium, debet accedere approbatio Episcopi illius Diœcesis, in qua volunt confessiones excipere. *ibid.* Quid insuper in Regulari requiratur, ut possit excipere confessiones Monialium. *ibid.* & seq. Etiam Regulares subire tenentur examen Episcopi, si huic idoneum videatur pro danda approbatione. IV. 194. a. An Regularis, qui injuste in examine est reprobatus, possit excipere confessiones? *ibid.* Episcopus potest Regularibus facultatem audiendi confessiones sæcularium, aut etiam Monialium coarctare, revocare, aut suspendere. *ibid.* An hoc etiam intelligendum de confessione Monialium jurisdictioni Regularium subjectarum. IV. 193. b. & seq. Superiores Regularium possunt sibi reservare casus suorum subditorum. IV. 194. b. Quænam peccata reserventur a Regularibus? IV. 195. b. Regulares non possunt absolvere Episcopo subjectum a casu ab eo reservato. *ibid.* An satisfaciat præcepto de confessione annua, quia non Parocho, sed Regulari confitetur. IV. 197. b. & seq. An etiam hi possint dici *Sacerdotes proprii*? IV. 198. a. & b. Regulares administrantes Clericis, vel laicis Sacramenta extremæ unctionis, Viatici, aut Matrimonii sine licentia Parochi incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. IV. 195. a. & 243. a. Quid dicendum, si id faciant in extremo vitæ periculo, & Parocho absente? *ibid.* An tenerentur ad matrimonium, si omnes sæculares perirent. IV. 303. a. & b. Quid dicendum de votis simplicibus Religiosorum Societatis. IV. 318. a.
Reichenbach (*P. Aurelius*) quas Theses in Viennensi Universitate propugnavit summa cum laude ad consequendam supremam lauream. VII. 57. b.
Rejensis (*Faustus*) fuit dux Semipelagianorum. II. 59. b.
Relatio. Personæ Divinæ multiplicantur, & distinguuntur ob relationes. I. 237. a. De divinarum relationum existentia, numero, & perfectione. I. 238. a.
An character sit relatio realis. III. 238. a. Vide *Opus*.
Religio. Miracula sunt signa veræ Religionis. I. 273. b.
An in rebus Religionis licita sit simulatio. II. 197. a. & seq. usque ad cap. XI. Quid de hac statuat lex Romana? II. 220. a. Religio varias sub se complectitur partes. II. 229. b. An sit vera virtus sine dilectione? II. 230. a. & seq. Vera Religio non invenitur inter Gentes, & Idololatras. II. 268. a. *tot. cap.* I. Nec inter Turcas, aut Mahumetanos. II. 271. b. *tot. cap.* II. In Religione Catholica posse homines salvari, concedit Mahumet. II. 272. b. Hoc motivo est conversus Henricus IV. Rex Galliæ. *ibid.* Contra Religionem veram factæ a Mahumetanis objectiones solvuntur. II. 272. b. & seq. Fides Christiana est evidenter vera. II. 273. a. *tot. cap.* III. Testimonia vet. testamenti de Christo comprobant Religionem Christianam esse veram. II. 273. b. Atque hæc vaticinia sunt antiqua, Divina, nec a Christianis conficta. *ibid.* Veritas Religionis Catholicæ ulterius patefit ex historia Evangelica. *ibid.* Ex miraculis Christi. *ibid.* Ex modo promulgationis Evangelii. II. 274. a. Et aliis rationibus. *ibid.* & seq. Quid sit Religio? II. 277. b. Quinam illius actus interni, & externi? *ibid.* Actus interni Religionis non inveniuntur apud Calvinistas, Lutheranos, Zwingli.anos. *ibid.* Nec externi. *ibid.* Non recipiunt orationem, non Sacrificia. *ibid.* Nec templa, invocationes Sanctorum, cultum imaginum. *ibid.* Religio catholica ulterius stabilitur. II. 278. a. & seq. An licitum tyranno de Religione interroganti occultare fidem? II. 308. a. & seq. Non est licitum, usurpatione rituum, ciborum, vestium, ac nominum, quæ sunt indicium superstitiosi cultus, Religionem callide simulare. II. 308. b. & seq.
Quibus argumentis ad Religionem Catholicam sint pertrahendi Gentiles? III. 22. a. *tot. cap.* X. probatur diversimode quod Religio Catholica sit vera. *ibid.* An hanc susceperit Pilatus? III. 23. b. Solvuntur Gentilium objectiones contra Religionem Catholicam. III. 24. b. & seq. *tot. cap.* XI.
Circumcisio erat signum initiativum Religionis. III. 178. a. Adhibens in administratione Sacramentorum materiam, vel formam probabilem relicta certa ac tutiori peccat contra Religionem ob irreverentiam. III. 200. b. Nisi extrema necessitas excuset. III. 201. a.
Quid faciat is, qui fecit sponsalia jurata, si ante matrimonium initum statuat ingredi Religionem. IV. 308. b. An votum solemne Religionis dirimat matrimonium jure naturali, ac Divino, aut solum Ecclesiastico? IV. 318. a. Vide *Professio*.
Religiosus. Vota religiosa non obligant jure naturali. II. 178. b. An Monasteria, & domus Religiosorum gaudeant asylo? II. 217. a. Plus est diligendus Frater Religiosus, quam carnalis. II. 324. a.
Viri ac mulieres emittentes Professionem Religiosam confirmationem prius recipiant, ratione congruentiæ non præcepti. IV. 33. a. Vid. *Regularis*.
Religiosus tenetur singulis mensibus confiteri. IV. 183. a. Vid. *Regularis*. Professio religiosa est titulus sufficiens ad Ordines. IV. 296. b. Vide *Professio*.
Reliquiæ. Ecclesiæ diligentia discernentis Martyres veros a falsis diversimode probatur, quod idem fit in investigandis Sanctorum Reliquiis. III. 324. b. & seq.
An una cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento publice exposito possint exponi SS. Reliquiæ? IV. 95. a. De altarium consecratione, ac sepulchro SS. Reliquiarum. IV. 126. b. & seq. Quid sit altare portatile, an in eo inclusæ sint Reliquiæ? IV. 127. a. & b. An eo uti possint Regulares, & Episcopi? IV. 127. a.
Remedium. Omnibus præparavit Deus remedia salutis. II. 132. a. An omnes quoque reipsa eadem præparata recipiant. *ibid.* & seq. Vide *Gratia*, vel *Parvulus*.
Remigius (*S.*) quomodo explicet illud: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*? V. 162. b.
Reminiscentia est somnium Platonicorum, & Origenistarum. I. 20. b.
Remissio. Gratia sanctificans non consistit in sola remissione peccatorum. II. 155. a. & seq. An per gratiam sanctificantem fiat vera remissio peccatorum. II. 157. a. *tot. cap.* III. An Deus possit remissionem peccatorum concedere sine gratia. II. 258. a.
Remissio peccatorum quomodo credenda? II. 285. b. Errores contrarii adducuntur. *ibid.*
Peccator per contritionem non meretur remissionem peccatorum merito de condigno. III. 126. b.
Christi Baptismus valet ad ablutionem culpæ: Baptisma Joannis contulit solum munditiam legalem, remissionem vero peccatorum nonnisi ratione pœnitentiæ, & fidei suscipientium. III. 253. b. & seq.
Remissio peccatorum an obtineatur in secunda confessione, si peccata eadem jam semel in confessione sunt exposita: vel quæ alia utilitas talis repetitionis? IV. 183. b. Peccatorum remissio est primus fructus Pœnitentiæ. IV. 224. b. An etiam extremæ unctionis. IV. 246. b. & seq.
Remunerator. An ad salutem sufficiat fides in Deum remuneratorem? II. 307. a.
Renes in extrema unctione sunt inungendi. IV. 237. a. & b. Quorum unctio in fœminis est omittenda. IV. 237. b.
Reparatio gratiæ sanctificantis post lapsum non potest de condigno obtineri. II. 168. b. & seq.
Reparatio generis humani an sit causa Incarnationis? III. 25. b. *tot. cap.* XII. Vid. *Christi satisfactio*. Noluit Deus in homi-

hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ justitiæ satisfactione. III. 109. b. *& seq.* Sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sunt. III. 110. a. Reparatio hominis non fuit condonatio, sed actus judicii, ac justitiæ. *ibid.* Solvuntur objectiones. III. 113. a. & b. *& seq.* & 124. a. & b. *& seq.* Quomodo Incarnatio sit opus Trinitatis, & Redemptio opus Christi? III. 122. b. *& seq.* Cur Christus mortem acerbissimam perpessus sit, cum unica guttula pretiosi sanguinis sufficiens pro nostra Redemptione fuisset? III. 124. b.

Reprobatio. Quid sit reprobatio positiva, quid negativa? I. 168. b. Qualiter Calvinus positivam reprobationem explicet? *ibid. & seq.* Ejus tamen sententia reprobatur ut horrenda, ac detestabilis. I. 169. a. *& seq.* An reprobationis negativæ causa sit peccatum originale? I. 170. b. De reprobatione malorum Angelorum. *ibid.* Sententia S. Augustini in hanc materiam adducitur, & laudatur. *ibid. & seq.* Nullum peccatum est effectus reprobationis. I. 173. a. Quinam effectus reprobationis? *ibid. & seq.* Quinam gradus reprobationis? I. 173. b.

Reprobo. An anima reprobetur ob scelera commissa ante unionem cum corpore. II. 27. b.

Reprobus. An etiam reprobi habeant Angelum Custodem? I. 270. b. *& seq.* An etiam hi possint vera patrare miracula? I. 273. a.

An Christus etiam pro reprobis sit mortuus. II. 96. a. *& seq. usque ad cap.* IV. Vid. *Christus*.

Jansenii propositio quinta damnata est, quia asserebat, Christum pro reprobis, & iis, qui æternam salutem non consequuntur, non esse mortuum, a Christo pro omnibus reprobis sufficientia remedia non esse præparata. VI. 91. a. Berti e contra docet cum Catholicis, Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum, ac sufficientia remedia præparasse: remedia tamen & gratias præparatas non omnibus actu applicari. *ibid. & seq.* & 134. a. An Christus dicatur mortuus pro reprobis, quia eis temporalia dona promeruit? VI. 112. a. In quo sensu Christus pro reprobis sit mortuus? VI. 112. b.

Reptile. De creatione reptilium. I. 284. a.

Repudium. An datio libelli repudii sit contra jus naturæ? II. 180. a. & 181. a. & 184. a. Inhibitio repudii est præceptum leve. II. 203. a. Hujus licentiam dat Mahumet. II. 272. a. Vid. *Libellus*.

Repugnantia. Per solam non repugnantiam Pater non constituitur Pater, sed per verum Principium. I. 233. a.

Res. Quomodo essentiæ rerum sint immutabiles. I. 60. a.

Communis substantia rerum creatarum est aqua. I. 283. b. An præterierint jam infinita rerum creatarum in duratione spatia? I. 286. b.

De obedientia rerum animatarum, & inanimatarum. II. 176. b. & 177. b. Lex æterna non est idea rerum in mente Dei existens. II. 177. a.

Reservatio Casuum potest fieri. IV. 194. b. In his sine speciali deputatione invalida est absolutio. *ibid.* Reservatio non spectat ad externam solam politiam, sed etiam ad validam absolutionem. *ibid.* Casus possunt reservare Papa respectu omnium Episcoporum, & Sacerdotum: Episcopus respectu inferiorum Sacerdotum suæ Diœcesis: Superiores Regularium respectu suorum subditorum. *ibid.* Venialia non sunt reservanda, an vero possint? *ibid.* Etiam peccata mortalia interna possunt reservari. *ibid.* Sed non expedit, unde non reservantur hæresis mentalis, homicidium in mente statutum, sed ad rem non perductum. *ibid.* An in casu reservato hoc: *Quælibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocunque modo attentata*: comprehendantur etiam *actus subimpudici*, ac quinam tales sint. *ibid. & seq.* Quinam casus sint Papæ reservati. IV. 195. a. Et quænam excommunicationes. *ibid.* Quidnam in harum reservationem absolutione notandum. *ibid.* An hæc possit obtineri vi Jubilæi. *ibid.* Vel etiam ab Episcopo, aut hujus vicario. *ibid.* Qualem confessarium eligat is, cui a Papa pro reservatis conceditur licentia eligendi, quem voluerit. IV. 195. a. & b. Quænam peccata soleant, & debeant subjici reservationi Episcoporum. IV. 195. b. Quænam reserventur a Superioribus Regularibus. *ibid.* Regulares non possunt absolvere subditum Episcopi a casu ab hoc reservato. *ibid.* In mortis articulo omnes Sacerdotes absolvere possunt etiam a reservatis. *ibid.* Quid si adsit jurisdictione pollens. *ibid.* Confessarius audiens casum reservatum, a quo absolvere non potest, debet confessionem interrumpere. IV. 196. a.

Residentia. Quando Papa possit dispensare circa residentiam? II. 179. b.

Resipiscentia. Hæretici tenent ad Pœnitentiam aliud non requiri quam melioris vitæ propositum, unde Pœnitentiæ vocabulo rejecto nominant resipiscentiam. IV. 131. b. Refutantur. *ibid. & seq.*

Resistentia. Vide *Languetius*.

Restitutio. Qui hanc facere reculat est incapax absolutionis. IV. 204. a.

Resurrectio. An post resurrectionem corpus fiat spirituale, & oculi alterius naturæ, quam nunc sunt? I. 76. b. *& seq.* Error Cerinthi constituentis regnum Christi post resurrectionem in terris. I. 82. a. *& seq.* Papias constituit pro regno Christi mille annos in terris post resurrectionem. *ibid.* Ante resurrectionem Sancti non lætabuntur in epulis, potu, divitiis, vel carnis voluptatibus. *ibid.* Resurrectio est duplex. I. 183. b. Quid desuper sentiant SS. Augustinus, Ambrosius, & Bernardus? I. 88. b. *& seq.* Quid sentiat Joannes XXII. I. 91. a. *& seq.*

Resurrectio mortuorum est opus solius Dei. I. 272. b. Explicatur factum Pythonissæ suscitantis Samuelem. I. 274. b.

Resurrectio Christi quando, & quomodo facta sit? II. 283. b. *& seq.* Undecimus Articulus de carnis resurrectione exponitur. II. 285. b. *& seq.* Errores contrarii adducuntur. *ibid.* Plures eandem omnino negant. II. 285. b. *& seq.* Eadem primum futura probatur. II. 286. a. Et quidem in hoc corpore nostro, quod moritur. II. 287. b. Sed in qua forma, ætate, ac sexu? *ibid.* Cur post resurrectionem Christus manducaverit, & cicatrices retinuerit? II. 288. b. An S. Thomas, & reliqui Discipuli nolentes credere resurrectionem Domini fidem prorsus amiserint? II. 312. b. *& seq.*

Resurrectio Christi est firmissimum argumentum fidei Catholicæ. III. 25. a. Eadem non potest negari: *ibid.* Periodus Clementis XI. Quod in resurrectione forma servi sit reversa in formam Dei, non est Eutychiana. III. 74. a. & b. Cur reconciliatio nostra tribuatur morti, & cur non resurrectioni, aut miraculis Christi? III. 109. b. An Christus dicatur Salvator, quia per resurrectionem suam nos in fide confortavit? III. 113. a. & b. *& seq.* & 124. a. & b. *& seq.* Arca Noe Christi incarnationem, mortem, & resurrectionem figurabat. III. 116. a. & b. Fuit necessaria ad fidei confirmationem. III. 119. b.

Resuscitatio Lazari nequit in dubium vocari. III. 155. a. Cur Christus jusserit in ejus suscitatione tolli lapidem? *ibid.* Præter suscitationem miraculum fuit, quod Lazarus ligatus ambularit. *ibid.* An Petrus de Apono ipsemet, vel ejus statua sit combusta ob negatam Lazari resuscitationem. *ibid.*

Revelatio. Ob revelationes debet Theologus Philosophiam captivare in obsequium fidei. I. 4. a. & b.

Mysterium Trinitatis nequit naturaliter demonstrari præsupposita etiam revelatione. I. 232. a. *& seq.*

Nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei de propria charitate & justitia. II. 171. b. An homo possit habere certitudinem spei. *ibid.* Quinam habuerint revelationem, quod sint in gratia sanctificante. *ibid. & seq.*

An in rebus fidei detur evidentia revelationis, & rei revelatæ. II. 289. b. An revelatio sit objectum formale fidei? II. 290. b. An in eo possit esse spes, qui per certam revelationem divinitus sibi factam scit se damnandum? II. 314. b. An Deus posset facere talem revelationem? *ibid.* Nequit fides esse vera, ac firma sine Ecclesiæ fundamento, aut revelatione speciali, aut virtute miraculorum, aut sine ullo hominum ministerio. II. 313. a.

Revolutio Platonica animarum. I. 304. a. *& seq.*

Reus. An sponsor possit puniri pro reo in pecunia, & corpore? III. 111. b.

Rex. An tres Magi, qui venerunt adorare Dominum, fuerint Reges? III. 144. b. *& seq.* Contra Judæos probatur, Christum accepisse Damasci spolia, & Regum obsequia. III. 145. b. Vid. *Magi*. Potestas Regis significatur in vaticinio Jacob per nomen *Virgæ*. III. 2. a. & b. & 4. a. Vid. *Dux*. In Davide, qui reprobato Saulo constitutus est Rex, præfiguratum est Regnum Christi. III. 99. b. Christus est Rex. *ibid. & seq.* An habuerit Regnum spirituale, & temporale? *ibid.* Regnum temporale Christo denegant Lutherani. *ibid.*

Parochus graviter peccat baptizando extra necessitatem domi, nisi sit proles Regis, aut Principis, quæ potest extra Ecclesiam baptizari. III. 284. a.

Dignitas Regis minor est dignitate Episcopi. IV. 278. a. Vid. *Magistratus*.

Rhetor in quo sensu utatur vocabulo *Confirmationis*. IV. 2. a.

Ribera quam sententiam de Prædestinatione amplexus sit. I. 195. a.

Richardus Simonius. Vid. *Simonius*.

Richerius (*Edmundus*) negat potestatem Papæ in Reges, summosque Principes. II. 341. a. Cardinalis Perronius ajebat, lucubrationes Joannis Gersonii non debuisse de integro novis typis excudi a Richerio. *ibid.* Liber Richerii de Ecclesiastica, & Politica potestate quoties, & a quibus proscriptus, & refutatus. *ibid.*

Rihaton quid sit in consideratione Thalmudistarum? I. 270. a.

Ripalda (*Joannes Martinez de*) quam tulerit censuram in propositionem 27. Baji? V. 124. b. Quid de charitate Dei, ut auctoris naturæ, sentiat? V. 157. b. *& seq.*

Rituale Eduardi Regis Angliæ, quos ritus præscribat pro ordinatione. IV. 291. b. Forma ibi præscripta est insufficiens. IV. 292. a. & b.

Ritus. Non est licitum, usurpatione rituum, qui sunt superstitiosi cultus indicium, Religionem callide simulare. II. 308. b. *& seq.* Secus si solum redoleant civilem consuetudinem. II. 309. a. Quid dicendum de Ritibus Sinensibus? *ibid.* ac 309. b. *& seq.* Quid de cultu Confucii? *ibid.*

Ritus Sacramentorum potest mutare Ecclesia. III. 196. b. Ritus externi non habent a solo Christo, quod sint Sacramentales, sed etiam ab intentione Ministri. III. 217. b. Vid. *Actus*, vel *Ceremonia*. Ritus in administrandis Sacramentis observari soliti, qua religione sint exercendi. III. 247. b. Iis a Paganis, sectisque hæreticorum secernimur. *ibid. & seq.*

Ritus in Confirmatione observandos præscripsit Concilium Meldense. IV. 8. b.

Ritus, qui in administratione Sacramentorum sunt præscripti, an possint contemni, omitti, vel ab Episcopis mutari. IV. 240. b. De ritibus extremæ unctionis. IV. 250. b. Vid. *Ordinis Ritus*. De ritibus matrimonii. IV. 337. *& seq.*

Rixa. Si sanguinis effusio sit levis, ut contingere solet in rixa puerorum, templum non violatur. IV. 125. b.

Roccus falso docuit animam esse corpoream. I. 302. a. & b.

Rochetum: De ejus usu. IV. 298. a.

Rodolphus an fuerit Henrico substitutus a Romano Pontifice. II. 341. b. Bello profligatus, lethaliter vulneratus, atque morti proximus quid dixerit. II. 357. a.

Rolliers (*Antonius*) docet, propositionem 38. Baji loqui in sensu charitatis sanctificantis. V. 94. b. Qualem tulerit censuram in propositionem 27. Baji? III. 125. b.

Antonius Rolliers docet cum Catholicis, Christum pro omnibus esse mortuum, pro omnibus omnino hominibus instituisse Sacramenta, ac remedia præparasse: remedia tamen & gratias præparatas non omnibus actu applicari. VI. 94. b.

Roma quo anno sit ædificata? I. 290. b.

An in lege Ecclesiastica sufficiat promulgatio solum Romæ facta? II. 203. a. *& seq.* Quænam dispensationes Romæ dicantur datæ sine causa? II. 222. *& seq.*

Quo anno a Roma condita Christus natus sit? III. 139. b. *& seq.* Æra vulgaris Dionysiana incepit anno Romæ 754. III. 140. a.

An Constantinus Romæ, vel Nicomediæ fuerit baptizatus? IV. 6. a. An a S. Sylvestro? IV. 22. b.

Romana Synodus sub S. Silvestro Papa. IV. 265. b. Ab hodiernis Criticis rejecta. *ibid.* a. & b.
Romana Ecclesia septem tenet Sacramenta. III. 184. b. *& seq.* Vid. *Ecclesia*.
Romanus. Quid sit jus Romanum? II. 174. b. Leges Romanæ variam habent divisionem. II. 220. a. Quid lex Romana statuat de Religione, quid de cultu parentum? *ibid.* Quid de homicidio? *ibid.* Quid de fornicatione, & libidine? II. 220. b. Quid de furto? *ibid.* Quid de conviciis, falso testimonio, & calumnia? *ibid.* An leges Atticæ, ac Atheniensis habeant concordantiam cum Romanis? *ibid. & seq.* Virtus Romanorum non erat vera virtus. II. 229. b. Romani & Græci duodecim numerant Deos *Consentes*, & octo *Selectos*, ac turbam Deorum minorum immensam. II. 268. a. *& seq.* Stulte inter Deos referunt Jovem. *ibid.* Neptunum. II. 268. b. Vulcanum. *ibid.* Martem. *ibid.* Mercurium. II. 269. a. Apollinem. *ibid.* Junonem. *ibid.* Minervam. II. 269. b. Venerem. *ibid.* Vestam. *ibid. & seq.* Cererem. *ibid.* Dianam. II. 270. a. Fabularis historia de Diis *Selectis* Jano, Saturno, Geniis, Libero, Plutone, Sole, Luna, & Terra. *ibid.* a. & b.
Soldurii apud Gallos, Decii apud Romanos se morti tradunt pro aliis, propterea vocantur Antipsychi. III. 104. b. Octacteris Romanorum, & Judæorum lunaris. III. 159. b. Romani cives non puniebantur flagellis, aut fustuario. III. 162. a. Christus flagellatus est more Romanorum, non Judæorum. III. 162. b.
Consecrare in azymo Romanæ Ecclesiæ non est vitio vertendum, quod tamen imperite quidam Græcorum faciunt. IV. 59. b. Quam formam consecrationis præscribant S. Gregorius, Missale Romanorum, Ambrosii, Indorum? IV. 65. b.
Rombardus. Vide *Theologus*.
Rosaceus. An aqua rosacea, vel ex floribus, ac arboribus expressa sit materia sufficiens Baptismi? III. 263. b. *& seq.* An similis aqua possit sub conditione adhiberi deficiente alia aqua? III. 264. a.
Ruber. Baptismi typus fuerunt diluvium Noe, & mare rubrum. III. 250. a.
Rudis. Quomodo confessarius cum rudibus instituat examen. IV. 196. a.
Rufinus an fuerit auctor Pelagianorum. II. 27. a. Et qualis is fuerit Rufinus, an Aquilejensis, an Palæstinus, vel Syrus. II. 28. a. An etiam vocetur Grunnius. *ibid.* b.
Rupertus Abbas Tuitiensis vocavit in dubium salutem Adami. I. 322. b.
Rutheni an negarint Confirmationem esse Sacramentum? IV. 3. a.
Ruthenus Archiepiscopus. Vide *Saleon*.

S

Saba. Cur tres Magi dicantur Reges Arabum, & Saba? III. 145. b. *& seq.*
Sabbatum. An hujus observantia sit de lege naturæ? II. 180. b. & 181. b. Hujus sanctificatio præscribitur præcepto tertio Decalogi. II. 191. b. Quid significet, & cur institutum? *ibid.* Quomodo sanctificandum? *ibid.* In hujus cultu superstitiosi sunt Judæi. *ibid.* Quid Sabbati iter? *ibid. & seq.*
Adulti solemniter baptizentur Sabbato S. Paschæ, vel Pentecostes. III. 316. b.
Judæi manipulum spicarum ad Sacerdotes deferendum metebant die Sabbati. IV. 48. a. & b. Communio non fiat in nocte Nativitatis Domini, nec in die Parasceves, aut Sabbato S. exceptis infirmis. IV. 112. a.
Sabellianus. Quam perversam formam in Baptismo adhibeant Sabelliani? III. 270. b.
Sabellius. Ejus error de summa Trinitate. I. 174. a. Idem erravit de consubstantialitate Filii. I. 196. b. & 201. b. Item circa Spiritum S. I. 202. a. Huic non favet Athenagoras. I. 219. a.
Hujus falsa dogmata adversantur primo fidei articulo. II. 280. b. Negans Divinarum Personarum pluralitatem aggreditur secundum fidei articulum. II. 281. b. Ac octavum. II. 284. b.
Sacerdos. Jura Sacerdotum nequeunt usurpari a terreno Principe. II. 211. b.
In quo sensu Verbum dici possit Apostolus, & Sacerdos? III. 62. b. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. III. 96. a. & b. Melchisedech offerens panem, & vinum erat typus Christi instituentis Eucharistiæ Sacramentum. *ibid.* Cur Christus non sit Sacerdos secundum ordinem Abel, Noe, aut Moysis? III. 96. b. Solvuntur objectiones Hæreticorum. III. 97. a. *tot. cap.* VIII. An Christus non sit potius Sacerdos secundum Ordinem Aaron, quam Melchisedech? III. 98. b. *& seq.* Christus non potest dici Sacerdos Leviticus. III. 99. a. Historia Suidæ circa hoc est fabula. *ibid.* Socinus negat, Christum esse functum munere Sacerdotis. III. 104. a. Christus fuit simul victima, & Sacerdos. III. 107. b. Christus fuit Sacerdos per Sacrificium, quod ut homo obtulit in ligno crucis. *ibid.* & 117. a. Quodnam discrimen inter Christum Sacerdotem, & alios Sacerdotes? III. 107. b. Christus in cælo non sacrificatur, ut putant Poloni Fratres. *ibid.* Hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronici. *ibid.* Quod Christus fuerit Sacerdos, probatur ex Patribus. III. 112. a. *& seq. tot. cap.* IV. Solvuntur sophismata Socini. III. 124. a. *tot. cap.* VII. Ostenditur, Christum vere pro nobis satisfecisse soluto pretio. *ibid.* Quomodo intelligendum illud: *Si* (Christus) *esset super terram, non esset Sacerdos*. III. 117. a.
Sacerdos non consecret Virgines inconsulto Episcopo. IV. 17. a. Græci Sacerdotes confirmationem administrabant. IV. 24. a. *& seq.* Consecratio Chrismatis jure ordinario pertinet ad Episcopos. IV. 16. b. *& seq.* An de jure extraordinario licentia consecrandi Chrisma possit competere Sacerdoti simplici? IV. 17. a. An Eugenius IV. eam permiserit Fratribus Minoribus Missionariis Indiæ? *ibid.* Oratio modo ante confirmationem recitanda olim dicebatur a Sacerdote baptizante. IV. 19. a. An apud Græcos possint confirmare simplices Sacerdotes non Episcopi? IV. 21. a. Photius contendit, quoslibet Sacerdotes esse Ministros ordinarios Confirmationis. IV. 21. b. Quod Episcopus sit Minister ordinarius Confirmationis, salva fide negari non potest. *ibid.* Idem de Sacerdote simplici teneri nequit. *ibid.* Præter Episcopum etiam simplex Sacerdos potest ex dispensatione, vel facultate extraordinaria conferre Sacramentum Confirmationis. IV. 24. a. *& seq.* Id probatur ex Concilio Florentino contra Herminier. *ibid.* Item ex Tridentino, ac S. Gregorio M. *ibid.* a. & b. An Sacerdos simplex olim confecerit Chrisma auctoritate Apostolica? IV. 24. b. *& sequens.* Aut saltem Confirmationem contulerit. *ibid.* Ut valida sit Confirmatio facta a Sacerdote simplici, in Ecclesia Latina requiritur Summi Pontificis delegatio, & in Ecclesia Græca perantiqua, & universim recepta consuetudo, quam Papa approbet; aut saltem permittat? IV. 27. b. *& sequent.* An sufficiat delegatio facta ab Episcopo? *ibid.* Unctio energumeni potest fieri a Sacerdote deputato ab Episcopo, sed non est confirmatoria. IV. 28. a. Innocentius III. prohibet Latinis Sacerdotibus inter Græcos degentibus, ne confirmationem conferant, quod toleratur in Græcis. IV. 25. b. *& seq.* Innocentius IV. Sacerdotibus Cypri, & Clemens VIII. Sacerdotibus Albaniæ, non autem omnibus Sacerdotibus Græcis interdixerunt administrationem Confirmationis. IV. 26. a. & b. Quid desuper statuerit SS. Benedictus XIV. *ibid.* Hæretici culpant salutationem, quæ fit S. Chrismati in feria V. hebdomadæ Majoris ab Episcopo, & Sacerdotibus. IV. 39. b. Hæc salutatio est ceremonia vetustissima, minime adoratio absoluta. *ibid.* Ostenditur, quod salutatio etiam possit fieri rei inanimatæ. *ibid.* Chrisma recipiant Sacerdotes a proprio Episcopo, & quidem gratis. *ibid.* Benedictiones, in quibus adhibenda est Chrismatio, non possunt fieri a Sacerdotibus simplicibus sine speciali licentia Papæ. IV. 40. a. Veglones, & Vegloniffæ vi officii sui conferunt Sacerdoti in Ecclesia Mediolanensi panes azymos. IV. 55. b. Græci complures docuerunt, non solum verbis Domini, verum etiam oratione, & benedictione Sacerdotis fieri consecrationem. IV. 65. a. Probatur adversus Lutherum, & Græcos, Christum non consecrasse, nec Sacerdotes modo consecrare per benedictionem antecedentem, ac gratiarum actionem, & preces subsequentes. IV. 65. b. *& seq.* Eucharistiam consecrare, & conficere ad solos attinet Sacerdotes. IV. 95. b. *& seq.* Laici nec in defectu Sacerdotum possunt sacrificare, aut conficere Eucharistiam. IV. 96. a. In quo sensu omnes homines dicantur Sacerdotes? IV. 96. a. & b. Frumentius non fuit laicus, dum in India sacrificabat, sed Sacerdos, & Episcopus. IV. 97. a. Diaconi olim Eucharistiam ministrabant præsertim sub specie vini, jussu tamen, & delegatione Sacerdotum. *ibid.* Diaconi possunt Eucharistiam distribuere absente Sacerdote in casu necessitatis, & jubente Sacerdote, infirmum autem communicet Sacerdos. IV. 97. b. Præcepto Ecclesiastico de Communione in Paschate facienda non satisfit per Communionem sacrilegam. IV. 100. a. Cur non sufficiat Communio sacrilega, cum non obstante sacrilegio Sacerdos satisfaciat obbligationi, si in statu disgratiæ accepto stipendio celebret? IV. 100. a. & b. An Sacerdos possit negare Communionem peccatori occulto, si petat in loco privato, ac Sacerdos peccatum sciat ex sola confessione? IV. 106. a. Sacerdos, qui inter Sacrificium recordatur, se non esse jejunum, potest communicare non jejunus, uti, si alius Sacerdos post consecrationem deficiat. IV. 108. b. Sacerdos peccati mortalis sibi conscius, ac celebrare coactus non habita copia Confessarii tenetur ex præcepto quamprimum confiteri. IV. 109. a. Quomodo Christus dicatur Sacerdos in æternum? IV. 116. b. In Sacerdotio Christo nullus succedit. *ibid.* Sed Sacerdotes sunt Ministri & Dispensatores. *ibid.* Ad Sacrificium pertinent vestes Sacerdotales Sacerdotis sacrificantis. IV. 127. b. Waldenses, Wiclefitæ, & Hussitæ ajunt, Sacerdotem peccatorem amittere potestatem absolvendi. IV. 133. a. Lutherus & Melanchthon negant absolutionem Sacerdotis esse actum judicialem. *ibidem*. Pœnitentia est verum ac proprium novæ legis Sacramentum, quo judiciaria Sacerdotum potestate peccata remittuntur. IV. 133. b. Nullum omnino datur peccatum, quod per pœnitentiam expiari, & ab Ecclesia, ejusque Ministris Sacerdotibus remitti non possit. IV. 137. b. Diaconus non communicet Sacerdotem. IV. 95. b. Diaconus dicitur a ministrando, Sacerdos vero a sacrificando. IV. 96. a. An Sacerdos celebrans teneatur in Missa privata Communionem porrigere laicis, si petant? IV. 122. a. In Aragonia in die commemorationis omnium defunctorum Sacerdotes sæculares duas, Regulares vero tres celebrant Missas. IV. 129. b. Ecclesia consecrata reconciliatur a solo Episcopo, non consecrata etiam a simplici Sacerdote, annuente tamen Episcopo. IV. 126. a.
An Sacerdos defunctus, & iterum resuscitatus esset Minister ordinarius Sacramentorum? III. 203. b. *& seq.* Vi Confessionis Augustanæ administratio Sacramentorum ad Sacerdotes, & horum Ordinatio ad Episcopos pertinet, non autem ad plebem, & Magistratum sæcularem. III. 204. a. Non omnes catholici sunt Sacerdotes. III. 204. b. *& seq.* In quo sensu Catholici dicantur Sacerdotes? III. 205. a. Vid. *Minister*. Sacerdos in peccato mortali constitutus administrans, vel conficiens Sacramenta sacrilegium committit. III. 209. b. An ante Sacrificium debeat præmittere confessionem, vel an sufficiat contritio? *ibid.* Si urgente necessitate celebravit in peccato mortali sine prævia confessione tenetur quamprimum confiteri. *ibid.* De pœnis Sacerdotis concubinam alentis. *ibid.* An Sacerdos concionando exerceat actum Ordinis? III. 210. a. Extra casum necessitatis non licet petere Sacramenta a Sacerdote improbo non Parocho, aut Vicario. III. 210. b. Nec a simoniaco, aut fornicario: minus ab excommunicato, hæretico, vel schismatico. *ibid.* In necessitate licite suscipiuntur Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ a quocunque Sacerdote. *ibid.* Licite petuntur Sacramenta a Sacerdote improbo, dummodo sit toleratus, si est Parochus proprius. *ibid. & seq.* Licite suscipiuntur Sacramenta a Ministro concubinario, excommunicato a jure, nondum tamen publice denun-

nuntiato, si justa adsit ratio. III. 211. a. Casus necessitatis est periculum mortis, in quo possunt a Ministro improbo, separato, recipi Sacramenta, sed non alia, quam Baptismi & pœnitentiæ. *ibid.* A tolerato ut possint recipi Sacramenta, sufficit alia causa gravis, v. gr. communio in Paschate peragenda, dummodo alius Minister probus non adsit. *ibid.* Tridentinum damnat Lutherum dogmatizantem, quod Sacerdos non dimittat peccata, sed dimissa declaret, quod non requiratur in Ministro intentio, sed valeat Sacramentum etiam cum simulatione collatum. III. 216. b. *& seq.* Vid. *Intentio*. Jus baptizandi solemni ritu Episcopis principaliter datum est, deinde Sacerdotibus, sed nonnisi auctoritate Episcoporum. III. 279. b. *& seq.* An Sacerdos sit Minister ordinarius, vel delegatus Baptismi? III. 280. a. & b. An fœmina, vel Sacerdos in necessitate baptizare debeat, si alia persona non adsit, & Sacerdos sit vinculo excommunicationis innodatus? III. 285. a.

An sacerdos in mortali constitutus absolvat valide. IV. 166. a. In quo sensu utilior sit confessio tempore necessitatis facta laico præsenti, quam Sacerdoti absenti per litteras. IV. 181. a. Quid dicendum de confessione, quam Moniales faciebant Sacerdoti per Superiorissam. IV. 182. b. Sacerdoti impio potestatem absolvendi denegant Waldenses. IV. 190. b. An in hujus absentia urgente necessitate absolvere potuerit Diaconus. IV. 190. b. & 191. b. *& seq.* An unus possit simul pluribus confiteri, & ab iis absolvi. IV. 190. b. & 192. b. Episcopi, & Sacerdotes tantum sunt Ministri Sacramenti Pœnitentiæ. IV. 165. b. *& seq.* & 190. b. *& seq.* Plures in mortis articulo absente Sacerdote confessi sunt laicis, sed hæc confessio non erat Sacramentalis, nec necessaria. IV. 192. a. & b. An vero utilis. *ibid.* Quomodo intelligendum illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. IV. 192. b. Sacerdos, ut sit Minister legitimus Pœnitentiæ extra mortis articulum, debet habere jurisdictionem, & approbationem ab Episcopo. IV. 193. b. Sacerdos in ordinatione accipit potestatem absolvendi, per jurisdictionem autem, & approbationem acquirit subditos, in quos exercere possit potestatem. *ibid.* An Sacerdos sine ista approbatione, & jurisdictione nec veniale peccatum absolvere possit. *ibid.* Papa potest sibi reservare casus respectu omnium Episcoporum, & Sacerdotum: Episcopus vero respectu inferiorum Sacerdotum suæ Diœcesis. IV. 194. b. In mortis articulo omnes Sacerdotes absolvere possunt a reservatis quoque. IV. 195. b. Quid si adsit jurisdictione pollens. *ibid.* Quis sit *Sacerdos propriis* pœnitentis. IV. 198. a. *& seq.* Sacerdos per absolutionem non declarat peccata a Deo jam esse dimissa, sed ipse auctoritate a Deo accepta eadem peccata relaxat. IV. 166. a. & 200. a. & b. & 202. a. *& seq.* Et vere exercet actum judicialem. *ibid.* De pœna Sacerdotis in fornicationem lapsi. IV. 211. b. An etiam Sacerdotes debuerint publicam pœnitentiam subire. IV. 223. a. & b. Sacerdos specialiter debuit esse ab Episcopo deputatus, ut potuerit facere reconciliationem solemnem. IV. 224. a. Potest Sacerdos simplex consecrare oleum infirmorum speciali potestate Apostolica, non autem jure ordinario. IV. 236. a. & b. Ita concessum erat Missionariis Indiæ, & Sacerdotibus Græcis. *ibid.* Sacerdos graviter peccat dando extremam Unctionem oleo non benedicto. IV. 237. a. Sacerdotis manus sunt inungendæ exterius in extrema unctione. IV. 237. b. *& seq.* Unctio extrema detur intincto Sacrdotis pollice. IV. 239. a. Sed hoc non est de necessitate Sacramenti, cum possit tempore pestis fieri per virgulam, aut spatulam. *ibid.* Vid. *Unctionis extremæ Minister*. An etiam laici dici possint Sacerdotes. IV. 253. a. Sacerdotis munus, & dignitas desumitur ex lege naturæ. IV. 254. a. An primogeniti jura, quæ cessit Esau Jacobo, fuerint jura Sacerdotalia. *ibid.* Non omnes Christi fideles fulgent honore Sacerdotali. IV. 254. a. & b. Vox *Presbyter* non semper significat Sacerdotes. IV. 271. b. Nec solos Seniores nullo ordine Sacramentali initiatos. *ibid.* Vid. *Presbyter*. De unctione Sacerdotum & Episcoporum. IV. 298. b. An eam etiam Græci adhibuerint. *ibid.* Hæc unctio non est de substantia ordinis. *ibid.* Cur Sacerdoti manus, & caput Episcopo inungatur. IV. 299. a.

Sacerdotalis. An Episcopi sint Ministri ordinarii confirmationis ratione ordinis Sacerdotalis, vel Episcopalis? IV. 27. a.

Sacerdotium. Omnes ordines referuntur ad sacerdotium, & ideo cum hoc unum Sacramentum constituunt. III. 188. a. & b. An sit collatum sine porrectione calicis? III. 196. b. *& seq.* Quomodo intelligendum illud: *Plebs sancta, Regale Sacerdotium*. III. 205. a. Vid. *Ordo*.

Sacramentalia non participant definitionem Sacramenti. III. 172. b. & 188. b. Quot & quæ sint? III. 242. a. Oratio & eleemosyna non sunt proprie Sacramentalia. *ibid.* Qualis confessio numeretur inter Sacramentalia. *ibid.* Quænam benedictiones Sacramentalibus sint annumerandæ? *ibid.* Vid. *Sacramentorum Ceremoniæ*. Sacramentale an semper iterari possit. IV. 330. b.

Sacramentalia, & non Sacramenta sunt instituta ab Apostolis, vel Ecclesia. IV. 8. b.

Sacramentalis gratia an distinguatur ab habituali? III. 237. b. *& seq.* An Baptismus Joannis fuerit Sacramentum? III. 253. a. An vero Sacramentale? *ibid.*

Sacramentarius. Lutherus disputationem de impanatione, aut consubstantiatione excitavit inter Lutheranos, & Sacramentarios, tandem transubstantiationem admisit. IV. 71. a. Sacramentarii Catholicos traducunt ut Idololatras cujusdam Dei Panicei. IV. 75. b.

Sacramentum. An Sacramenta veteris legis habuerint vim dimittendi peccata? II. 285. b. Forma, & materia Sacramentorum spectat ad traditionem divinam. II. 298. a. Ritus autem eorum ad traditionem Ecclesiasticam. *ibid.*

Ut Passio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & opera bona. III. 117. b. *& seq.*

Sacramentum Confirmationis. Vide *Confirmatio*. Sacramentum Eucharistiæ. Vide *Eucharistia*. An libri de Mysteriis, & Sacramentis sint opus S. Ambrosii? IV. 7. a. & b. Ab Apostolis, & Ecclesia sunt instituta Sacramentalia, non autem Sacramenta. IV. 8. b. Nulla creatura simplex potest instituere Sacramenta. *ibid. & seq.* Apostoli, & Ecclesia nequeunt omittere, aut mutare materiam Sacramentorum a Christo præscriptam. IV. 12. b. *& seq.* An balsamum oleo sit permiscendum necessitate præcepti, aut omnino Sacramenti? IV. 15. b. *& seq.* Vid. *Chrisma*, vel *Balsamum*. Bucella panis, qua sumpta Judas exivit, non fuit Sacramentum, sed hoc jam prius receperat. IV. 53. a. Commixtio aquæ cum vino non est de necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti, & præcepti quidem Ecclesiastici, non Divini. IV. 62. b. Eucharistia est simul Sacrificium, & Sacramentum. IV. 116. a.

Est circumstantia aggravans, si peccatum committatur Sanctissimo exposito. IV. 184. b. An Sacramenta tribuant suum effectum recedente fictione. IV. 189. b. Regulares administrantes Cleticis, vel laicis Sacramenta extremæ unctionis, matrimonii, aut dantes viaticum sine licentia Parochi incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. IV. 195. a. An Sacramentum extremæ unctionis, & alia olim fuerint collata ante collationem Baptismi. IV. 234. a. An Episcopus possit mutare ritus in administratione Sacramentorum præscriptos. IV. 240. b. Diabolus æmulatur res Divinorum Sacramentorum, idolorum Mysteriis. IV. 305. a.

Jansenii propositio quinta damnata est, quia negabat, Christum pro omnibus omnino hominibus instituisse Sacramenta: contrarium docet Berti cum Theologis Catholicis. VI. 91. a. *& seq.* Quos errores Bajus docuerit circa virtutem Sacramentorum? VI. 174. b. *& seq.*

Quomodo Sacramenta fluxerint ex latere Christi in morte aperto, si jam antea Baptismus erat institutus? III. 258. b. *& seq.* Sacramenta omnia sensibilia negabant Gnostici, Ascodrupitæ, Archontici, Cajani, & Spirituales. III. 260. a. Refutantur. III. 261. b. *& seq.* Ad Martyrium requiritur ex parte Martyris Baptismus, aut votum illius, libera acceptatio mortis, ut sit membrum Ecclesiæ, charitas, contritio, aut confessio de peccato commisso, & ut nullum Sacramentum contemnat. III. 324. a.

Sacramentum. De nomine & definitione Sacramenti. Nomen Sacramenti eliminare volunt Hæretici substituto nomine *signi*, aut *symboli*. III. 169. a. Tales sunt Lutherus, Melanchthon, & Zwinglius. *ibid.* Sed contra hos probatur, idem nomen merito retineri. *ibid.* Quod apud Græcos sonat Mysterium, hoc apud Latinos significat Sacramentum. *ibid.* Oppignoratio, seu sponsio vocatur Sacramentum, & cur? III. 169. b. Sacramentum etiam vocatur juramentum militare. *ibid.* Quibus verbis hoc deponebatur? *ibid.* Hoc nomine veniunt etiam alia juramenta, sed minus proprie. III. 170. a. Ulterius signatur Mysterium, seu res arcana, sive profana. *ibid.* Cur SS. Patres adhibuerint hoc vocabulum? *ibid.* Item accipitur pro signo rei Sacræ. *ibid.* a. & b. Quid sit signum? *ibid.* Aliqua signa sunt significativa, seu speculativa, aliqua obsignativa, aliqua exhibitiva, aliqua practica. III. 170. b. Sacramenti nomine intelligitur etiam Sacramentale. IV. 330. b. Variæ definitiones Sacramenti. *ibid.* Una eligitur, & explicatur. *ibid. & seq.* Cur Sacramentum dicatur signum sensibile? III. 171. a. Pro quali signo Socinus accipiat Sacramentum? *ibid.* Sacramentum non est nudum signum, quo a Gentilibus, & Judæis discriminantur Catholici, sed est signum invisibilis gratiæ. *ibid.* Sacramenta legis veteris conferebant sanctitatem, sed legalem duntaxat, unde dicta sunt *infirma*. *ibid.* Sacramenta novæ, & antiquæ legis significant Christum, & gratiam: sed hæc erant signa Christi venturi, illa vero Redemptionis jam peractæ. *ibid.* An Sacramenta vet. legis sint proprie Sacramenta? *ibid.* Quodlibet Sacramentum continet triplicem gratiam; unde est signum commemorativum gratiæ præteritæ, denotativum præsentis, & prænuntiativum futuræ. *ibid.* a. & b. Sacramenta veteris legis commemorabant fœdus a Deo initum: denotabant justitiam & fidem: ac prænuntiabant Christum, & gratiam Evangelii. *ibid.* Sacramenta novæ legis commemorant Passionem Christi: denotant gratiam, sanctitatem, & remissionem peccatorum: prænuntiant vitam æternam. *ibid.* Quodlibet Sacramentum administratur nomine Christi: unde effectum non promovet probitas Ministri, nec impedit malitia Ministri. III. 171. b. Sacramenta novæ legis sunt signa gratiæ, & sanctitatis efficientia: Sacramenta veteris legis gratiam prænuntiabant tantum tribuendo solam sanctitatem legalem. *ibid.* Quomodo Sacramentum definiat Lutherus, & Kemnitius? *ibid. & seq.* Quomodo Calvinus? III. 172. a. Utraque definitio est insufficiens, quia negat Sacramentum efficere gratiam. III. 171. b. *& seq.* Ex eadem ratione nec admitti potest definitio Zwinglii, Anabaptistarum, Socinianorum. III. 172. b. Figuræ veteris legis non erant Sacramentum: tales erant serpens æneus, virga Moysis, arca fœderis, transitus maris rubri. *ibid.* Nec Sacramentalia novæ legis, qualia sunt aqua lustralis, benedictio Sacerdotis, lotio pedum &c. *ibid.*

Sacramenti institutio. An ante lapsum Adami fuerint Sacramenta, vel saltem instituta fuissent pro statu innocentiæ, si perdurasset? III. 172. b. *& seq.* An Sacrificia fuissent facta in statu innocentiæ? *ibid.* S. Augustinus an in ligno vitæ agnoscat Sacramentum? *ibid.* In statu innocentiæ non fuisset sensuum rebellio; & cur pro Angelis non fuerit institutum Sacramentum? III. 173. a. Status naturæ fuit a lapsu Adami usque ad Moysen per annos 2513. III. 173. b An ibi sufficiens fuerit quæcunque sola fidei protestatio? *ibid.* An fuerit pro parvulis aliquod Sacramentum institutum in statu naturæ? *ibid. & seq.* Et quale? *ibid.* In statu naturæ etiam pro adultis fuerunt instituta Sacramenta. III. 174. b. *& seq.* An Sacrificia Abelis, Cain, Abrahami, Melchisedechi fuerint Sacramenta? *ibid.* In lege scripta existebant Sacramenta a Deo instituta, ut agnus Paschalis, inunctio levitarum, expiationes, & lustrationes. III. 175. a. Item circumcisio. Vid. *Circumcisio*. Quomodo Sacramenta veteris legis potuerint conferre gratiam sine Passione Christi? *ibid.* Sacramenta a Christo instituta non possunt esse quoad substantiam obnoxia mutationibus. IV. 265. a. Nonnulla notanda circa Sacramentorum essentiam. IV. 329. a. & b. Ad Sacramentum de novo instituendum Ecclesiæ sola auctoritas non protenditur. IV. 264. b.

Sacramentorum numerus. Sacramentis veteribus ablatis instituta sunt alia virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. III. 184. a. Novatores interdum Sacramentum unicum admittunt, ut Lutherus: quandoque duo, ut

ut Calvinus & Melanchthon, interdum vero tria, ut Brentius, &c. communior Hæreticorum duo admittit, Baptismum, & Cœnam. *ibid.* a. & b. Septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, nec plura, nec pauciora. III. 184. b. Ita tenet Ecclesia Romana, Africana, Orientalis, & Æthiopica. *ibid. & seq.* Idem numerus confirmatur confessione Hussitarum, Anglorum, Lutheri, Waldensium, & Melanchthonis. III. 185. b. Falsum est, S. Augustinum duo tantum agnovisse Sacramenta. III. 186. a. & b. An numerus septenarius Sacramentorum possit probari ex Scriptura S.? III. 186. b. Aqua benedicta non est Sacramentum, sed Sacramentale, nec ex institutione Christi peccata dimittit, sed ob preces Ecclesiæ, & devotionem fidelium. III. 188. a. & b. Ex eadem ratione Sacramenta non sunt susceptio sacrorum cinerum, benedictio Palmarum, cereus Paschalis. *ibid.* Nec Sacramentum est Professio Religiosa, nec Martyrium. *ibid.* Omnes ordines referuntur ad Sacerdotium, & sic unum constituunt Sacramentum. *ibid.* Nec lotio pedum. III. 188. b. *& seq. tot. cap.* VI. Vid. *Lotio*.

Sacramentorum ordo, necessitas, & dignitas. Sacramentorum ordo varie recensetur ab auctoribus. III. 191. a. Non sola fides justificat, sed necessaria sunt Sacramenta aliqua. *ibid.* a. & b. Baptismus, & Pœnitentia sunt Sacramenta mortuorum, necessaria necessitate medii. III. 191. b. An ordo sit Sacramentum necessitate medii necessarium? *ibid.* Matrimonium non est singulis necessarium. *ibid.* Quomodo necessaria sint Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis? *ibid.* Hæretici, præcipue Calvinistæ in dignitate non distinguunt Sacramenta, & cur? *ibid.* Idem fecit Lutherus. *ibid.* Eucharistia est omnium dignissimum. *ibid.* Quodnam Sacramentum inter reliqua sit altero dignius? III. 192. a.

Sacramentorum novæ legis Institutor. An ante definitionem Tridentini negaverit Magister, Extremam-Unctionem esse institutam a Christo, & S. Bonaventura putaverit, confirmationem esse institutam post mortem Apostolorum in Concilio Meldensi, Pœnitentiam autem ab Apostolis? III. 192. a. Post Tridentinum certum est, Christum esse institutorem omnium Sacramentorum. *ibid.* An de facto sit de fide, Christum Dominum esse institutorem Sacramentorum immediatum? III. 192. a. & 193. b. *& seq.* Christus omnia Sacramenta novæ legis per se ipsum immediate instituit. III. 192. b. *& seq.* Apostoli autem fuerunt eorum administratores, & promulgatores. *ibid.* Concilium Meldense docuit chrisma conficere, non autem confirmationem instituit. III. 192. a. S. Jacobus extremam unctionem promulgavit, non instituit. III. 192. a. & 193. b. Hæretici negant, aliqua Sacramenta esse a Christo immediate, vel mediate instituta excepto Baptismo, & Eucharistia. III. 194. a. An communicari queat creaturæ hypostatice Deo non unitæ potestas instituendi Sacramenta? III. 192. a. & b. & 194. a. *& seq.* In institutore Sacramentorum triplex est distinguenda potestas, auctoritatis, excellentiæ, & ministerii. III. 194. a.

